

BIBLIOTECA DEL DUQUE DE OSUNA





JOANNIS CARRICHII

IN

UNIVERSITATE COLONIENSI

DOCTORIS THEOLOGI

DE

ECCLESIA,

ROMANIQUE PONTIFICIS ET EPISCOPORUM

LEGITIMA POTESTATE

LIBRI TRES

CONTRA

PERTURBATORES ECCLESIASTICÆ

HIERARCHIÆ AC PACIS,

ISTORUMQUE PRINCIPEM

JUSTINUM FEBRONIUM.

CUM LICENTIA ORDINARII ET PERMISSU SUPERIORUM,

LIBRI I. TOMUS I.

COLONIÆ AGRIPPINÆ

TYPIS METTERNICHIANIS

MDCCLXXIII.

Non falsitas nuda ac simplex proponitur, ne suis integumentis evoluta deprehendi facile possit; sed speciosis involucris miro artificio perpolita, ut externa pompa atque cultu veritate ipsa quodammodo veriorem se se rudiorum oculis subjiciat - - - Sed me caritas hortatur, ut ea dogmata patefaciam, quæ ad hunc occultata diem divina modo gratia prompta omnibus apertaque sunt. *Nihil enim est occultum, quod non reveletur, & absconditum, quod non sciatur.* IRENÆUS apud EPIPHANIUM Hæres. 31.]

FACULTAS ORDINARII.

Permittimus in lucem edi.
XVII. April.
MDCCLXXIII.

JO. GODEFR. KAUFFMANS S. T. D.
Curiæ Archiepiscopalis Sigillifer Major, & Librorum Censor Ordinarius, Canonicus Stæ Mariæ mppr.



LECTORI CATHOLICO.

Si Romani Pontifices vi ac ſcelere dignitatem, quam habent, rapuiſſent; nunquam ego adſentiar, a privatis & obſcuris hominibus tractari illos poſſe contumelioſius. Verum non ita eſt. Illud ad Fidei noſtræ pertinet capita, divinitus, neque aliunde, quam ab eodem, qui Eccleſiam ipſam fundavit, inſtitutam eam eſſe dignitatem; quo quidem ipſo nomine & ampliſſimam & Deo dignam eſſe oportet: tum experimento ipſo rerum comperimus, Romanæ Eccleſiæ, & illius Epiſcopo eſſe illam adſertam; defenſam vero ſeptendecim uſu ſæculorum, & Generalium Conciliorum certiſſimis Sententiis atque Decretis vindicatam. Quam Auguſtiſſimi Cæſares noſtri, quam Reges, quam Principes venerati ſemper fuerunt; cujus nos cultum & obſervantiam a pueris hauſimus; quam cum adpellamus, tantundem eſt, ac ſi id, quod eſt cariſſimum nobis in vita, hoc eſt, ipſam fidem, religionemque, quam conſectamur, nominaremus. Ita enim a Majoribus noſtris accepimus, ut interroganti, quæ profeſſio ſit noſtra, ROMANOS nos eſſe, aut ROMANO-CATHOLICOS reſpondeamus.

Jam illud quidem intelligo, haud perinde constitutum a nobis teneri, qui fines, quæ jura amplissimæ sint istius dignitatis. Neque enim æqualiter se ea quovis tempore explicuit. Ac sunt alia, quæ in utramvis partem aut conceduntur, aut detrahuntur. Quo in genere habendæ sunt quæstiones: sit, annon sit Oecumenicis Conciliis subjectus Pontifex Maximus? Soliusne, cum de fide pronuntiat, sit ejus rata jam tum ac firma sententia; an vero tum primum, cum cæterorum est adjuta judiciis & suffragiis Episcoporum? Quin hoc etiam agnosco, viris bonis, ac quorum violari a me integritas neutiquam debet, ita visum fuisse abheinc annis aliquot: esse, quas ISIDORUS MERCATOR commentus est, *Decretales literas* magnam causam mutatæ disciplinæ: Istarum namque κιβδηλια cum neque Romæ, neque alibi satis comperta esset; Episcopos præ errore dimisisse ab se multa putant, & in Romanum Pontificem contulisse.

Quæ atque similia ut hoc modo dicantur, patiar ego hoc loco. Quid autem præterea? Dicuntur quidem certe, scribunturque tantum, & a privatis viris, quorum est omnis musæorum & scholarum parietibus comprehensa auctoritas: & qui quod adserunt, negari a cæteris impune potest, negaturque, nec ferre legem alii aliis possunt; minus summo judicio controversiam in utramvis partem dirimere. Quare si decidenda omnino res sit; Episcoporum erit profecto, & Conciliorum ea judicatio. Et interea tametsi disputationibus esse locus aliquis possit; violandæ majestati (non metuo voci huic), rebellioni, impudentiæ, offensioni publicæ, furori conviciisque esse non potest.

Hæc nos itaque dum sic animis cogitamus; quis Jurisconsultum ferat, hominem obscurum, personatum, in larvas monstraque omnia induentem se, cum essent res Germaniæ nostræ pacatissimæ, nullius neque Episcopi, neque Principis jussu, in magisterium non modo, quod tolerari utcunque poterat, sed in auctoritatem invadere; repulsumque etiam Episcoporum nostrorum gravissimis judiciis, semel, iterum, tertio eam arripere; contumeliis, quas sarmentitius quisque ac nocentissimus patiendas sibi non putet, summum Antistitem proscindere; *tyrannum* ac *dominum dominantium*

per

per ſummum contemptum nominare, (1) *ſculptilibus*, quorum damnata eſt a Deo fabricatio, illum comparare, (2) *deceptorem* adpellare, (3) auctorem cauſamque omnium ſchiſmatum, ambitioſum, ſuperbum, arrogantem (4): Romanamque omnium matrem ac magiſtram Eccleſiarum ſedem *omnis impietatis*, *Luxuriæ*, *hypocriſis*; in qua *timor Dei abjiciatur*, *ſapientia mundi* dominetur, excipiatque ac ſequatur tot labes *doctrinarum peſſima ATHEISMUM præcurrens impietas.* (5) Conferre demum, & in tres libros, quorum primus ampliſſimus, & ipſa mole ſua laborans, congerere, quidquid uſpiam in forulis aut inter pulveres deliteſcebat, ſive mendaciter, ſceleroſeque ſcriptum aliquando, ſive exaggeratum imprudenter, ſive ut res ſunt humanæ, tametſi verum fortaſſis, at emendatum; aut ſi ne hoc quidem; certe non tale, cujus omnis in unum referenda tempus aut in unum Romanum Pontificem eſſet invidia: atque adeo in eo genere non pauca, quorum quam eſt facile optare emendationem, tam procuratu eadem difficilis ſolet accidere? De hujuſmodi, inquam, nos homine quærimus, quo ſint loco habendæ ejus declamationes? Atque an aptus ſit idem, in quem divinus ille, qui res Eccleſiæ procurat, Spiritus ſe infundat, Apoſtolumque ad revocandos, qui divortium a nobis fecerunt, Lutheranos Calvinianoſque homines, eum formet, & inſtrumentum in re

(1) Tom. II. pag. 23. & alibi.

(2) Tom. II. in fine aptat Pontifici illud, quod Deus apud Iſaiam de Idolis: *Gloriam meam alteri non dabo*, & *laudem meam ſculptilibus.*

(3) Tom. II. pag. 62. Non decipitur ſummus Pontifex, ſed ſe ipſum & alios decipit.

(4) Tom. III. pag. 36. & ſæpe alias locis per decurſum citandis.

(5) Tom. II. pag. 118. Nequid dicam de cupiditate obſcœna: hæc Romæ, in ſancta urbe, ad ſcandalum populorum reſidet, a multis palam, ab hypocritis clam exercita: unde &c. Accedat his malis moribus mundi ſapientia, abjecto Dei timore, & aderit doctrinarum peſſima impietas, atheismum præcurrens.

longe graviſſimi momenti adhibeat? Quin tanto magis hoc ſane quærimus, quoniam idem ille ut Pontifici male faceret, ne a Regibus quidem, & Epiſcopis dentes continuit. (6) Ut prope jam pigeat, obſcurioris ſortis hominum, a quibus impugnatus utcunque fuit, meminiſſe. Nam illorum quis uſpiam fuit, quem non laceraverit? Quid Academia Colonienſis? Homines *ignavi*, *ſervi*, *excæcati*, *Adulatores*, *comploſa factio*. Quid KAUFFMANSIUS vir non doctrina minus, quam honore conſpicuus? *Sathanas*, *ſcandalum*, *quæ hominum*, *non quæ Dei ſunt ſapiens*, indignus, *qui corrigiam calceamenti ſolvat* FLEURIO: quibus in verbis non magis injuriæ graviſſima offenſio, quam ſcripturæ ineſt ſacræ, divinique verbi contemptus & profanatio plane nefanda. Quid SAPPELIUS? *Rabula*. Quid alii? *inſipientes*, *curandi helleboro*. (7) Quid *Kleinerus*? quid *Zechius*?

chius?

---

(6) Tom. I. Cap. VIX. §. V. Principes propter privata ſua commoda exorbitantes Romanorum prætenſiones tolerant, immo *ſuſtinent*. Affert exemplum Regis Chriſtianiſſimi Lud. XV. & Stanislai Soceri Regis Poloniæ. Item Epiſcoporum, qui *brevibus eligibilitatis* inhient.

(7) Hic produnt DD. Colonienſes magnam inſcitiam. Quando dabitur vobis rumpere vincula ignorantiæ? Opinatrix Univerſitas. Tanta & tam exceſſiva eſt horum virorum erga Romanam ſedem ſervitus, & pro inſignibus ejuſdem abuſibus comploſa factio. Si loco Judicii ſui adulatorii, ad ſummum Pontificem ſcripſiſſet Univerſitas, denegationem Sacramentorum factam iis, qui Conſtitutioni Unigenitus non ſubſcribunt, repugnare caritati & unitati Eccleſiæ, non quidem ab eo obtinuiſſet ſuorum privilegiorum confirmationem &c. Inter hos fanaticos medii intercedant Pontifices Epiſcopi & Principes, tantoſque Magiſtros ad pulverulenta ſua ſubſellia tanquam ad triremes condemnent. Præventus hic, ne dicam, excæcatus Doctor Colonienſis. FLEURIUS, cujus D. KAUFFMANS *non eſt dignus ſolvere corrigiam calceamenti*. Poteſt hic reponi D. KAUFFMANS, quod Salvator Matthæi XVI. ubi converſus dixit PETRO: *Vade poſt me ſathana, ſcandalum es mihi*, *quia non ſapis ea*, *quæ Dei ſunt*, *ſed ea*, *quæ hominum*. Pergit Colonienſis Doctor aut fraude aut cavillatione uti, aut ſuam manifeſtare in antiquitate ignorantiam. In Rabularum cenſum referri meretur Sappelius noſter. Revera modica ſupereſt ſpes, homines ita inſanientes helleboro curandi. Tom. II. pag. 5. 49. 20. 73. 75. 77. 78. 175. 269. 224. 267. 187.

chius? quid *Zaccarias*? quid viri cæteri ejuſdem Societatis? (8) Pudet eloqui: ſunt enim furioſo digna, non homine mentis ac ſui compote. Jam ita comparatum & agitatum tantis furiis animum qui idoneum ad veritatem putet, plurimum is meo judicio fallitur. Neque enim alius veritatis, alius pacis & modeſtiæ eſſe ſpiritus poteſt. Atque eſt hoc ipſum, quod experimento velim, Lector in JUSTINO FEBRONIO intelligas. Equidem, fateor, deterrere me ab hoc opere ſuſcipiendo ea cogitatio poterat, quod probe ſcirem, perinde ut ferrum attritu cotis acuitur, aut flatu incitatus ignis augeſcit, ita reſpondendi perpetuitate rixæ ac pugnæ cupidos homines efferatiores reddi. Sed id ſimul præſentiebam, hominem niſi obrutum oppreſſumque pudore ſuo, finem ſæviendi nunquam facturum. Quare inſiſtendum eſſe ſemel capto conſilio arbitrabar: cujus tum multo minus me piguit, ex quo certis nuntiis accepi, tomum quartum F E B R O N I A N Æ vertiginis ſub prælo eſſe: neque deerant, qui programmatis mei objectu retardatum eum tantiſper, argumentis haud plane levibus conjectarent. Quod utut ſit, mihi illud hærere animo debuit, quod eſt ſapienter a *Ruſtico Diacono* adfirmatum, *turpe eſſe revera, & indecens contra adſerentem perverſa nos pro veritate frigidiores inveniri.* Quæ ipſa etiam

---

(8) Tuum eſt, FEBRONI! ne obdormias! En tibi illudit INCIRCUMCISUS theſiſta Heidelbergenſis (P. Joſephus Kleiner). Vult ab eo fieri nigrior Jeſuita Febronius. Hoc opus Jeſuitarum orbis *incendiarium.* Date Jeſuitis exercitum continuum cum nervo belli, & habebimus perpetuos Phinees ac Maccabæos: qui converti nolint, exſcindentur ferro, cremabuntur rogis, Principes terræ Proteſtantes exuentur imperio: omnes trepidabunt, ac reunientur. Quo glutine? Hypocriſi. Eſt quæſtio, utrum ſocrus iſta (Romana Eccleſia) febricitet, annon verius ſit mortua. Si mortua, tum erit tractanda, ſicut reſtituenda filia principis. Dominus, ut venit in domum Principis, recedere juſſit *tibicines*, & turbam tumultuantem. Tibicines ſunt blandi illi adulatores, quorum primi ſunt Jeſuitæ. Jeſuitæ conducti, advocati & mercenarii. Thuanum hiſtoriographum integerrimum cum Zaccaria damnant: Pallavicinum purum putumque Romanæ curiæ advocatum & vitiorum palliatorem extollunt ſupra Livium. Append. III. pag. 32. ſq. & pag. 83. Tom. II. p. 146. 148. 479.

etiam cauſa fuit, cur languidum ſcriptionis genus adhibendum mihi non ſemper putaverim, ſed pro delicti gravitate vehemens nonnunquam, at ejuſmodi tamen, ut minime verear, ne expoſtulare mecum jure Febronius poſſit. Quis enim maleficus de indulgentia lictoris ſui unquam conqueſtus eſt?



SUMMA:

SUMMARIUM LIBRI I.

THEOREMA I. *Tam ille diffusus Febronii conatus in tomis tribus hactenus editis, non nisi . . . . . furtorum infamium, . . errorum, ineptiarum, conflictuumque infinita & continuata quædam series est.*

THEOREMA II. *Viri doctrina si in auctoritatem admissa fuerit, evitari non potest ruina certa Catholicæ Ecclesiæ, & Hierarchicæ omnis potestatis.*

THEOREMA III. *Quamobrem neque viro ingenuo, neque docto, neque Catholico placere potest.*

THEOREMA IV. *Est inutilis eadem ad reparandam cum Dissidentibus concordiam.*

THEOREMA V. *Solis iis & est utilis, & placere potest, quibus omnia præter religionem placent.*

MONITUM. *Loquor, & in programmate quod ante sex menses evulgavi, loquebar de tota* FEBRONII *opera prout evoluta est illa sensim in tribus nuspiam gentium (id quippe certissime compertum habeo) adprobatis, ab eo editis libris. De primo enim tomo, prout sine appendicibus comparuit anno 1763, fateor quia simulationis habuit plusculum, & aliunde implicata satis in eo pernicies latebat, potuisse etiam optimis alioquin & piis fraudi esse. Ac quod non dissimulo, mihi ipsi quodammodo, & per tempus aliquod fuit.*

SUMMARIUM TOMI I.

I. Ecclesiæ singulæ totidem sacri principatus, ac minores quasi Status *sunt, in quibus potestas ac tota auctoritas penes Episcopos est. II. Principatus hi singuli in unum* Statum *remque publicam coalescunt in Romano Pontifice tanquam capite ac centro. III. In his rebus Ecclesiæ* ESSENTIA *consistit. IV. Sublatis illis, Ecclesia* CHRISTI *esse omnino non potest. V. Sustulit autem eas* FEBRONIUS. *VI. Ecclesiam igitur sustulit, destruxitque funditus.*

CON-

CONSPECTUS CAPITUM ET ARTICULORUM.

CAPUT I. *Respondens* FEBRONII *Tom. I. Cap. I. §. 6. Cap. VI. §. VIII. Append. 3. §. 7. Tom. II. Apol. adversus 4. Theologos Art. III. Flor. Spars. Cap. VIII. Art. II. Tom. III. in D. Bertoni Defens. Tit. I. §. 4. Tit. VII. §. II. &c. &c. Theorematum vero nostrorum primo, 2do, 3tio.*

Quale JUSTINO FEBRONIO *Ecclesiæ statuatur regimen? Id populare* RICHERISTARUM *exemplo ab eo constitui, non ad probabilitatem, sed ad evidentiam demonstratur: quo fit, ut* SUAMET CONFESSIONE, ATQUE JUDICIO HÆRESEOS REUS *sit. Simul illud clarius luce retegitur, hominem ad profligatissimam totaque Gallia proscriptam doctrinam deflexisse. Ostenditur pernicies infandi systematis, & quid Galliæ de eo Præsules sentiant. Vindicatur Episcoporum auctoritas. Cispelluntur argumenta* FEBRONII, *& inscitia ubique summa ostenditur.*

ARTI-

fundamentales Ecclesiæ CHRISTI, *& ex iis conficitur, Ecclesiam* Statum *aut* Imperium *sacrum esse. Ex quo ipso ostenditur,* FEBRONIUM *in ruinam Ecclesiæ scripsisse a pag. 279. Ecclesia Status sacer, cujusmodi debet esse ex instituto* CHRISTI, *esse prorsus & omnino non potest, nisi caput, centrumque sit, quo Ecclesiæ nectantur. a pag. 303. Essentia Primatus collati* PETRO *in eo posita est, ut in capite centroque aspectabili in unum Statum & sacram rempublicam colligatur Ecclesia a pag. 309. Primatus igitur* PETRI *cum persona* PETRI *nequaquam interiit. a pag. 312. Primatus ille perseverat in Romana tantum Ecclesia. a pag. 313. Primatus ille a Romana Ecclesia avelli non potest a pag. 318.*

ARTICULUS II. *Quæ hactenus tradita sunt, ostenduntur vera esse ex consensu Patrum. Simul exceptiones* FEBRONII, JANSENISTÆque *Anonymi repelluntur. Ex doctrina Patrum ostenditur, Romanam Ecclesiam, ejusque Pontificem Ecclesiasticæ unitatis centrum esse a pag. 327.* IRENÆI *textus a* FEBRONII *&* JANSENISTÆ *calumniis vindicatur a pag. 344. Additur Embolon, in quo ad examen revocantur, quæ de Primatu primorum Pontificum* LINI, CLETI, CLEMENTIS *nuper aliquis disseruit. a pag. 362. Defenditur* CYPRIANI *sententia a* FEBRONII JANSENISTÆque *tricis. Refutatur objectio* de Episcopatu uno in solidum *a pag. 367.*

ARTICULUS III. *Primatus Pontificis an cum Jurisdictione conjunctus sit? Pueriles tricæ* FEBRONII *in Jurisdictionis definiendo vocabulo. a pag. 372. Ex Galliæ Præsulum & Sorbonæ sententia hæresis est negare hanc summo Pontifici. Stulta exceptio defensoris,* FEBRONIUM *voce tantum differre a doctrina Gallorum* κρυψεις *& ludificationes pudendæ hujus Defensoris. a pag. 377. Probatur dogma ex Conciliis. Fraudes, doli reteguntur &c. a pag. 383. Iterum probatur ex fine Primatus, ex summa necessitate, ex Statu Ecclesiarum, quæ defectionem a Pontifice fecerunt. a pag. 401. Statuitur generatim, cujusmodi sit illa R. P. Jurisdictio. Respondetur quibusdam a* FEBRONIO *objectis a pag. 415.*

CAPUT IV. *Respondens Feb. Tom. I. Cap. VI. §. VIII. Tom. II. p. 69. 71. &c. Theorematum nostrorum insuper Vto.*

De Ecclesia Episcoporumque & R. P. Legitima potestate in causis fidei.

ARTICULUS I. JUSTINUS FEBRONIUS *Jansenistarum defensor publicus. Calumniosa ejusdem vox de totius prope Galliæ, & Europæ Episcopis: impostura, aut stupor in adducenda declaratione Regis Christianissimi: simile flagitium in explodenda constitutione Unigenitus. a pag. 429.*

ARTICULUS II. *Demonstratur,* Febronium *dum negat ad certitudinem fidei sufficere supremam sententiam Romani Pontificis, ab Episcoporum parte maxima acceptatam; in hoc uno sibi constitisse, quod Ecclesiam funditus, secundum principia a se hactenus posita, evertat. Refutatur systema impium.*

LIBRI I.

LIBRI I.
TOMUS PRIMUS
DE
ECCLESIA UT DISPERSA PER ORBEM TERRARUM EPISCOPORUMQUE IN ILLA ET ROMANI PONTIFICIS LEGITIMA POTESTATE.

CAPUT I.

Respondens FEBRONII Cap. 1. §. 6 & 9. Cap. 6. §. 8. Tom. II. pag. 181. Tom. III. pag. 185. & seqq.; Theorematum vero nostrorum primo, 2do, tertio.

CUJUSMODI A JUSTINO FEBRONIO ECCLESIÆ STATUATUR REGIMEN?

Id populare RICHERISTARUM exemplo ab eo constitui, non ad probabilitatem, sed ad evidentiam demonstratur: quo fit, ut SUAMET CONFESSIONE, ATQUE JUDICIO HÆRESEOS REUS sit. Simul illud clarius luce retegitur, hominem ad profligatissimam totaque Gallia proscriptam doctrinam deflexisse. Ostenditur pernicies infandi Systematis, & quid Galliæ de eo Præsules sentiant. Vindicatur Episcoporum auctoritas. Cispelluntur argumenta FEBRONII, & inscitia ubique summa ostenditur.

ARTICULUS I.

PROTHEORIA.

I. Defigitur κρινομενον. II. Doctrina RICHERII exponitur. CARDINALIS DE BISSI de ea testimonium; ipsius RICHERII de libro, & doctrina sua judicium. III. Quid SIMON VIGORIUS, PASCHASIUS QUESNELLUS, Defensorque ejus auctor HEXAPLORUM, & DELABORDIUS docuerint? IV. Quid DUPINIUS? qui qualis sit, describitur. V. Quid JOANNES LAUNOIUS? quem ad hæreticorum heic scopulum adhæsisse, argumentis peculiaribus quibusdam, ac nondum tritis ostenditur, iisque planis atque perspicuis.

§. I.

Disputationis κρινομενον.

Arbitror neminem esse tam rudem, quin sciat, DEMOCRATICUM illud ab omnibus regimen dici, *in quo summa potestatis & jurisdictionis est penes totam multitudinem, non penes unum aliquem Principem, nec penes Optimates, nisi tantum quatenus pars sunt illi communitatis & multitudinis.* (1) Velut si roges, quæ apud Romanos regendi olim gubernandique forma ac ratio fuerit, nemo dubitabit; quin Democraticam prævaluisse respondeat. Tametsi enim & senatus apud eos esset amplissima dignitate præditus; & Consules, quorum *regium imperium*, *honorumque omnium populi ultimum finem* vocavit Tullius; & Dictatores etiam nonnunquam, quorum ea vis erat, atque potestas, ut αἱρετην τυραννιδα appellaverit quidam (2); & Magistratuum denique aliorum ingens numerus: ea tamen quantacumque & quorumcunque vis, potestas atque auctoritas a populo, & de populi manabat voluntate, & erat obnoxia huic: unde & intercedere eorum consultis uno verbo per Tribunum suum solebat; & movere gradu suo eos poterat; ac si contra leges jussaque fecissent, animadversioni suæ subjicere. Id quod sic apte, & ad rem nostram percommode a Cicerone expressum fuit: *auctoritatem* quidem, hoc est, functionem

(1) Petav. de Hierarch. Eccles. Lib. III. Cap. XV. §. IV.
(2) Dionys. Halicar. L. v. pag. 336.

ctionem & executionem supremi imperii Magistratibus tributam fuisse; sed in populo *potestatem* hæsisse. (3) Potestas autem in quo est, ab eo genus ac nomen suum sortitur respublica. Verbo: is maxime proprie loquitur, qui Magistratus Romanos, ministros atque executores fuisse dicit popularis Majestatis. Quod contra in aliis Communitatibus accidit. Nemo enim tam socors, imovero tam amens insanusque sit, ut de Rege, qui quidem rex sit vere ac proprie, aut de Optimatibus sic pronuntiet. Et est ratio, quod majestatem ipsam in se illi circumferant, tantumque populo, quantum voluerint, largiantur juris; non accipiant autem, mutuenturque a populo. Plura de re, quam in scholis pueri didicimus, non est cur disputem. Sed accommodanda illa sunt modo ad institutam quæstionem, videndumque, cujusmodi Ecclesiæ a Christo regimen informatum FEBRONIUS dicat. Quod antequam faciam, RICHERII est primum, QUESNELLIANOrumque exponenda opinio: nam hos descriptos ab eo esse contendo, nec posse ovum, ut est in proverbio, ovo similius esse.

§. II

Doctrina Edmundi Richerii.

I. Fuit itaque EDMUNDUS RICHERIUS Lingoniensis in Gallia Presbyter, idemque Syndicus Parisiensis Theologicæ facultatis. Qui cum librum anno millesimo sexcentesimo undecimo in lucem edidisset nullo Auctoris inscriptum nomine: *De Ecclesiastica & politica potestate:* ne latius pernicies ista serperet & manaret in vulgus, obstiterunt tum quidem Cardinalis RICHELIUS, cæterique in Gallia præstantissimi Præsules. Quorum factum est opera, ut in Provincialibus duobus Conciliis (4), atque ab ipsa etiam SORBONA liber damnatus sit, & RICHERIUS Syndicatu abire jussus.

II. Est autem hæc summa libri, quemadmodum ex PERRONIO Cardinali eam accepimus: "Deum *in supposita analogice, hoc est, in Civitates ac regna, ipsamque communitatem prius & propius & principalius, quam in partes influere. Has enim non aliter regere, quam instrumenta suppositorum,*

(3) Lib. III. de Legibus.

(4) Damnatus est liber Richerii primum in Synodo Provinciali habita a Cardinale Perronio Archi-Episcopo senonensi. Deinde in altera ab Hunaldo Archi-Episcopo Aquensi.

torum, & Communitatum. Quo fiat, ut Principes, ac Reges non ipsi regant, sed Communitates per ipsos tanquam administros." (5) Quod sic ipse in initio operis sui RICHERIUS expressit: *Deum & naturam prius atque immediatius ad totum suppositum, quam ad aliquam partem suppositi, quamvis nobilissimam intendere, eamque ob causam facultatem videndi Exempli gratia datam esse homini, ut per oculum tanquam per Organum & Ministrum hominis exerceretur. Nam oculus per & propter hominem existit.*

Ex quo quidem, ut ait, vulgari & indubitatæ fidei axiomate conclusionem hanc putat sequi: *Christum fundando Ecclesiam, prius, IMMEDIATIUS atque ESSENTIALIUS Claves sive jurisdictionem TOTI dedisse Ecclesiæ quam Petro; seu quod eodem redit, claves toti dedisse Ecclesiæ, ut per unum MINISTERIALITER exercerentur: quandoquidem tota jurisdictio Ecclesiastica primario, proprie ac essentialiter Ecclesiæ convenit: Romano autem Pontifici atque aliis Episcopis ministerialiter, & quoad executionem tantum, sicut facultas videndi oculo.* (6)

Quocirca siquidem verum admittimus id esse, quod inde cogit ac conficit; Romanus Pontifex administer est tantum Ecclesiæ: & administer quidem auctoritate jurisdictioneque præditus nulla supra eam, quam communitas indulserit. Neque potest ille quicquam in Ecclesia sine Conciliis, sicut nec Episcopus in sua Diœcesi sine Diœcesanis: *Et quoniam adversus legem divinam & naturalem, neque spatia temporum, neque privilegia locorum, neque Dignitates personarum unquam præscribere possunt: quidquid huic Communitatis juri contrarium sit, nunquam justum & æquum, neque legitimum esse potest.*

III. Hæc ille. Quæ quorsum colliment, quamque evidens sit, puram putam Democratiam a RICHERIO Ecclesiam statui, facile omnes intelligent. Neque dubitabit, qui vel istud attenderit, tantum animi huic homini fuisse, ut publicis thesibus defenderit in SORBONA, regni Ordines potestate ipsis Regibus anteire. Atque ut ne PETAVII, quamvis magni doctissimique viri, & cui plurimum deferri a FEBRONIO solet, argumentis hoc pugnem: non est Præsulum quispiam totius Galliæ, quibus occasio quidem differendi de argumento hoc accidit, quin pro explorato sumat,

RICHE-

(5) Cardinalis Perronius in epistola ad Casaubonum, quam citat Defensor Cleri gallicani T. II. P. II. Lib. X. Cap. XXV.

(6) Definit quidem Ecclesiam Richerius Politiam Monarchicam, regimine Aristocratico temperatam: item statum Monarchicum, regimen Aristocraticum esse ait: Sed reipsa ad puram Democratiam eum adhæsisse, & dissimulandi duntaxat causa retinuisse larvam nominum in aperto est, & libelli series demonstrat.

RICHERIUM ad tumultuarium populareque regimen Ecclesiam depressisse. Volo unum adducere : sed is pro multis esse nobis poterit : atque est Eminentissimus BISSIUS, Cardinalis & Meldensis Episcopus in Tractatu, quem super propositionibus centum una damnatis scripsit. Quarum ad quartam nonagesimam : " *Ex principiis*, inquit, *fundamentalibus RICHERISMI unum hoc est, Communitatem totam, & quidquid integro continetur Ecclesiæ corpore; non Papam, non Episcopos solos esse, quibus Ecclesiasticam jurisdictionem Christus commiserit: neque vero aut Papam aut Episcopos ob finem alium institutos, quam ut jurisdictionem illam exerceant nomine, & cum consensu totius Corporis, cui est soli jurisdictio immediate tradita a Jesu Christo: Papam atque Episcopos non nisi Ministros esse, & recepisse potestatem & administrationem suam velut in pura Republica, in qua Magistratus ab sola communitate auctoritatem, quam exercent trahunt, neque exercent nisi nomine ac de consensu saltem præsumpto totius Corporis.* " (7)

IV. Quid multis? libet palinodiam audire ipsius RICHERII. Nam ille cum hæreseos sese ipsum accusat, non modo interpres est ipse sui, doctrinæque suæ ac libri: sed & eandem infamiæ notam quasi calamo eodem ac ductu abnepoti sectatorique suo FEBRONIO adscribit. Est autem de prima ex septem propositionibus, quas excerpsit, quaque claves *prius, immediatius, & essentialius* fuisse datas Ecclesiæ dixerat, hæc ejus censura: *Hanc propositionem doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ a sanctis vetustisque Patribus fideliter expositæ adversari libere fateor.* De altera vero qua Romanum Pontificem, Episcoposque alios non nisi Ministros & Executores fecerat Ecclesiasticæ omnis potestatis, *Hanc*, inquit, *Propositionem seu potius hæresin ex putridis Lutheri & Calvini fontibus me hausisse non diffiteor. Qui ambo impie falsoque contendunt, proprie & immediate jurisdictionem Ecclesiæ fuisse datam a Christo, non sancto Petro, aliis Apostolis, & Episcopis,*

 copis,

(7) Un de principaux fondemens du Richerisme est, que c'est à toute la Communauté & au corps entier de l'Eglise, non au Pape & aux Pasteurs seulement que Jesus Christ a donné la jurisdiction Ecclesiastique, & que le Pape, & les Pasteurs ne sont etablis, que pour exercer cette jurisdiction au nom & avec le consentement du corps entier, qui seul a reçû la jurisdiction immediatement de Jesus-Christ: & de qui le Pape, & les Pasteurs ne sont, que les Ministres, & reçoivent immediatement leur pouvoir & leur ministere comme dans le gouvernement purement republicain, où les Magistrats tiennent de la Communauté seule l'auctorité, qu'ils exercent, & où ils ne l'exercent, qu'au nom & du consentement au moins presumé de toute la Communauté. Cardin. Bissi Traité Théolog. Tom II. pag. CXX.

copis, nisi PER ACCIDENS, INSTRUMENTALITER & nomine Ecclesiæ. (8)

§. III.

Doctrina Jansenistarum.

I. RICHERII vestigiis SIMON VIGORIUS institit primipilus Jansenianæ Sectæ, idemque particeps Burgofontanæ conjurationis. Nam is libellum RICHERII damnatum non modo excudi novis typis curavit, sed advocationem quoque illius in se suscepit. Atque ex Quesnellianis est item propositionibus ab universa Ecclesia proscriptis hæc nonagesima: *Ecclesia excommunicandi potestatem habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis.* In quam commentans, defendensque eam Hexaplorum Scriptor, atqui ait, *universus terrarum orbis in id conspirat, excommunicandi potestatem potestatis esse clavium partem, quam Jesus Christus Sancto Petro & Apostolis contulit, Est autem Sanctorum Patrum & veterum Theologorum constanti suffragio tradita doctrina, potestatem hanc clavium Ecclesiæ ipsi proxime directeque traditam esse.* (9) Ac paulo inferius, postquam Augustini fuerat abusus quibusdam sententiis, *Heic enimvero*, inquit, *observari oportet, non Corpus PASTORUM fuisse duntaxat, quibus potestas sit illa clavium credita; sed Corpus ex Pastoribus perinde AC FIDELIBUS constans. Nam horum EX ÆQUO figuram gessisse Petrum, cum & Christianus, & Apostolus esset. Itaque UNIVERSALEM esse ipsam Ecclesiam, cui claves commissæ sint.* (10)

Sed

(8) Habetur palinodia apud Fontana Tom. II. ad propositionem 90 Quesnelli.

(9) Tout le monde convient, que le pouvoir d'excommunier fait partie du pouvoir des clefs, que J. C. donna à S. Pierre & aux Apôtres. Or c'est une verité, que l'on trouve constamment attestée par les SS. Peres & par les anciens Theologiens, que cette puissance a été alors donnée immediatement, & directement à l'Eglise. Hexap. Tom. 6. p. 636.

(10) Or il faut observer, que quand S. Augustin a dit, que le pouvoir &c. il n'a point voulu dire, que ce fut seulement au corps des Pasteurs, que cet Apôtre representoit; mais que c'est au corps composé des Pasteurs & des simples fideles, dont il etoit également la figure, etant chretien & Apôtre: c'est à l'Eglise universelle, dont il devoit être le chef visible, que ce saint Docteur enseigne, que les Clefs ont été données. Ibidem pag. 640 in 642.

Sed nemo magis in ſanguinem ſuccumque convertit ſuum hoc dogma peſtilens, quam qui librum de *teſtimonio veritatis* edidit inſaniſſimus & furens ſcriptor, de quo nos multa in decurſu. (11)

II. Atque ut ne pluribus lectorem detineam (quamvis minime id fecerim temere) complectar omnia Eminentiſſimi Meldenſis ſummi & immortalis viri teſtimonio, quod ex lingua gallica latine ſic poteſt transferri: " *Expectari velut in dies debebat, fore ut frontem denique ſumeret ſecta, aperteque profiteretur* Richeriſmum*: quod illi conſilium jam inde ex quo nata eorum eſt hæreſis, conceperunt.* Tum Epiſtolam *SANTABOVII* profert ad *SANTAMORIUM*, cujus tale argumentum: *Si, quod a* Moliniſtis *jactatur* (hoc illi nomine vocant, quotquot partium ſuarum non ſunt) " *verum eſt, hoc eſt, ſi ſunt damnatæ propoſitiones quinque Janſenii; nihil profecto infortunatius Romanæ Sedi accidere poterit. Diminuetur enim in plerorumque animis reverentia ſubmiſſioque, qua Romam ſunt proſequi ſoliti, & ad RICHERISTARUM ſententiam haud ſane pauci deflectent. Meditare rem iſtam, ſi placet, ac quod ad te olim perſcripſimus, in memoriam revoca, ex deciſione hac* RICHERISMI PENDERE *IN GALLIA INSTAURATIONEM: quam ego rem vehementer atque etiam metuo.* " Hæc ille: qui quid agitaret, quid moliretur factio, apprime, cum iſta ſcriberet, habebat perſpectum. Nam erat ARNALDI amicus, & arcanorum conſcius. SANTAMORIUS vero, ad quem datæ ſunt literæ, is eſt, quem ſecta Romam actorem & procuratorem cauſæ ſuæ ablegarat. (12)

§. IV.

(11) Du Temoignage de la verité dans l'Egliſe, pour ſervir de precaution aux Fideles, & d'apologie à l'Egliſe Catholique contre les reproches des Proteſtans. Auctor eſt P. de la Borde.

(12.) On avoit toujours du s'attendre, qu'à la fin les Janſeniſtes ſe declareroient ouvertement pour le Richeriſme. Ils ont pris cette reſolution de la naiſſance de leur heresie. Voici, comme M. de Saint Beuve en ecrivoit de Paris au mois de May l'affaire de cinq propoſitions. Si ce, dont les Moliniſtes ſe ventent, diſoit-il, eſt veritable, c'eſt à dire, ſi les cinq propoſitions de Janſenius ſont condamnées, ce ſera une des choſes les plus deſavantageuſes au Saint Siege, & qui diminuera dans pluspart des eſprits le reſpect, & la ſoumiſſion, qu'ils ont toujours gardé pour Rome, & qui fera incliner beaucoup d'autres dans les ſentimens des Richeriſtes. — — Faites, s'il vous plait, reflexion ſur cela, & ſouvenez-vous, que je vous ay mandé, il y a long tems, que de cette deciſion dependra le renouvellement du Richeriſme en France, ce que je crains très fort. Perſonne ne ſoupçonnera Mr. de Saint Beuve, de n'avoir pas été inſtruit en ce tems-là du ſentiment des Janſeniſtes. *Trait. Theol. pag. CXXI.*

§. IV.

Quis ELIAS DUPINIUS? quæ ejus Doctrina?

I. Jam de ELIA DUPINIO & JOANNE LAUNOIO quid dicam? Horum oblivisci non debui: sunt enim architecti Februniani operis: DUPINIUMque præsertim si fuisse principem dixero, ducem ac facem FEBRONIO; non erit verendum mihi, ne aut confidentius scripsisse videar, aut minus verè. Et fuit is quidem vir non ineruditus; sed Jansenista insignis, magisterioque ob eam causam mulctatus, & in exilium pulsus: intemperans præterea & libidinosus homo, quamvis sacerdos esset. (13) Quid? quod Ecclesiam ille prodere neutiquam veritus fuit; & quidem legibus, quas qui nobis literis eas consignavit, nisi origines vidisset, primasque tabulas, nunquam in animum fuisset inducturus, ut credendum tam turpe abominandumque facinus sibi existimaret. Eas compendio sic latine nos reddimus: " *Antiquandam esse privatam peccatorum confessionem: transsubstantiationis in Eucharistia dogma silentio opprimendum: abolenda irritandaque religiosarum familiarum vota: sacerdotibus connubia indulgenda: jejunia abroganda: Pontifice carendum: communionem cum illo rumpendam: sanctiones, siquas ediderit, contemnendas, ac negligendas esse.*" Quæ ita ut dico, ex commentariis desumpta sunt, DUPINII manu exaratis; neque intelligo, quemadmodum negari a quoquam possint. Quanquam non etiam memini alicujus, qui neganda putaverit. (14) Ut modo taceam, quam in opere, quod *Bibliothecam* inscripsit,

(13.) Vid. la realité du projet de Bourg-Fontaine pag. 307.

(14.) Histoire de la constitution Unigenitus par Messire Pierre François la Fiteau Evêque de Sisteron Tom 2. pag. 138. & seq. Autre entreprise, que j'aurois eu de la peine à croire, si je n'en avois vû les Actes originaux. C'etoit le projet d'unir le parti des opposans à l'Eglise Anglicane. Le Docteur *Dupin*, si connu en Sorbonne par ses excès, en avoit fait un Traité entier. Il y avoit long tems, qu'on le savoit dans une étroite liaison, & dans une relation continuelle avec Mr. *l'Archevêque de Canterbery*, c'est à dire, avec l'homme, que l'Eglise Anglicane a de plus distingué par le rang. D'abord on supposa, que ce commerce des lettres étoit un devoir de pure civilité. Dans la suite on y soupçonna du Mistere. – – Enfin on parvint à la connoissance du plus abominable complot, qu'un Docteur Catholique ait pû trâmer en matiere de Religion. L'apostasie n'eut jamais rien de plus criminel. Le 10. Fevrier l'ordre fut donné en ma presence d'aller chez le Sieur *Dupin*, & de saisir ses papiers. Sur l'heure ils fûrent tous enlevés. Je me trouvai au Palais Royal au moment, qu'on les y apporta. Il y étoit, que les prin-

ſcripſit, multa improbe ab eodem ac perverſe ſint poſita. Sunt enim damnati hi libri etiam in Gallia; quique legerit (legi autem, ac ſunt in poteſtate mea) is ingenium in paucis impudens demirari non ſatis poterit. (15)

II. Jam ille vero ad ſextæ diſſertationis ſuæ primum Paragraphum hoc Lemma ſcripſit: *Poteſtatis Eccleſiaſticæ immediatum ſubjectum eſſe* UNIVERSAM *Eccleſiam.* Quod ita ſtatim expoſuit: ſenſus eſt; *an poteſtas Clavium ſit immediate conceſſa* UNIVERSITATI, *ut per ejus* MINISTROS *ac per ſummum Pontificem exerceatur; an vero ſummo Pontifici, aut* ETIAM EPISCOPIS *ſit* IMMEDIATE *collata?* Tum vero omnium antiquorum fuiſſe mentem hanc aſſerit, *Claves in perſona Petri* UNIVERSITATI *Eccleſiæ collatas eſſe, quas illa* MINISTRIS *ſuis, atque ipſi ſummo Pontifici communicet.* Et ex ſcriptura continuo locum illum famoſum proferens Matthæi XVIII, *ſi peccaverit in te frater tuus, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*: heinc, *inquit*, PATET SUPREMAM EXCOMMUNICANDI POTESTATEM PENES ECCLESIAM ESSE. Quæ eſt QUESNELLI ipſiſſima damnataque doctrina: ut minime mirum ſit, patrocinium ab eo hujus apoſtatæ fuiſſe ſuſceptum, APPELLANTIUMque permixtum gregi, more Janſeniſtarum finem vivendi turbandique eum feciſſe. Atque hæc de Janſeniſtis, & Quesnellianis breviter. Sunt enim quamplurimi, quos ſilentio prætereo. Nam ſi commemorare omnes vellem, tot me nomina oporteret & ſententias deſcribere authorum, quot ſunt libri hactenus editi pro QUESNELLO: qui quidem bibliothecas poſſunt implere, & ſunt numero infiniti.

B §. V.

cipes de nôtre Foi peuvent s'accorder avec les principes de la Religion Anglicane. On y avançoit, que, ſans alterer l'integrité du Dogme, on peut abolir la confeſsion auriculaire, & ne plus parler de tranſubſtantiation dans le Sacrement de l'Euchariſtie, anéantir les vœux de Religion, permettre le mariage des Prêtres, retrancher le jeûne, & l'abſtinence du Carême, ſe paſſer du Pape, & n'avoir plus ni commerce avec lui, ni egard pour ſes Deciſions.

(15.) Damnata eſt Bibliotheca DUPINII à pluribus Galliæ Epiſcopis; nominatim ab Illuſt. DE HARLAY Archi-Epiſcopo Pariſino 16. April. 1693. tanquam *continens plures propoſitiones falſas, temerarias, ſcandaloſas, offenſionem ingerentes piis auribus, tendentes ad Traditionis everſionem ſuper auctoritate librorum Canonicorum, pluribusque aliis Fidei Articulis; injurioſas Conciliis œcumenicis, Sacræ Sedi Apoſtolicæ, & Patribus Eccleſiæ, erroneas, & reſpective inducentes ad hæreſes.*

§. V.

Doctrina Launoii.

I. JOANNES LAUNOIUS (de hoc enim restat, ut dicam) in eadem opinione, immo hæresi fuit. Sane est ejus, a quo sunt editi illius opera, scriptoris anonymi hoc de illo testimonium: " *scripsisse LAUNOIUM ea ætate, qua admodum timide fuerint tractandæ quæstiones istæ delicatæ ob proscriptam RICHERII doctrinam, quippe qui constitutos fines sustulisse nonnullis visus sit: Quocirca ne nomen quidem hujus celeberrimi Doctoris appellare ausum fuisse LAUNOIUM, ne RICHERISMI nota sibi aspergeretur: sed dexteritate & industria quadam fuisse usum.*" (16) Siccine? quod & Episcopi, & Senatus & Sorbona proscripserant, hoc ille virus dexteritate atque industria instillabat?

II. Quod alterum sit; idem Anonymus de epistola quinta LAUNOII ad VALLANTIUM, quæ est ipsissima, ad quam dimittimur ab JUSTINO FEBRONIO, his verbis lectorem instruit: " *Intricata admodum agitatur quæstio, an Claves, seu ligandi & solvendi potestas,* PRIMO ET IMMEDIATE ECCLESIÆ CORPORI *in persona Petri concessæ sint, adeo ut sacerdotium* IN TOTO CORPORE ECCLESIÆ *resideat, exercendum a nonnullis, qui e toto Corpore eligantur, & quibus ritu quodam sacro vel Diaconatus vel Episcopatus officium dicetur?* Subjungit autem:

(16.) In præfatione ad Tom. V. partem 1. pag. 1. Ignoro autem sane, quid sibi velit, quod addit Anonymus: *ut Gallicanæ Ecclesiæ libertates Richerii damnatione tantillum debilitatas veneranda Ecclesiæ traditione, tanquam firmissimo clypeo obtegeret ac tutaretur.* Quid? Libertatibus igitur Gallicanæ Ecclesiæ præjudicium erat factum damnatione RICHERII? Immo damnatus est liber diserte hac adposita clausula: *Salvis Juribus Regis, & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.* Vid. BRIETIUM Tom. VII. p. 498. Nec etiam verum est, in libertatibus illis vindicandis versatum timide LAUNOIUM Eæ enim sunt; ne Romanus Pontifex infallibilis credatur; ut generali Concilio subjiciatur, ut ad servandos Canones adstringatur, ne in regna juraque Principum potestatem habeat. Quæ quidem quatuor adeo non timide prosecutus est in suis epistolis *Launoius*, ut vehementior illo potius nemo in pertractandis, ac prope dixerim, nemo furiosior fuerit. Quam igitur timide instillabat, pars ea fuit doctrinæ *Richerii*, quæ *Richerismus* etiamnum in Gallia dicitur.

autem: *Cum in ea epistola totus sit in vindicandis nonnullorum Patrum testimoniis, quæ NOVITIÆ & POLITICÆ opinioni suffragari videntur, nobis in his immorari FAS NON EST.*" (17) Cedo, quæ illa NOVITIA, quæ POLITICA opinio, nisi RICHERII commentum turpe? quod iste ut spargeret, ex politica factum causa, (18) rumor fuit: & quæcunque huc eum impulerit ratio, non minus ad regni quam ad Ecclesiæ communem perniciem scripsit, & perhorrescunt quotquot catholice in Gallia ac pie sentiunt.

III. Jam ille etiam, de quo modo loquebar, DUPINIUS ad LAUNOIUM nos ablegat: quod & QUESNELLUS facit, aut, quisquis est auctor libri OBSERVATIONUM: HEXAPLORUM vero consarcinator a capite ad calcem propemodum LAUNOIUM descripsit. Quid ita? sine causa hoc eos fecisse? At ego legenti epistolam LAUNOII esse causam puto perspicuam: cumque ab innumeris refutati QUESNELLUS ET QUESNELLIANI sint; qui calumniæ in Launoium eos postulaverit, nemo fuit.

IV. Immovero est in fronte, est in visceribus epistolæ, ejus scriptæ damnatio. Dixerat MARTINUS LUTHERUS in Libro *de Babylonica Captivitate*, neque Pontificem, neque Episcopos Jurisdictionem obtinere ullam in Christianum populum, ac neque legibus onerari Christianos posse, neque plecti contumaces, nisi de fidelium consensu (19). Quem inter primos Novatoris errores damnavit Parisina Universitas anno MDXXI: tum vero anno MDXLII inter orthodoxæ doctrinæ capita posuit: *eodem veritatis fundamento recipiendum, potestatem excommunicandi esse de JURE DIVINO; IMMEDIATE A CHRISTO Ecclesiæ concessam, & ob id magnopere timendas esse censuras.* Existimo hominum fore neminem adeo cæcum, quin, quod ibidem sic ponitur: IMMEDIA-

 TE

(17.) Ibid. pag. XVIII.

(18.) Edidit libellum suum *Richerius* anno altero, ex quo e vivis *Henricus* IV. decesserat. Jam hunc constat a Summo Pontifice impetrasse, ut declararetur nullum matrimonium, quod cum *Margareta Valesia* contraxerat, junxisseque alteram sibi *Francisci Medicæi* magni Etruriæ Ducis filiam, quæ anno MDC. initis cum *Henrico* nuptiis, *Ludovicum* XIII. Galliæ Principem sequente anno MDCI. peperit. Rumor igitur fuit, nec is forsan de vano, *Richerium* instinctu Principis *Condæi* elucubrasse opusculum suum. Qui enim Pontificis hoc modo potestatem depresserat, is eadem opera & matrimonium illud secundum *Henrici*, & natales legitimos *Ludovici* Principis, futuri Regis sollicitarat.

(19.) *Lutherus* L. de Capt. Babyl. Tom. II. operum Latin. pag. 282.

TE A CHRISTO, vocabulum IMMEDIATE non ad Ecclesiam, sed ad Christum referri videat ex mente Magistrorum illorum: ut id scilicet, quod proxime dictum fuerat, explicetur, excommunicandi potestatem non populi comparatam arbitrio, sed *jure divino*, hoc est, voluntate judicioque Christi esse commissam. Ad hæc *Ecclesiæ* vocabulum non ibi *universitatem fidelium*, sed Pontifices & Episcopos significare. Nam hos impetierat LUTHERUS suo Articulo, & solet Ecclesiastico usu vox illa sic accipi: tum si aliter intelligas, non impugnasse isti quidem, sed defendisse doctrinam LUTHERI censendi erunt: utpote, qui id maxime voluit, penes multitudinem esse claves, non penes pastores tantum repositas.

Vide nunc dexteritatem, imo vero versutiam fraudemque hominis! Interpretatur intelligitque sic ille enunciationem Majorum suorum, velut si vocum translatione facta, hoc modo decressent: *Excommunicandi potestas IMMEDIATE ECCLESIÆ a Christo data est:* Ecclesiam vero *universitatem fidelium* interpretatur exemplo RICHERII. (20)

Quod ultimum ne ego temere videar fingere, tametsi est supra jam tum ostensum, quis homini animus fuerit: cupio oculos mentemque suam unumquemque in epistolam ipsam defigere. Etenim postquam κϱινομενον suum abscisse, atque ut solent, qui timidius de re quapiam scribunt, perplexe obscureque fixerat: continuo rem se novam, atque iis etiam, qui SORBONÆ alioquin addicti placitis sint, minus expeditam, & obviam reseraturum spondet. " *Nam stare quidem illos suæ judicio scholæ & summum Pontificem subjectum Generali Concilio credere: sed hærere tamen ac tergiversari, cum Claves Ecclesiæ a Christo traditas audiunt. Pugnare itaque eos secum, neque advertere, quam conjuncta illa inter se sint, alterumque sequatur ex altero. Id ipsos adeo Parisinæ scholæ adversarios, Theologosque exteros subodoratos, velut* Dominicum SOTUM, *&* Martinum NAVARRUM." Tum in probationes ingressus, quæ quidem ridiculæ, multumque ineptæ sunt, ac perfunctus malo otio, postquam quindecim folia sola testium commemoratione impleverat, concludit Epistolam, & VALLANTIUM alloquens suum, *si*, inquit, *omnes tibi similes essent, & tam acute philosopharentur, ac tu philosophari soles; ex se ipsis necessariam rei consecutionem facile perspicerent nec ἀνακολȣθωσ tam sæpe differerent. SED NON OMNIBUS ADIRE CORINTHUM LICET.*

Heus

(20.) Vid. ipsam epist. ad *Vallantium* Edit. Coloniæ Allobrogum pag. 213. l. ab initio. Est enim prolixior locus, quam ut adscribendus videatur.

Heus viri! quis ille ſtipes Pariſinæ Scholæ, quis ille fungus unquam extitit, qui tametſi Pontificem Concilio obnoxium crederet; Eccleſiæ tamen, *ut ex Epiſcopis ea conſtat*, *immediatè* a Chriſto Claves eſſe traditas negarit? atqui neque fuit, neque potuit eſſe tam quiſpiam a cerebro vacuus: ſed eſt e contra pro axiomate iſtud Gallis, Epiſcopos a ſolo Chriſto jurisdictionem ſuam ſortiri. Quocirca inferunt; tametſi minores ſint *ſinguli* ſummo Pontifice; *collecti* tamen, inque unum congregati locum, majorem illo auctoritatem obtinent. Et ex adverſo ſi a Pontifice manaret auctoritas jurisdictioque omnis Epiſcoporum, ſenatum quidem referre ii ſummi Antiſtitis poſſent; jubere autem & finire legibus majeſtatem ejus non poſſent.

Ecquorſum conatus igitur ille LAUNOII? quorſum clamor? quorſum laterum ea contentio, ut ECCLESIÆ a Chriſto claves eſſe traditas, Sorbonam doceat? Credo lucem adeo claram non eſſe, ac eſt hoc: *Eccleſiæ* nomine non illum Epiſcopos, quos CORPUS PASTORUM alioquin aut REGENTEM ECCLESIAM dicimus, ſed UNIVERSITATEM intelligere ex Clericis, LAICISQUE conſtantem. Hoc hoc illud eſt dogma, quod ut ad Eccleſiæ & regni excogitatum perniciem averſabantur catholici Magiſtri. Hoc iſte falſo & nequiter permiſcere cum ſcholæ placitis ſtuduit.

V. Sed intro magis. Inter teſtes ac vindices pronunciati ſui LAUNOIUS TERTULLIANUM in primo agmine collocavit. Qui in eo, quem de caſtitate conſcripſit libro, cum a ſecundis nuptiis non minus Laicos, quam ſacris addictos functionibus abſterrere vellet; perplexum exaggeratumque poſuit quiddam pro ſuo more: ut & Laicos ſacerdotes velle facere videatur, & utrumque ordinem ſola Eccleſiæ authoritate conſtitutum dicere. Verba Tertulliani: *Vani erimus, ſi putaverimus, quod ſacerdotibus non licet, Laicis licere. Nonne & Laici ſacerdotes ſumus? ſcriptum eſt: REGNUM QUOQUE NOS ET SACERDOTES DEO ET PATRI SUO FECIT. Differentiam inter Ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas & honor ordinis per conſeſſum ſanctificatus a Deo. Ubi Eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus; & offers & tingis, & ſacerdos es tibi ſolus. Sed ubi tres; Eccleſia eſt, licet Laici. Unusquisque enim ſua fide vivit, nec eſt perſonarum acceptio apud Deum: quoniam non auditores legis juſtificabuntur a Deo, ſed factores, ſecundum quod & Apoſtolus dicit. Igitur ſi habes jus ſacerdotis in temetipſo, ubi neceſſe eſt; habeas etiam oportet diſciplinam ſacerdotis, ubi neceſſe ſit habere jus ſacerdotis. Digamus tinguis? Digamus offers? quanto magis laico capitale eſt agere pro ſacerdote, cum ipſi ſacerdoti digamo facto auferatur agere pro ſacerdote.*

Mentiar, nisi ipsissimus hic ille sit locus, quo Lutherani Calvinianique, & quotquot καθαροι apud Anglos censentur, & si qui sunt alii, abuti adversum nos solent, ut Christianos sacerdotes esse omnes probent. Potuit autem non nisi duplex in eo significatus a LAUNOIO attendi. Prior, ut eatenus sacerdotes esse omnes Christiani atque dici censeantur, quatenus qui baptismo initiati, Ecclesiæque facti sunt membra, idonei hoc ipso sint, ut sacerdotes etiam fiant. Fiant autem non sine electione Cleri, ac populi: qua posita, ubi manuum impositio, cæterique definiti ac pacti a Deo modi ac sacri ritus accesserint, non jam a populo, sed ab ipsomet Christo potestatem accipiant conficiendi sacra mysteria, sicut & jurisdictionem, claviumque usum aut expeditum, aut ab Episcopi voluntate suspensum. Atque hic sane sensus Catholicus est. Quid autem? LAUNOIUS hunc velle potuit? Minime id quidem. Nam & trimuli in scholis ista didicimus, & quotidiano usu ita rem fieri apud Catholicos videmus. Certe BELLARMINUM, in quem sævit, ac detonat, adversarium hac ex parte non habuit, neque Magistrorum, ut arbitror, ex Sorbona & Collegarum suorum quempiam. Non igitur, non nisi amens ac furens folia quindecim turpare, ut rem adeo certam contestatamque persuaderet, potuit.

Quo ergo spectabat? Quid TERTULLIANUS in fronte exercitus? TERTULLIANUS, inquam, de Laicis Laicorumque sacerdotio disputans? Ego quidem eruditos omnes provoco, edicant, definiantque ii mihi, siquid voluerit aut potuerit velle aliud iste scriptor, quam sacerdotium ipsum, hoc est, consecrandi conficiendique Dominici Corporis, & totam Clavium potestatem, vere, proprie, *actuque*, & ut in scholis dicimus, *formaliter* in Communitate hærere ipsa atque in plebe, tametsi functio exercitiumque illius potestatis non nisi quibusdam, ordinis regiminisque bene ominati causa deputetur. In quo non RICHERISMUM ille modo, quantus quantus est, eporavit, verum superavit etiam EDMUNDUM RICHERIUM, atque ad LUTHERI CALVINIque castra prorsus descivit. Nam quod catholice nos alioquin TERTULIANUM hoc modo exponimus, superjectione usum fuisse nimis audaci, ac non eum de sacerdotio, sed de adumbratione, & imitatione quadam loqui sacerdotii; quod Christiani scilicet persecutionum tempore Eucharistiam habere domi secum consueverint: id est nihil prorsus ad LAUNOII scopum; quippe qui *Claves* esse Ecclesiæ immediate traditas probare voluit: sumptio autem comestioque oblati & confecti jam tum Dominici Corporis neque Clavium venit nomine, neque in partibus censetur Ecclesiasticæ sacerdotalisque potestatis.

VI. Ut hoc etiam addam; sunt aliunde Launoii scripta ad Jansenianam omnino maledicentiam composita. Quamvis de gratia vero non idem

cum

cum Janſeniſtis ſenſerit: amiciſſimus tamen iſtorum fuit. Quod ex eo colligas, quoniam Academicorum collegio maluit excedere, quam ſe adigi pateretur, ut cenſuræ ſubſcriberet duarum ARNALDI Propoſitionum, quarum alteram pro *temeraria*, *impia*, *blaſphema*, *anathemate damnata & hæretica* Sorbona proſcripſit anno MDCLVI in generalibus comitiis; alteram pro *temeraria* item *ſcandaloſa*, *injurioſa ſummo Pontifici & Epiſcopis Galliæ*, *atque etiam præbente occaſionem renovandæ ex integro poſt damnationem doctrinæ Janſenii.* (21)

ARTICULUS II.

FEBRONIUM POPULARE IN ECCLESIAM REGIMEN INVEXISSE, CONTRA AC JURAT IPSE ET PEJERAT, ARGUMENTIS NON MINUS SEPTEM EVINCITUR.

Imum ex verbis petitur, quibus doctrinam ſuam proponit. IIdum IIIium & IVtum ex modo, quo probat. Vtum ex comparatione cæterorum libri capitum tum inter ſe, tum cum iis, quæ Janſenianæ ſectæ principes tradiderunt. VItum ex comparatione argumentorum Febronii cum argumentis, quibus utitur Hexaplorum auctor ad defendendam Paſchaſii Quesnelli damnatam propoſitionem nonageſimam. VIImum ex deſpoliatione Dupinii atque Launoii. Evertitur effugium, & confirmatur demonſtratio. Univerſe Febronium ſuamet confeſſione reum hæreſis eſſe concluditur. His

(21.) Libet adſcribere propoſitiones, ut ex errore defenſo judicium de defenſore capiat imperitus rerum iſtarum Lector. Secunda, quam nos priorem poſuimus, hæc erat: *Veritatem eſſe tum ex Scripturis, tum ex SS. Patribus indubitatam, atque in perſona S. Petri manifeſtam, gratiam ſcilicet, ſine qua nihil poſſumus, juſto defuiſſe in ea occaſione, in qua dici non poteſt, quod non peccaverit.* Altera: *Quinque propoſitiones Janſenii nec eſſe in Janſenio, nec ejus ſenſu damnatas fuiſſe, adeoque circa partem illam Apoſtolicæ Conſtitutionis ſufficere religioſum ſilentium.*

Additur in Cenſura, neminem poſthac aut a Doctoribus ad Comitia, & alia quælibet jura, aut e Baccalaureis ad alios actus Theologicos admiſſum iri, niſi ante huic cenſuræ ſubſcripſerit. Atque ſiquis *Arnaldi* ſuperiora illa approbare, aſſerere, docere, prædicare, ſcribere auſus ſit, eum ab eadem Facultate prorſus repellendum eſſe. Decretum inſuper, hanc cenſuram prælo mandandam eſſe, ut omnes intelligant, quantum Facultas EXITIALEM ILLAM AC PESTILENTEM DOCTRINAM EXECRETUR AC DETESTETUR.

His de RICHERIO imitatorumque ejus perversa doctrina paululum explicatis, nunc ad illud venio, cui probando ac demonstrando tota superioris articuli oratione viam munivimus. Nobis id propositum fuit ostendere, FEBRONIUM *suamet confessione* prolapsum esse in *Hæresin*. Quod est: cum agnoscat ac fateatur ipse verbis significantibus, haud licere per Catholicam fidem Democraticum ac populare a Christo regimen Ecclesiæ institutum dicere: tum hoc ipsum vero neminem magis, quam Justinum Febronium docuisse. Neminem inquam magis. Quod argumentis non amplius septem conficiam, si tamen pro jure meo prius aliquid sumpsero, quod negare puto neminem posse: reciprocari inter se scilicet: *de fide Catholica* esse rem quampiam; & esse, quod huic opponitur, *Hæreticum*: ut qui adeo prudens ac sciens in fidem catholicam offenderit, hæreticus sit hoc ipso: sin præ stupore fecerit & oscitantia; hæreticus, nisi resipiscat, fiat.

Quare cum ut confessio verbaque sunt ipsa hominis, *de fide catholica istud sit, haud esse Democraticam Ecclesiæ formam, neque Aristocraticam simplicem:* (1) horum si nihilominus ab eo primum & admissum revera esse, & defensum tota animi atque virium contentione, probavero; evici profecto causam. Quanquam non ille primum tantum ex duobus, sed utrumque revera posuit. Itaque utroque nomine hæreseos ipse notam sibi descripsit: estque hæc illa vertigo & inconstantia prodigio similis, de qua in Præfatione dixi: cum quid sit consequens, nunquam attendat, resque adeo pugnantes, immo tantum, quantum *ajo* & *nego*, sibi oppositas in librum scriptionemque unam includat. Verum de hoc ejus peccato erit postea locus dicendi: nunc quod institui agam, atque ea lege quidem, ut nisi ad evidentiam perducta res fuerit, ac τὸ ἐπιςημονικὸν, patiar actum esse de meis lucubrationibus, neque boni quippiam deinceps aut veri scripserim.

§. I.

Argumentum I.

Ex verbis, quibus proponit suam doctrinam Febronius.

I. Est autem, ad quem redeundum est, locus statim in initio *libri singularis*: cujus in primo capite, paragrapho sexto, ubi fundamentum ædificii struitur, tale adscribitur lemma: *Potestas clavium UNIVERSITATI Eccle-*

(1.) In vindiciis contra P. *Josephum Kleiner*, quæ est 3. appendix in Edit. anni 1765, Pag. 42.

Ecclesiæ a Christo data est. Illam hæc per MINISTROS SUOS exercet: INTER QUOS Romanus Pontifex primarius quidem est: nihilo tamen minus UNIVERSITATI subordinatus. Tum explicatio hujus lemmatis sequitur: *Quando probavimus, non unum Petrum esse fundamentum Ecclesiæ, neque illi soli traditas esse claves cum potestate solvendi atque ligandi: illud volebamus & debebamus inferre: Petrum solum non esse SUBJECTUM IMMEDIATUM POTESTATIS ECCLESIASTICÆ; sed clavium potestatem UNIVERSITATI Ecclesiæ PROPRIE & ita transcriptam esse, ut illa per ejus MINISTROS PRO SUA CUJUSQUE PORTIONE, ac INTER HOS per summum Pontificem exerceatur.* Atque inferius: *Cum itaque Ecclesia ipsa PRINCIPALITER ac RADICALITER obtineat potestatem Clavium, quæ ab illa in OMNES ejus MINISTROS, ipsumque summum Pontificem derivatur, & SINGULIS QUIBUSQUE PRO SUA PORTIONE communicetur.*

II. Nondum ultra progrediar; sed heic hærebo tantisper. Est primum hoc evidens, neque inficiari FEBRONIUS volet: cum *Ministros* appellat, interque eos summum Pontificem; Ministrorum nomine Episcopos ac Sacerdotes abs se intelligi. Jam id etiam scio, *Ecclesiæ* vocabulum ad solos Presbyteros atque Pastores a sanctis Patribus, & a Conciliis, & a Magistris scholarum constringi solere. Quod & tum faciunt, cum *universalem* eam appellant, hoc est, quæ, quod sit fusa per terrarum orbem, ideo universalis, aut catholica nominatur. Sic S. Gregorius: *quod antiquis*, inquit, *nusquam dicitur, modo universali Ecclesiæ dicitur: quodcunque ligaveris super terram.* Quorum est iste sensus: peccatorum remittendorum potestatem, quæ neque Moysi, neque Prophetis concessa unquam fuit, eam Novi Testamenti & Catholicæ Ecclesiæ Sacerdotibus a Christo traditam esse. Quamobrem qui in *Ecclesia* esse Claves, aut *Ecclesiæ* datas Claves esse a Christo dicit, damnandus is minime est, sed vere atque ex usu loquitur.

III. Hoc quæro, ac de eo hominum communem sensum adpello, cum ECCLESIAM quis, SACERDOTESque illius inter se comparat, disjungitque ac discernit invicem: cum sacerdotes MINISTROS hujus Ecclesiæ simpliciter, & universe nominat; cum non *universalem* Ecclesiam, sed UNIVERSITATEM dicit; cum demum sic: jurisdictionem UNIVERSITATI huic inesse PRIMARIO, PROPRIE ac PRINCIPALITER, atque hanc in Ministros illam suos transferre, partirique inter eos, & PORTIONEM cuique suam describere, id est, suam

Presbyteris, ſuam Epiſcopis, ſuam Pontifici, ſuam omnibus, ſuam ſingulis: hoc, inquam, quæro, quis naturalis, quis obvius, quis quaſi natus nobiſcum ſignificatus verborum iſtorum cenſeri debeat? Poſſumne, cum ea lego, quin multitudinem continuo intelligam ex LAICIS conſtantem ac CLERICIS, qua Chriſtiani omnes ſunt, ejusdemque Chriſti & fidei ac ſacramentorum ejus communione cenſentur? Poſſumne, quin REIPUBLICÆ ſtatim animo facies ſuccurrat?

IV. Quod ſi non eſt, ut ego contendo, ac ſi non hoc iſte voluit, Claves MULTITUDINI eſſe commiſſas: cedo! quæ UNIVERSITAS igitur eſt, de qua loquitur? qui MINISTRI? Reſtat, Sacerdotibus tantum, ſed *in commune* commiſſas dixerit? Id vero tametſi falſum ſit, ut modo accipiam: negare igitur non poteſt, ideo *Paſtorum univerſitati* eſſe commiſſas, quia Paſtores ſunt inauguratione ſua, atque ſub ea tantum, qua Paſtores ac Sacerdotes ſunt, ratione. Jam iidem vero ſinguli, cum poteſtatem pro ſe quique illam exercent, ideo pariter tantum exercent, quia Sacerdotes ſua inauguratione ſunt, atque exercendo eam, ſacerdotio funguntur ſuo. Non igitur poſſunt ſacerdotes Miniſtri eſſe univerſitatis ſacerdotum. Non inquam poſſunt, in quantum Clavium poteſtatem exercent: non enim Miniſter eſſe aliquis ſub eadem, qua eſt princeps, ratione poteſt. Quare ſi Miniſtri nihilominus univerſitatis alicujus ſint; alterius ſint oportet. Ea vero præter *fidelium omnium* univerſitatem nulla penitus in mundo Chriſtiano eſt.

§. II.

Argumentum II. III. IV.

Ex rationibus a Febronio adhibitis.

I. Sed erit plebejo hoc iſti, & ad deſcribendum duntaxat nato fortaſſe ſubtilius. Age itaque, quorſum inter teſtes ſuæ doctrinæ ac vindices Bedam collocavit, ſententiamque protulit: *OMNI igitur Electorum ECCLESIÆ juxta modum culparum & pænitentiæ ligandi, atque ſolvendi datur auctoritas*? Quorſum magnis Characteribus vocabula hæc ſcripſit duo: *omni Eccleſiæ*? Atque BEDAM quidem conſtat S. AUGUSTINUM imitatum hoc loco fuiſſe: & id unum voluiſſe, poſſe quemlibet

bet Christianum probum ac pium suis precibus conferre multum ad impetrandam a Deo veniam flagitiosis hominibus: qui est *accommodatitius* scripturæ sensus, & familiaris iis, quorum est munus, ad hominum mores informandos descendere. Sed de Clavibus, quatenus jurisdictionem significant, nihil heic loquitur BEDA: FEBRONIO autem de jurisdictione toto paragrapho sermo est. Cum igitur *omni Electorum Ecclesiæ* hanc esse propriam ex BEDA sciscit, atque ut ne oculos forte attentionemque lectoris res ea fugeret, literarum adhibet discrimen: profecto nisi dormiens scripserit, habere aliud objectum animo non potuit, quam esse MULTITUDINI factam Clavium a Christo potestatem. Non enim, qui OMNEM ELECTORUM ECCLESIAM dicit, solos sacerdotes, sed fideles quosvis intelligit. Atque sic etiam BEDA intellexit, & quotidianus loquendi usus demonstrat. Quanquam quid BEDA senserit, exponam infra adcuratius.

II. Inter argumenta, quibus ostentat se Noster, est etiam ex Tridentino sumptus locus sessione XIV. capite V, ubi synodus ait: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit.* HIC, inquit, ECCLESIA DISTINGUITUR A CONCILIO. Ac sessione XXV. in decreto de Purgatorio: *Cum Ecclesia Catholica a spiritu sancto edocta in hac oecumenica synodo docuerit Purgatorium esse.* HIC QUOQUE, ait, *Ecclesia* DISTINGUITUR A CONCILIO TANQUAM REPRÆSENTANS A REPRÆSENTATO. Ut solæcismum, in quem est inductus, ei condonem (non enim ab Ecclesia Concilium repræsentari dicimus, sicut nec a regno comitium, sed vicissim) quis non videat ac palpet manibus, ut ita loquar quæ Ecclesia, quæ universitas sit illa Febroniano depicta cerebro, cui Claves a Christo traditæ sint? Nam Episcopale quidem corpus, quæ est *regens* ac *docens Ecclesia*, nunquam magis in sese ipsum colligi, explicareque procurationem ac potestatem suam potest, quam in generali & œcumenica synodo: atque ut ineptissimus quis esse voluerit, tam ineptum opinor non fore, ut quod in Concilio Episcopi congregati faciunt, id potestate dicat eos non sua facere, sed ab iis accepta præsulibus, qui domi hæserint: quo nihil stultius, neque alienum magis ab humano captu ac sensu cogitari possit. Quamobrem si vel ipsum Episcopale Corpus, cum est collectum adunatumque in se, ut maxime potuit, ab alterius tamen auctoritate beneficioque pendet, ac neque Clavium potest dici *immediatum subjectum* neque *proprie ac principaliter* eas gerit, sed ministerium obit, atque vice ac loco fungitur: profecto id, a quo pendet, Episcopale ipsum Corpus esse non potest. Quodnam igitur? Nam quidquid in Ecclesia est, si ab sacerdotali discesseris ordine ac gradu, ad plebem aut

populum referri debet. Eſt igitur plebs, eſt populus, eſt multitudo, atque ſunt omnes, qui Chriſtiano cenſentur nomine, ad quos Claves pertineant: hi in Conciliis jus dicunt, hi leges ſanciunt, hi figunt dogmata, damnant hæreſes. Nega conſecutionem! nega, ſi potes!

III. Quod ſequitur, magis populare eſt. Sunt Apoſtoli ad COLOSSENSES ſcribentis hæc verba: *Pro Corpore ejus, quod eſt Eccleſia, cujus factus ſum ego MINISTER.* Sed addit ſtatim, nulloque aut commatis, aut voculæ alicujus interpoſitu: SECUNDUM DISPENSATIONEM DEI, QUÆ DATA EST MIHI IN VOS, UT IMPLEAM VERBUM DEI, MYSTERIUM, QUOD ABSCONDITUM FUIT A SÆCULIS. Quæ ſane poſteriora, ſi prioribus, ut ſunt, connexa, & in eandem incluſa ſententiam legas ac repræſentes: ſtatim omnes cognoſcent, vocare *miniſtrum* ſe Paulum, non quod Clavium, docendique, ac corripiendi poteſtatem a Coloſſenſibus acceperit, quod ille prodigium inſani dogmatis repellit potius ac præfocat his verbis: καὶα την οἰκονομιαν τϰ Θεϰ, την δοθεισαν μοι εἰς ὑμασ. Verum altero uſitatoque in ſacris ſcripturis ſenſu: ac quo etiam Chriſtus *Circumciſionis* alicubi *miniſter* dictus eſt: quoniam doctrinam, prodigiorumque vim effectricem atque vitam & ſanguinem ſuum Judæis impendit. Et hoc modo etiam Paulus ad Coloſſenſes in iſto loco, *nunc*, inquit, *gaudeo in paſſionibus meis pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro Corpore ejus, quod eſt Eccleſia, cujus factus ſum ego miniſter.*

Eſt inquam, hæc Pauli perſpicua claraque ſententia. Sed Juriſconſultus mulctavit eam poſteriore ac ſumme neceſſaria ſui parte. Cujus nulla mihi, ut vim maxime inferam, ſuccurrit ratio, quam quod eſſe veritus videatur, ne ſi, ut erat, locum deſcriberet, ſtatim omnes intelligerent, a ſolo Deo, non ab homine poteſtate ſua Paulum impertitum. Id quod quovis non ille pretio conceſſerit. Scribit enim: ECCLESIÆ CONCEDUNTUR CLAVES: QUOCIRCA ET EPISCOPI AC PASTORES IN USU CLAVIUM NUNQUAM NON SE AGNOVERUNT MINISTROS ECCLESIÆ EXEMPLO PAULI APOSTOLI SCRIBENTIS AD COLOSSENSES: *Pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia, cujus factus ſum ego Miniſter.* Ex quo ipſo argumentum nobis ſubnaſcitur ad demonſtrationem ſuperioribus non minus evidens. Nam Paulus de ea loquitur Eccleſia, quæ Corpus Chriſti eſt: illa autem ex omnibus Chriſtianis conſtat. Quid? quod ad Coloſſenſes nominatim ſermonem refert. Quare ſi, quod iſtorum, Eccleſiæque miniſtrum ſe vocet Paulus, ex eo id conſequens eſſe FEBRONIUS facit, ut juriſdictionem quoque

&

& potestatem Clavium ab Ecclesia acceperit: certe promiscue Ecclesiam sumat necesse est, atque ut Christianos ea omnes, ipsamque plebem, & etiam fœminas complectitur. Nam istis & omnibus & singulis se Apostolus devovit, ministerque omnium ac singulorum fuit.

§. III.

Argumentum V.

Ex comparatione cæterorum libri capitum tum inter se, tum cum iis, quæ Jansenianæ sectæ Principes tradiderunt.

I. Memini supra me dicere, Jansenistarum cor & jecur sub Richeriana recondi scabie. Nec vero causam hujus eorum consilii determinare arduum est. Cum enim toties a summis Pontificibus, & a Præsulibus orbis terrarum, atque Galliæ comprimis damnatos & anathemate perculsos se viderent: quod esse certius, quam in multitudine perfugium poterat? Est enim robusta res turba, ut quidam ait, & natura insolens: atque haud aliter, quam velut mare quoddam, sententiarum impelli tempestate in partem, quam volueris, potest. Itaque omnes statim in id nervi ab illis contenti sunt, ut quam citissime in omnium animos virus pervaderet. Ac sunt innumeri, qui provinciam in se illam susceperunt; ex quibus si petulantiores hoc loco aliquos adduxero; faciam eo, ut omnes intelligant ne audacissimis concessisse Febronium: atque esse tantum in illo genere eum consecutum, quantum ex principibus etiam sectæ quisquam alius.

II. Auctor libri *DE EVERSIS LIBERTATIBUS* hoc modo pronuntiat: SUNT PRIMI PASTORES, PER QUOS ECCLESIA SUA POTESTATE, QUAM ACCEPIT, FUNGITUR. VERUM SI INTER IPSOS PASTORES FUERIT ORTA DISSENSIO; TU ILLOS AUDI, ATQUE IIS TE ADJUNGE, QUORUM EST CORPORIS ASSENSIONE FIRMATUM JUDICIUM. Cujus autem Corporis? NON, inquit, SOLI PASTORES, SED OMNES JUSTI, OMNES FIDELES SUNT, QUI SPONSAM JESU CHRISTI, QUI MATREM EAM CONSTITUANT, QUÆ INFANTES NOS TOTA OMNES, TOTA SINGULOS PARIT. TOTA IGITUR ECCLESIA, HOC

relata, ut refutarem, retegeremque virus; id enim postea opportune faciam: tametsi ex sese sit malum conspicuum, & in oculos cadat: sed ut fructum atque exitum ostenderem Richerianæ vertiginis, & quemadmodum telam, quam exorsus imprudentissime RICHERIUS fuerat, ad finem isti, ultimumque sic quasi nodum suum perduxerint.

IV. Quodsi nunc, quantum ad hæc pariter est capita, FEBRONIUM nec latum unguem a præclaris Magistris suis discessisse probavero: eritne, qui dubitare possit, quo ille sensu *Ecclesiæ* esse a Christo claves commissas ac traditas dixerit? Nihil autem heic agam, quam ut sententias ipsas hominis simpliciter ac sine commentariis meis adscribam: quas quisquis legerit, si cum iis, quas modo retuli, contenderit, statim fatebitur, nihil a me verius potuisse dici. Sedes facinoris est in capite sexto, quod de *Conciliis* inscribitur, imprimis autem in octavo Paragrapho.

" Agnoscunt, inquit, ECCLESIÆ SINGULÆ suam in Papæ Enunciato fidem, perinde ac si omnes definitioni particularis cujusdam synodi adhærentes, suam in illa profiterentur? utroque casu SI VEL SIC OMNIA TRANQUILLA PERDURENT, obtinebit Dogma, vim ultimam & ineluctabilem unitate & consensione constare: neque illud quidem ex solo Episcoporum accessu, SED EX UNIVERSORUM FIDE FIDELIUM, quæ deficere non potest.

" Cum de universali seu catholica Traditione agitur, imprimis constat, eam a nullo particulari seu singulari homine, qualis is cunque sit, petendam esse. Deinde singuli Ecclesiæ Pastores & Rectores extra Concilium veritatum revelatarum, RESPECTU UNIVERSALIS ECCLESIÆ, sunt tantum pro sua quisque parte CUSTODES ET TESTES.

" Promissum Christi, inquient, de infallibilitate omni die impleri debet? Recte hæc & verissime de CORPORE ECCLESIÆ; SED

" NEGA-

Et hujus quidem hæc verba sunt: *Nos Archiepiscopi, Episcopi, aliique Ecclesiastici viri Parisiis congregati, pronuntiamus doctrinam in libro, qui inscribitur* DU TEMOIGNAGE DE LA VERITE, *edito sine nomine Autoris & typographi anno* 1714. *contentam, totoque passim opere disseminatam, esse seditiosam, temerariam, scandalosam, eaque subverti ordinem a Christo Domino in Ecclesia regenda institutum, eandem injuriosam sanctæ Sedi Apostolicæ & Episcopis; falsam, erroneam, schismaticam & hæreticam atque a cunctis fidelibus rejiciendam. Datum in Comitiis generalibus Lutetiæ Parisiorum die Octob.* 29. *anni* 1715. Doctrina, quam ita configunt, non alia memoratur in Decreto, quam quæ a nobis est jamjam exposita.

" NEGAMUS, hoc extra Concilium CONSTITUI AUT LEGITI-
" ME REPRÆSENTARI A PAPA ET SOLIS EPISCOPIS. Au-
" thoritas Ecclesiæ Catholicæ, inquit Gratianus, succedentium sibi Epi-
" scoporum serie & POPULORUM CONSENSIONE firmatur.
" Est Christus sane & manebit cum PRIMIS PASTORIBUS, ut per
" quemvis eorum servetur fidei puritas atque integritas, & in ea rite in-
" stituatur grex, qui PER SE LOQUENDO vocem sui pastoris audire
" debet. Sed NEC MINUS suo lumine adest PASTORIBUS SECUN-
" DI ORDINIS. Nec ipsis quidem LAICIS (quanquam ii ad nullam
" Ecclesiasticorum Conciliorum & Judiciorum speciem pertinere noscan-
" tur) gratia Christi deest ad fideliter custodiendum fidei depositum.
" Horum omnium neque pauci, neque multi infallibilitate gaudent, sed
" ut diximus, Corpus ipsum ex JAM ENUNCIATIS MEMBRIS
" COMPOSITUM.

" Episcopi neque SOLI sunt in Ecclesia Doctores, neque SOLI custo-
" des fidei, neque SOLI extra Concilium universalem Ecclesiam consti-
" tuunt, aut repræsentant. Potest autem Deus, antequam constans uni-
" versalis Ecclesiæ consensus separatis Episcoporum decretis superveniat,
" unum vel plures etiam EX SECUNDI ORDINIS sacerdotibus excitare,
" atque eorum in gratiam orthodoxæ fidei reclamantium verbis vim &
" efficaciam addere ad parandum veritati triumphum: ne dicam, zelus
" ardens paucorum Episcoporum, sicut in Concilio, ita & extra illud
" reliquos in suas partes trahere. Et quis ipsis etiam LAICIS Doctori-
" bus facultatem subinde monendi & reclamandi (cum debita tamen ad
" Ecclesiam submissione) denegabit? (9)

" Infallibile est Concilium generale, si Patres legitime congregati in eo
" ita se gesserint, ut dici debeant repræsentasse totam Ecclesiam: quod an
" ita de facto sit, declarat agnitio seu receptio Ecclesiæ. (10)

Audivimus: sed DELABORDIUS, atque ii, quos nominabam, Janse-nistæ cæteri si viverent, audirentque, quid dicerent? immovero quid facerent? Accusarent (ita certissimum habeo) senectutem hominis, quem immortalem esse vellent: tam & doctrina & argumentandi, disserendique est ratio similis. Sed multo id clarius suo loco dilucidabitur: non enim heic aliud fuit propositum, quam *Ecclesiæ* quid ille nomine intelligat, demonstrare: ejus scilicet, cui claves ligandique ac solvendi a Christo potestatem fuisse traditam docet.

D Est

(9) Tom. 1. Cap. VI. §. 8. Num. 13. & 14.
(10) Ibid. N. 12.

Est autem jam evidens, atque nescio, an tam amans esse quispiam illius possit, quin multitudinem fateatur intellexisse. Nam res ipsa loquitur: nec sunt de nihilo, quæ charactere etiam discriminavit hæc atque similia: *non ex solo accessu Episcoporum, sed ex universorum fide fidelium, quæ deficere non potest. Pastoribus secundi ordinis. Laicis.* Et ut re una conficiam; quale est, aut quorsum spectat id obsecro, quod Ecclesiæ Corpus extra Concilium *constitui* aut *repræsentari* legitime a Papa & solis Episcopis neget? Atqui REGENTIS illi ECCLESIÆ Corpus quam maxime constituunt: neque enim constitui quicquam, quam a se ipso, melius certiusque potest. Quod igitur non constituunt, nec repræsentant, PASTORUM est SECUNDI ORDINIS & LAICORUM Corpus.

Huic igitur una sunt claves fidei à Christo traditæ. Nam *horum omnium*, inquit, *neque pauci neque multi infallibilitate gaudent: sed Corpus ipsum ex jam enuntiatis membris compositum, cujus voci omnes fideles semper obedire tenentur.*

§. IV.

Argumentum VI. VII.

VI. Ex comparatione momentorum FEBRONII cum momentis, quibus utitur HEXAPLORUM scriptor.

VII. Ex despoliatione DUPINII, atque LAUNOII.

I. Quod fore sextum monuimus: PASCHASII QUESNELLI nonagesima propositio omnium Catholicorum summis suffragiis damnata est: propterea, quod excommunicandi potestatem demat Episcopis, atque in populum aut communitatem trajiciat. Quid vero? Probantne alio argumento hanc ejus defensores, quam quod Ecclesiæ sint claves traditæ, quarum usum & administrationem in Pastores ea tanquam Ministros suos transcribat? Estne aut Theologorum fere quispiam aut Patrum, vel Concilium etiam commemoratum a JUSTINO FEBRONIO: quo non & isti sint usi, ut suam hæresin stabilirent? volo non mihi, sed tibi habeas fidem Lector oculisque tuis: atque in manus, si licet, sume HEXAPLORUM (11) tomi VI. partem XIV; tum quidquid congestum a FEBRONIO vides, id

(11) Dicitur liber HEXAPLORUM a sex columnis, quarum prima propositionem exhibet, prout in CONSTITUTIONE UNIGENITUS damnata est; 2da, prout extat in Reflexionibus QUESNELLI; 3tia apologiam complectitur ex scripturis sanctisque Patribus; 4ta animadversiones varias; 5ta QUESNELLUM ipsum respondentem pro se inducit; 6ta calumniarum iliadem repræsentat in JESUITAS. Damnatus est liber non solum Romæ, verum etiam in Gallia a generalibus comitiis Cleri die 22. Octobris anni MDCCXV, tanquam qui contineat doctrinam injuriosam sanctæ sedi & Episcopis, scandalosam, erroneam, hæreticam &c. &c.

id cum iis, quæ in adnotatis a me paginis producuntur, contende obiter: comperies, nihil me magis, quam pro rei veritate, & evidentia ipsa scripsisse: (12) sed de Hexaplis iterum.

II. Nunc etiam furti debeo hominem convincere, atque vel ita, qualis sit, ostendam, & quam sit æthiopem multo facilius, ut esse niger desinat, lavare, quam istum, ut Richeriana fuligine, popularique, hoc est, sutorum lanionumque fumo infectus non sit. Etenim jam illud dixi, ac nihil deest, opinor, quominus demonstratum esse videatur, de LAUNOIO atque DUPINIO, adhæsisse ambos ad eundem scopulum, & Episcopos majestate sua exuisse, & communitatis ac populorum fecisse famulos. Non autem possunt, quorum vox est & oratio eadem, ii animis discrepare atque sententiis. Quare si utrumque FEBRONIUS spoliaverit, idque sic ego ab illo factum esse ostendero, ut & verba verbis, & commata commatis, & puncta punctis respondeant: puto, quod ad perfectum absolutumque genus demonstrationis desiderari possit, nihil amplius reliquum fore. Age, faciamus hoc, & ruborem una hominis tentemus, qui alienis rebus facere pompam se posse putavit apud imperitos: & deprehensus negare ausus fuit.

III. Sunt, quod facile omnes advertunt, ELIÆ DUPINII ex JOANNE LAUNOIO compendifactæ *de antiqua Ecclesiæ disciplina* Dissertationes. Ac

(12) ADFERUNTUR A FEBRONIO TOM. I. CAP. I. §. 6.	EADEM TESTIMONIA IN HEXAPLIS RESPONDENT TOM. VI. PART. XIV.
1. *Alphons. Tostatus* in Numerorum Cap. XIII. Q. 48. & 49. – – –	pag. 662.
2. *Trident.* Sess. XIV. Can. 15. Sess. XXV. Cap. 21. – – – –	pag. 656.
3. *Tertullianus* in scorpiaco Cap. 10. –	pag. 646.
4. *Augst.* de agone Christ. C. 30. Tract. L. in Joannem, *quem locum etiam a Gratiano referri, Febronius notat.* item Tract. CXXIV.	pag. 640. ubi & illa leges de loco eodem ex Trac L. in Joan. Le resonnaiment a paru si convainquant, qu'on l'insere dans le Droit Canonique.
5. *Fulgen.* Lib. de Remiss. peccat. Cap. 19. & 24. Lib. de fide ad Petrum Cap. 3	pag. 50. & 652.
6. *Gregor. M.* Lib. IV. Expos. in Cap. 16. Lib. 1. Reg. Cap. 3.	
7. *Beda* Hom. de S. Petro: *omni igitur Electorum Ecclesiæ &c.*	

Præter hæc alia sunt nonnulla a *Febronio* testimonia posita ex *Trident. Augustino* & *Beda*, quæ tametsi non eadem extent in *Hexaplis*, æquipollentia tamen ibi citantur ex iisdem omnino fontibus, Tridentino, Augustino, Beda.

Launoius quidem quæſtionem de Clavium poteſtate hoc modo propoſuerat in Epiſtola ad Vallantium: *utrum poteſtas excommunicandi Eccleſiæ immediate tradita ſit?* Quam rem tametſi certam ac conſenſione firmatam omnium ſæculorum, *ut putat*, adverſarios habuiſſe tamen ait nonnullos ex Magiſtris ſcholæ: propterea, quod ſcholaſtica phraſi propoſita non eſſet. Pulchra ratio! Sed præverſurus, ut videtur, ingens malum iſtud Dupinius, proponendam hoc modo eam putavit: *quodnam ſit ſubjectum immediatum poteſtatis Eccleſiaſticæ?* Atque in hoc imitatorem & diſcipulum eſt nactus doctlem Justinum Febronium. Launoius Alphonsi Tostati uſus teſtimonio fuerat: ſed hoc quoniam prolixius erat, compendifecit Dupinius, & ſubtractis hinc inde periodis atque ſententiis quibusdam ſubſtituit punctula, ut eſt in more, quæ ſunt omiſſionis & compendii ſigna. Quid noſter? deſcripſit Dupinium: ita vero deſcripſit, ut hæc punctula non modo utrobique ſint eadem; verum etiam cum prætermiſſa ſint ſemel, ſcriptoris neſcio, an typographi vitio, prætermiſerit illa quoque Febronius. Et quod majus eſt, cum ſublata alicubi ſententia hærere contextus non poſſet, habuit neceſſe Dupinius, conjunctiones ſeu nectentes particulas mutare: ac ne in hoc quidem a Juriſconſulto deſertus fuit: Immovero ſolœciſmos, menda, depravationesque adeo & mutationes textus ſtrenue ſolerterque eſt imitatus. Quæ niſi plagii furtique ſint ſigna manifeſta; quæ ſint, ignorare me fateor. Implet vero Tostati hic locus apud Febronium duas proxime paginas. (13)

Tum

(13) SCHEMA FURTI ET OSCITANTIÆ.

Locus Tostati verus.	Locus Tostati apud Dupinium negligenter ac mendoſe ſcriptus.	Idem ut exſcriptus cæce a Febronio.
Quia non poterat *tota Eccleſia.*	Quia non poterat *univerſa Eccleſia.*	Quia non poterat *univerſa Eccleſia.*
Tradidit *eas* Petro.	Eas Petro tradidit.	Eas Petro tradidit.
Sequitur *inconveniens commune.*	Sequitur *inconvenienter.*	Sequitur *inconvenienter.*
Quod alii Apoſtoli non habuiſſent aliquam auctoritatem.	Quod alii Apoſtoli non habuiſſent &c.	Quod alii Apoſtoli non habuiſſent . . . . .
Inconveniens majus erat, *ſcilicet* quod.	Deeſt to *ſcilicet.*	Deeſt & heic.
Cum nemo *poſſet* Prælatum.	*Poſſit.*	*Poſſit.*
Succeſſorem ſibi facere: *& tamen omnes ſucceſſores* &c.	Sibi ſucceſſorem facere. . . .	Sibi ſucceſſorem facere. . . .
Tunc leviter apparet.	Hinc leviter apparet.	Hinc leviter apparet.

Tum alterum ex Tridentino ſumptum argumentum, aut vexatio potius contumeliaque ſanctæ ſynodi ſequitur, & paginam implet: atque etiam iſta, tametſi digna ſophiſtico ſit hominis ingenio, non eſt illius tamen; ſed de verbo ad verbum prope, pauciſſimisque, nec his momenti alicujus, mutatis apud LAUNOIUM poteſt legi ſub finem nominatæ Epiſtolæ. (14)

Erat in Eccleſia, & quia non poterat &c. & quia mortuo Petro adhuc Eccleſia ſemper habet claves; poteſt ei eligere ſucceſſorem.	Erat in Eccleſia ... Hinc mortuo Petro, poteſt eligere ſucceſſorem.	Erat in Eccleſia ... Hinc mortuo Petro poteſt eligere ſucceſſorem.
Per totam Communitatem. Illo (Prælato) mortuo vel CEDENTE JURISDICTIONEM, non penitus expirat jurisdictio.	Per univerſam Societatem. Illo autem mortuo vel CADENTE, JURISDICTIONEM non penitus expirat jurisdictio.	Per univerſam Societatem. Illo autem mortuo vel CADENTE, non expirat jurisdictio. NB. Advertebat mendum; hinc to *Jurisdictionem*, ſuperfluum credidit.
Quas conſtituunt ſibi *Communitates* per leges.	Quas conſtituunt ſibi *homines*.	Quas conſtituunt ſibi *Homines*.
Exemplum hujus patet in Domino rei & uſufructuario atque uſuario. Nam Dominus rei habet uſum rei & confert illum uſum alteri, ſed non eo modo quo habet, quia ſibi reſervat uſum ut proprietario, alteri concedit ut uſuario,	Exemplum hujus rei in Domino rei.	Exemplum hujus rei in Domino rei.
& in hoc confert Dominus, quod NON habet, quia Dominus rei non eſt uſufructuarius, vel uſuarius. Conformiter in Eccleſia, ipſa enim non habet claves, quantum ad uſum.	Et in hoc confert Dominus, QUOD HABET.	Et in hoc confert Dominus, QUOD HABET. NB. Perſpicuum eſt non potuiſſe omitti particulam NON; idque præter Febronium quivis alius nullo ſane negotio vidiſſet.

(14) CONTINUATIO SCHEMATIS.

LAUNOIUS tom. 1. Epiſt. pag. 242. ad Vallantium.	*FEBRONIUS tom. 1. Edit. ann. 1765. pag. 34. & 35.*
Primum in ſeſſ. XIV. cap. XV. de Confeſſ. *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit.* Hic Eccleſia diſtinguitur a Concilio, alioquin Concilium ſtatuiſſet per Concilium: quæ nugatoria foret propoſitio.	Hoc Concilium ſeſſ. XIV. can. 15. decernit. *Siquis dixerit claves Eccleſiæ datas tantum ad ſolvendum, & non ad ligandum &c.* item ſeſſ. XXV. cap. 21. de Indulgentiis: *Cum poteſtas conferendi indulgentias à Chri-*

IV. Sic ex ſanctis Patribus quotquot in ſcenam ludicramque fabulam ſuam pertraxit, eorum per eundem ſunt LAUNOIUM teſtimonia recitata; nec niſi delectu & optione quadam opus habuit. Sed in hac ipſa vide ingenium hominis! Præiverat jam ei DUPINIUS, atque ex multis pauca ſelegerat hoc ordine: TERTULLIANI in ſcorpiace, CYPRIANI, OPTATI, BASILII, AMBROSII, CHRYSOSTOMI, HIERONYMI, AUGUSTINI, CYRILLI, LEONIS M. FULGENTII, EUCHERII, GREGORII, & BEDÆ: quare eundem quoque ordinem ſecutus eſt: niſi quod aliquos iſtorum, ut CYPRIANUM, OPTATUM, BASILIUM, AMBROSIUM, CHRYSOSTOMUM, HIERONYMUM, LEONEM atque EUCHERIUM dimiſerit. Quid ita vero? CYPRIANUS, OPTATUS, HIERONYMUS, LEO & EUCHERIUS annon de *Clavibus* ſermonem habent? BASILIUS, & AMBROSIUS annon & illi de *Paſtionis* officio? Sic eſt, ſed nihil opus, in cauſam, cur prætereundos putaverit, diu inquirere. Nam de Apoſtolis, Epiſcopalique aut ſacerdotali tantum gradu videbat eos loqui, & huic uni

Deinde in ejuſdem ſeſſ. can. XV. *Siquis dixerit, claves Eccleſiæ eſſe datas tantum ad ſolvendum & non ad ligandum.* Tum in ſeſſ. XXV. Decreto de Purg. *Cum Eccleſia Catholica ſpiritu ſancto edocta ex ſacris literis, & antiqua Patrum traditione in ſacris Conciliis, & noviſſime IN hac œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium eſſe.* Hic quoque Eccleſia diſtinguitur a Concilio, ut repræſentans a repræſentato diſtinguitur. – – – Particula IN locum deſignat, in quo Catholica docet Eccleſia. Poſtremo in ſeſſ. XXV. cap. XXI. de Indulgentiis: *Cum poteſtas conferendi indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit &c.* Hic poteſtas conferendi indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceditur, ut claves eidem Eccleſiæ ante datas fuiſſe viſum eſt. His addendum, quod in Tridentinæ fidei Profeſſione a *Pio V.* edita ſic habetur: *Item ſacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet S. Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu &c.* Si S. Matris Eccleſiæ eſt judicare; judicandi poteſtas penes S. Matrem reſidet Eccleſiam, ſed per illius miniſtros exercetur. Locutiones hæ omnes in *Bellarmini* opinione non intelliguntur, ſed probe intelliguntur in ea Patrum ſententia, quam *Toſtatus* optime & luculenter exponit &c.

ſto Eccleſiæ conceſſa ſit &c. Hoc loco poteſtas conferendi indulgentias a Chriſto conceditur Eccleſiæ; priori eidem Eccleſiæ conceduntur claves. – – – Seſſ. XIV. cap. 5. de Confeſſ. ubi: *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit.* Hic Eccleſia diſtinguitur a Concilio, alioquin Concilium ſtatuiſſet per Concilium, quæ nugatoria foret propoſitio. Tum ſeſſ. XXV. Decreto de Purgat. *Cum Eccleſia Catholica Spiritu S. edocta ex ſacris literis & antiqua Patrum traditione in ſacris Conciliis & noviſſime IN hac œcumenica ſynodo docuerit, purgatorium eſſe.* Hic quoque Eccleſia diſtinguitur a Concilio tanquam repræſentato. Particula IN locum ſignificat, in quo Catholica docet Eccleſia. His addendum, quod in Trident. fidei profeſſione a *Pio IV.* edita ſic habetur: *Item ſacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu &c:* Si ſanctæ Matris Eccleſiæ eſt judicare; hæc judicandi poteſtas illi a Deo collata eſt, quam per ſuos miniſtros exercet. Omnes hæ locutiones in *Bellarmini* & ejus Diſcipulorum opinione non intelliguntur; verum probe intelliguntur in ea Patrum ſententia, quam *Toſtatus* optime & luculenter expoſuit.

uni facere claves proprias, non universitati Ecclesiæ: hinc prætermittendi erant. (15.)

Cæterum quod ad LAUNOIUM attinet, quem præ oculis ab eo habitum fuisse dixi, cum sententias Patrum de argumento hoc scriberet; non sum tam iniquus, ut esse furti hoc illum nomine postulandum putem. Est enim monitus ab eo lector: scio, monuit *quam plurima alia*, præter descripta a se scilicet, *Patrum, Doctorumque in hanc rem loca, quasi continuata serie usque ad tempora Concilii Tridentini referri a Joanne* LAUNOIO *in epistola ad Hadrianum* VALLANTIUM. Et videbatur sibi sine incommodo suo

(15) CONTINUATIO SCHEMATIS.

Textus Patrum *apud Dupinium* l. c.	Textus iidem *apud Febronium* l. c.
1. TERTULL. in Scorpiace cap. 10 *Memento Claves hic Dominum, &c.*	Memento claves &c.
2. CYPRIANUS: *Quamvis omnibus* APOSTOLIS *post resurrectionem suam parem potestatem tribuat &c.* 3. OPTATUS: *Claves communicandas cæteris solus accepit.* (Apostolis scilicet) 4. BASILIUS, 5. AMBROS. 6. CHRYSOST. 7. HIERONYMUS.	Omissi hoc loco, quia de Apostolis loquuntur ac Sacerdotibus: ex parte autem relati §. §. 2do & 3tio.
7. AUGUSTINUS Lib. de Agone Christ. cap. 30. *Huic enim Ecclesiæ claves &c.* Tract. L. in Joannem *Petrus quando claves accepit &c.* Tract. 124: Cujus Ecclesiæ &c.	Iidem omnino & eodem modo: quibus addit ex *Launoio* sumptum ex Serm. CVIII. de diversis. Cap. 2.
8. Cyrillus L. 12. in Joannem: *Accipite Spiritum sanctum. Respondemus, virtutem in omnes permanasse, & scopum largientis implesse: Dedit autem Christus, non aliquibus seorsim, sed universis Discipulis.*	*Febronius* ex *Launoio* supplevit antecedentia contextus: tum hæc consequentia: *Quapropter eam accipiunt, tametsi quidam non aderant, dantis liberalitate non ad præsentes solum contracta, sed in omnem Sanctorum Apostolorum chorum permeante.* NB. Verba, *in omnem Apostolorum chorum*, communi charactere; illa vero, *non aliquibus seorsim sed universis*, eminentiore ac magis insigni expressit typo. Cur? in promptu causa est.
9. FULGENTIUS Lib. 1. de Remis. peccat. *Cui* (Ecclesiæ) *claves &c.*	Eundem sed cum antecedentibus & consequentibus fusiorem ex Launoio exhibet.
10. EUCHERIUS: *Quod Petro principaliter dicitur, cæteris quoque* APOSTOLIS *dictum &c.*	Omissus heic, quia de Apostolis, non de Universis: recitatus autem supra §. 2. pag. 16.
11. GREGORIUS I. *Nam quod antiquis nusquam dicitur: quodcunque ligaveris, modo universali Ecclesiæ dicitur.*	Idem: Character magnus in verbis: *Universali Ecclesiæ.* Quodque fatendum, citat paginam editionis novæ.

ſuo monere hoc poſſe. Cum enim pauciſſimi tam ſint otii prodigi, ut quindecim magna folia, ſola ſterili & temeraria citatione textuum conſperſa, perluſtrare oculis velint; argumentum vero ex Tridentino ſumptum, quod nos in Schemate jam exhibebamus, & quo tanquam ſuo ſe ipſe oſtentat, non niſi ſub finem extet *Launoianæ* epiſtolæ: vix timendum ſibi eſſe exiſtimabat, ne palmare hoc furtum, & in quo, quantumvis non veræ, ſophiſticæ tamen ineſt eruditionis aliquid, retegeretur tandem ac proclamaretur. Utut ſit: nos etiam in vulpe amamus verecundiam: nec ſumus ii, qui vel ob ea, quæ fur empto capit, damnandum illum putemus: eſto, non ob aliam emat cauſam, quam ut ſuſpicionem a ſe furti amoveat.

Quid heic igitur accuſo? iſtud hercle, quod cum in delectu faciendo, ſolo DUPINIO uſus ſit, nec niſi AUGUSTINI ſententiam unam, & alteram BEDÆ ex LAUNOIO ſuppleverit; CYRILLUMque præterea, FULGENTIUM & GREGORIUM amplificandæ pompæ duntaxat gratia verboſiores ex eodem fecerit; oſcitantem denique pro more DUPINIUM & hariolantem ſecutus cæce atque oſcitans fuerit: argumentum præbuerit longe certiſſimum, neminem fere eorum, quos adglomerat, Patrum propriis a ſe ſe oculis fuiſſe inſpectum. Hoc ego ſi non furtum (tametſi neſciam, annon illo etiam inſigniendum ſit nomine, quoniam mentionem DUPINII nullam fecit) ſocordiam certe, & infamem pigritiam in ſubjuncto ſchemate adpellabo. Nempe hic ille vir eſt? hic, qui ab tribunali ſupremi Judicis tantopere ſibi metuebat, ſi, quod a Deo nactus fuit, *talentum ex Patrum dictis & Conciliorum actis loquendi*, *tacendo* inſtar ſervi nequam defoderet? (16) Hic, qui Colonienſi exprobrabat erudititiſſimo Theologo, quod adire fontes neglexerit? (17)

V.

12. *Beda* in caput. 19. Matth. *Claves regni cœlorum Petrus tanquam perſonam gerens ipſius unitatis accepit.* Et in caput 21. *Eccleſia ergo in Petro claves regni cœlorum accepit.*

FEBRONIUS eodem plane modo, nec literula mutata, ſed charactere, ut ſolet, inſigni verba *Unitatis &c.* diſtinguit.

NB. Neuter locus eſt in Commentario in Matthæum; ſed uterque in Commentario in Joannem. Et ſecundum quidem cum perturbato nonnihil ſenſu apud Launoium legiſſet Dupinius; ipſe hariolando maluit eum formare, quam in Beda inquirere. Sic autem habet reipſa: *Eccleſia ergo quæ fundatur in Chriſto, claves ab eo regni cœlorum accepit in Petro.*

BEDA in cap. 16. Matth.
Hæc poseſtas cunctis datur Apoſtolis, nec non Epiſcopis, Presbyteris, & omni Eccleſiæ.

Febronio aptior ad finem ſuum viſus eſt hic apud Launoium Bedæ locus: *Omni Electorum Eccleſiæ ligandi atque ſolvendi datur auctoritas.*

(16) In Præfat. Tomi 1. ad Clement. XIII.
(17) Tom. 2. pag. 160.

V. Et ecce non ſeptimum, quot ſolum receperam; ſed octavum omnino, quod ne prævideram quidem, argumentum Epiſcopalis ab eo proditi Juris atque auctoritatis! Quos prætermiſit hoc loco, CYPRIANUM, BASILIUM, AMBROSIUM, CHRYSOSTOMUM, HIERONYMUM, LEONEMque Magnum cum EUCHERIO, eorum jam ſupra recitaverat verba partim in ſecundo, partim in tertio paragrapho: quorum in primo, quæ ad PETRUM dicta ſunt Matth. XVI. *Tibi dabo claves*, & in altero, quod ad eundem ſic dictum eſt, *Paſce oves meas*, non magis ad PETRUM, quam ad Apoſtolos & ſucceſſores eorum pertinuiſſe, tradidit. His non contentus, poſteaquam collegerat, quod ex utroque putabat conſequi, *non eſſe Monarchicum videlicet Eccleſiæ regimen* (nam eſt quarti paragraphi hæc ſumma) continuo quintum adjecit, cujus inſcriptio: *Poteſtas clavium univerſitati Eccleſiæ a Chriſto data eſt: illam hæc per Miniſtros ſuos exercet*: atque in hoc quidem, quod diligenter adnotari cupio, ea ſola ex ſuppeditatis ſibi ab DUPINIO teſtimonia SS. Patrum retinuit, in quibus *Eccleſiæ*, *univerſalis Eccleſiæ*, *omnis Eccleſiæ*, *univerſorum*, *unitatis* occurrebant voces: quas & typo, ut internoſci facillime poſſent, diſtinguendas curavit. Rationis micam: quorſum cautio hæc? Quorſum? Qui jam Apoſtolis, & ſucceſſoribus eorum perinde ac PETRO datas claves adſeruerat; qui argumentis probaverat, quibus poterat; ecquid novo paragrapho opus habuit, ut UNIVERSITATI commiſſas eſſe claves, ac fuiſſe MINISTRUM hujus univerſitatis PAULUM, & modo Epiſcopos executores miniſtroſque illius eſſe, demonſtraret? Quorſum teſtium tam ea ſolers & adcurata diſcretio? ſtipes profecto ſit, qui cauſam non videat: nimium bonus, qui excuſandam putet. Adeo certum eſt, *Eccleſiæ*, *univerſitatiſque* nominibus non Hierarchicum ordinem, ſed Fidelium univerſum cœtum ab eo intelligi.

§. V.

Occupatur effugium, & inſtauratur Demonſtratio.

I. Atque heic ſane, quod efficere habui, pro confecto poſſem ſubducere, niſi me hominum quorundam retraheret non tam auctoritas in pugnando, quam in tricando moroſitas. Qui ſicut abſurdiſſima ſolent quæque ſua ſponte credere, cum de iis narrantur, quos eſſe peſſimos ipſi

vellent, quosque odio & livori suo destinarunt victimas: ita si gregalium quemquam illorum lacessiveris; nisi omnem elabendi rimam præcluseris, ac nisi sole ipso perfuderis facinus; non credunt, tuenturque hac se una exceptione, *Jesuitam* esse, qui scribat. Dicent igitur hi: quid tandem id mali sit, Claves *universitati* commissas dicere? nec enim consequens videri, *Democraticum* continuo Ecclesiæ regimen idcirco statui; quibus tametsi nihil sit necesse respondere præter ea, quæ hucusque ostensa sunt: faciam tamen, ut tricari & tergiversari desinant.

II. Itaque posteaquam demonstratum a nobis fuit, *Ecclesiæ* vel *universitatis* nomine Communitatem ipsam fidelium atque etiam Laicorum a FEBRONIO intelligi: sane non nisi triplex esse sensus verborum istorum potest. Primum ita hæc accipi possunt, ut Christum intelligamus, quo tempore PETRO Clavium contulit potestatem, non solius id PETRI fecisse causa, illiusque ut honori atque præstantiæ per sese consuleret: verum communitatis potius, Ecclesiæque totius bono: in cujus commoda, ornamenta, splendorem, quemadmodum cætera beneficia gratiæ, ita potestatis etiam & jurisdictionis qualiscunque istius modum atque ordinem tanquam ad primarium & ultimum finem retulerit. In quo quidem sensu nemo hominum est, qui reprehendendum esse aliquid putet. Sed non spectavit hoc, neque potuit versare hunc in animo FEBRONIUS sensum. Quippe qui eam totam de clavibus universitati concessis disputationem in id assumpsit, ut *monarchicum* non esse Ecclesiæ regimen probaret. Atqui ad hoc pugnandum evincendumque nihil ineptius assumptione istiusmodi: ad usum Corporis referri Ecclesiasticam potestatem oportere. Nam in omnibus communitatibus id obtinet; & natura ipsa ac ratio poscit, ut qui præsunt, non se sibi suisque commodis comparatos aut natos sciant, sed eorum, quibus præsunt, utilitati. Quo illud S. BASILII explicari debet: *si est Regnum potestas legitima; liquet, constitutiones ab rege profectas valere multum apud eos debere; quibus communis utilitas cordi est. Neque enim ordinatæ sunt hæ præceptiones ad privata regum commoda: cum vel hoc ipso a quovis alio reges differant, quod subditorum suorum utilitati consulant, & cuncta suppeditent.* Quamobrem vere in hanc sententiam etiam reges *ministri* populorum appellari possunt; sicut ποιμενες appellantur, hoc est, Pastores apud Homerum: ποιμαινειν autem, seu *pascere*, quid est aliud, quam ministrare, quæ necessaria sunt gregi vel utilia? Nihil igitur ad monarchicum convellendum regimen hæc facit adsumptio.

Id ipse FEBRONIUS intellexit, & liberavit nos una ab onere probandi fusius. Scribit enim, non se *ignorare effugia, quibus ad declinandum genuinum*

nuinum ac integrum hac in parte Ecclesiasticæ traditionis sensum utantur Romanæ curiæ fautores. Inter hos alios Claves in persona Petri non tam ipsi Ecclesiæ, quam in commodum totius Ecclesiæ datas asserere; verum non exhauriri hac interpretatione Traditionis vim. Quod cum scribit, suo se ore judicat, neque ambigi deinceps potest, quin aliorsum spectaverit.

III. Alter complexionis Febronianæ cogitari is sensus fortassis posset, quo est a Veteribus quibusdam locutio eadem usurpata de Clavibus Ecclesiæ datis: velut ab ALMAINO, qui tametsi PETRO & successoribus ejus immediate a Christo traditas doceat: putat tamen etiam Ecclesiæ collatas esse, & Ecclesiæ quidem TEMPORE PRIUS, quam PETRO. Qua in re naturalium & civilium initia communitatum ob oculos habuisse Christum existimat. Nam eæ, dum primum formantur, quoniam in populi solet esse arbitrio, optare sibi, quam velit, formam regiminis: ideo prius quodammodo inesse populo concipimus potestatem: sed quam in Regem subinde aut Principem ille transfundat: transfusam vero revocare ad se postmodum per naturalem divinamque legem non amplius possit.

Ita igitur ALMAINUS ex MATTHÆI decimo octavo capite probare sibi videtur, claves atque ligandi & solvendi potestatem prius Ecclesiam consecutam esse, quam PETRUM. (18) Fatetur tamen, prævertisse Christum Ecclesiæ arbitrium; pastoresque ac summum Pontificem per sese ei constituisse. Quod nisi fecisset; potuisse hanc ait suapte vi atque sententia ex accepta prius potestate sibi illos constituere. (19)

IV. Quæ mihi Magistri illius doctrina intolerabilis omnino videtur, & aliena a sapientia divini verbi, scripturisque sacris contraria: sicut & alia plura in ejus sunt libris periculose scripta ac frivole. Sed nos istud in præsens quærimus, an saltem ALMAINUM FEBRONIUS imitatus sit, eodemque, quo ille, sensu Claves & Ecclesiasticam potestatem penes multitudinem collocaverit? De quo nihil dubito respondere, ne posse sic quidem se

eum

(18) ALMAINUS *Quæst. de Dominio nat. civ. & Eccl.* Sicut potestas civilis coercitiva, cujus finis est felicitas politica, est *prius tempore* in Corpore politico, quam in *quocunque* ejus membro: ita Christus prius Corpori suo mystico Ecclesiasticam Potestatem contulit, quam cuicunque membro. *Tom. I. opp. Gersonianorum Col.* 972. *Idem adjecit Dissert. de Auctorit. Eccles. & Con. gen. ibid.* Col. 991. *Tum in libro de suprema Potes. Ecclesiastica cap. 4.*

(19.) *Ibid. de Auctorit. Eccl. & Con. gen. Col. 991. Et Quæst. de 3. Dom.* Potuisset (*Ecclesia*) eam (*potestatem*) alicui supposito committere, sicut multitudo potestatem hanc suo Principi committit. Col. 972.

eum tueri, ac longe aliud fuisse animo illius objectum. Cum enim *Monarchicum*, quod modo dicebam, extirpare regimen sit ei propositum, *ideamque*, ut ipse loquitur, *istius ex Italorum & aliorum*, quibus insidet, *animis ejicere:* quid ALMAINUS juvare poterat? quid inquam ille? id quippe in omnibus rursum societatibus evenisse docent, qui commentarios de regnorum initiis ediderunt: ut in populo aliquamdiu hæserit majestas, tum abdicata ab illo sit, & in Principem regemque unum trajecta. Ex quo minime consequens est, Monarchicum societatis alicujus regimen non fore: alioquin enim ne posset quidem esse hujus generis ullum. Et est ratio, quoniam revocare abdicatam a se populus Jurisdictionem ab eo, in quem est translata semel, non amplius potest, & *subjectum* esse illius porro desinit. Hinc ipse in eo loco ALMAINUS Ecclesiam *Politiam regalem & monarchicam* vocat: summum Pontificem vero comparat Regi & identidem similitudine ab regno desumpta utitur. (20)

V. Ecquis jam igitur sensus *Febroniani* illius decreti est reliquus? eligat, quod volet: aut secum non fuit, cum scripsit, aut hoc uno intellexit, scripsitque sensu, qui est communis hominum seditiosorum, & quorum tota huc abducitur ratio, ut divina & humana omnia pervertant. Illo inquam intellexerit sensu necesse est, non quo ALMAINUS docuit, uti habuerit aliquamdiu fidelium iste & *omnium Electorum* cœtus Ecclesiasticam jurisdictionem; sed ut habeat, & ut possideat etiamnum eam primario, sitque stirps, fons atque radix illius, ubicunque est; nec nisi functionem & executionem ejus summo Pontifici, postque illum Pastoribus reliquis committat. Ea autem verissima DEMOCRATIÆ est notio; aut si non est; nulla est. Et in hac sola habere locum potest ea locutio, UNIVERSITATEM PER MINISTROS SUOS REGERE; quæ alioquin putida & stolida loquendi est ratio: quemadmodum is stolide diceret, qui de Gallia, quis regiminis in ea modus sit, interrogatus, responderet, *jurisdictionem in communitate esse, sed per ministros exerceri.* Quod si idem diserte, ac significanter addidisset, *non esse monarchicum regimen*: credo, audientium fore neminem, quin Democraticum esse concluderet.

Eat nunc igitur vindex atque ultor ille Ecclesiasticæ libertatis! eat, glorieturque, nondum hæreseos potuisse se a quoquam convinci, cum sit convictus reipsa & confessione quidem sua: Nam quod sic postea post annos

(20.) *Ibid. Q. de 3. Dom. Col.* 970. Politia Ecclesiastica est monarchica, ut nullo modo possit mutari in Aristocratiam vel Democratiam. *Et in libro de sup. potes. Eccles.* Cap. XVII. Politia Christiana est regalis, & non Aristocratia vel Democratia.

nos ſeptem conatus eſt extricare ſe: *Univerſitatem* SUPPOSITALITER *habere Claves*, & *ſubjectum* DENOMINATUM *eſſe*; *Epiſcopos vero atque Presbyteros ſubjectum* DENOMINANS: (21) fecit tantundem ad ſui defenſionem; ac ſi *Armargil*, *Barbelon*, *Abraxas* & *Leuſiboram*, ſimiliave ex Ægyptiorum incantamentis *portenta magis*, *quam nomina*, *ad imperitorum & mulierccularum concitandos efficta animos*, deſcripſiſſet. (22) Scilicet hæc tandem lingua eſt, quam in *Conciliis* congregati Patres *intelligent*? Sic tu Theologos carpebas, o eloquentiæ parens, ut nunc ipſe in barbarie, ſophiſtarumque tenebris aſylum quæreres? ſed intremus tamen.

ARTICULUS III.

EXCEPTIONES FEBRONII PERPENDUNTUR.

Hæ mendaces, fraudulentæ, ridiculæ &c. &c. Vel in eo, quem nuper edidit, tomo tertio in idem relapſus lutum, immo merſus & ſuffocatus eſſe convincitur. Furtum ejus ex libello EDMUNDI RICHERII, illiuſque turpitudo ob duplicem cauſam. DE RICHERIO fabuloſa illius narratio. Anacæphaleoſis dictorum, & demonſtratio ad mathematicam methodum revocata.

§. I.

Quid Colonienſi Eruditiſſimo Theologo FEBRONIUS reſponderit? Exceptio duplex: prima mendax & contumelioſa; altera, quam apto nomine vix quiſpiam exprimat.

I. Fuerat his te verbis allocutus Colonienſis Theologus: *Nemo unus invenietur, qui paradoxa hæc tua, Febroni, doceat:* UNIVERSITAS CREDENTIUM ACCEPIT CLAVES, PROPRIE, PRINCIPALITER, RADICALITER: PRÆLATI EAS AB ECCLESIA HABENT USUALITER, USUFRUCTUALITER. *Quinam ſcholaſtici doceant, principaliter in tota univerſitate Eccleſiæ reſidere poteſta-*

(21) In Apolog. adverſus 4. Theologos anno 1770. pag. 181.
(22) Hierony. epiſt. 53. ad Theod.

statem Jurisdictionis, toti Ecclesiæ claves immediate datas esse a Sponso, frustra ex FEBRONIO sciscitabor. Ad quæ tu ita ei respondes : " Sophistice incedit Coloniensis Theologus, per totam Ecclesiam sumens universitatem credentium ; quasi ipsos quoque Laicos pro subjecto clavium statuisset FEBRONIUS. In hoc paradoxon accusat. Itaque resolvendum est sophisma: *Denominatum* est tota universitas; sed *Subjectum denominans* sunt soli Episcopi & Presbyteri.

Illud igitur objectum tibi a viro doctissimo non negas, videri te, cum Universitati esse traditas claves dicis, & *subjectum* illarum hanc facis ; Universitatem credentium, Laicosque adeo seu Christianum omnem populum intelligere. Quare cum tu sophisma hoc esse respondes, & distinctione evolvis; *Denominatum* quidem Universitatem totam; sed *denominans* nonnisi Episcopos esse atque Presbyteros: id utique jam vis atque adfirmas, Universitatem, ut etiam Laicos ea complectitur, *denominatum* esse, & in hunc sensum oportuisse, quæ sint de Clavibus disputata abs te, a KAUFFMANSIO accipi. Debeo nunc, quoniam peregrina est lingua, qua loqueris, percontari ex te duo. Cum Universitatem credentium, omnemque populum *subjectum denominatum* Ecclesiasticæ potestatis; *subjectum denominans* vero Sacerdotes facis; quid vis? Si Universitas tota Clavium subjectum est; habeat igitur illa necesse est claves. Ac si Sacerdotium Clavium subjectum est; & istud quoque habeat Claves, necesse est: neque enim subjectum, nisi quod rem habet, adpellare consuevimus. Quare cum adjectitiæ illæ voces, *denominatum, denominans*, ut facile ipse intelligis, ambiguæ sint; respondendum, reddendaque de hoc ipso tibi est ratio, quo demum sensu totam, id est, credentium Universitatem *subjectum denominatum* dixeris ? Et an etiamnum in ea persistes sententia, quam TOMO PRIMO CAPITIS PRIMI PARAGRAPHO SEXTO proposueras : *esse Clavium potestatem Universitati Ecclesiæ proprie & ita transcriptam, ut illa per ejus ministros pro sua cujusque portione, ac inter hos per summum Pontificem exerceatur: esse radicalius Jurisdictionem in Ecclesia, quam in Prælato: obtinere Ecclesiam ipsam principaliter & radicaliter clavium potestatem : hanc ab illa in omnes ejus ministros, ipsumque summum Pontificem derivari, & communicari pro portione sua quibusvis ac singulis*? Si perstas; næ fraudulentiæ te ego & mendacii teneo. Nam quæ illa fraus est, cum fuisset plane atque perspicue id tibi objectum, quod sentis revera ac doces; te ut alia omnia videaris docere, ut Lectoris turbes & implices animum, non nisi quatuor verbis, inusitatissimis, obscuris, ambiguis dare responsum? Quæ conviciandi, mentiendique est illa ratio, tum, cum vera Adversarius dicit; cum sensum reipsa tuum adsequitur; cum simpliciter, unde habeas, quod ita doces, interrogat; pro *Sophista*, cavillorumque (nam ea notio est vocis) & fraudum artifice a te eum traduci ?

II.

II. Sed vide, quam in te bonus ſim! Cum ſudaſſem, fuiſſemque apud me diu meditatus, cui demum forulo novos floſculos eloquentiæ tuæ aptarem; tandem moris ejus in mentem venit, quo Academicam Juventutem, prænobilem aut nobilem nominare conſuevimus, non quod ſint *Lentuli* in ea omnes aut *Appii*, nec quod nobilitas tanquam forma ſcholam totam adficiat; ſed quod aliqui in ea ſint nobiles. Tum hujus alterius, quo *Boruſſorum* populo poteſtatem regiam comparatam fuiſſe dicimus, non quod penes communitatem civium Jus ſit regni; ſed quod unus in ea ſemper futurus eſt, qui poteſtatem, majeſtatemque in ſe Regis totam includat. Quare multitudinem quidem, ſi pateris (non ſcio autem, cur pati non debeas) tuo exemplo *denominatum ſubjectum*; regem vero, aut eos, quibus ineſt reipſa nobilitas, *ſubjectum denominans* tantiſper adpellabimus. Et inde jam alterum ex duobus, quæ velle ſcire me dixeram.

Sophiſma eſt, inquis; *reſolvendum eſt: Denominatum eſt tota Univerſitas, ſubjectum denominans ſoli Epiſcopi & Presbyteri.* Hoc tu eodemne ſenſu dicebas, quo ſchola nobilis, aut *Boruſſorum* populus poteſtatem regiam habere dicitur? Id quidem neceſſe omnino eſt, ut RICHERISMI a te labem removeas. Memineris autem, cui & de qua re fuerit tibi reſpondendum. Interrogabaris, non quid modo ſentires, ſed quid ſenſiſſes: & unde haberes, ubi didiciſſes paradoxon iſtud in *primi Tomi Capitis primi Paragrapho ſexto* a te poſitum: *Univerſitas accepit Claves*: hujus a te ratio poſcebatur. Quare cum tu ita reſpondebas: *ſophiſtice incedit, Sophiſma eſt; quaſi ipſos quoque Laicos pro ſubjecto Clavium ſtatuiſſet* FEBRONIUS: tantundem erat, ac ſi adfingi tibi fuiſſes conqueſtus, quæ tu minime eo loci ſenſiſſes. Ac cum ſolvebas ſophiſma, adhibebaſque phraſes illas tuas pulcherrimas, *Denominatum, denominans*; ſpectare alio non poteras, quam ut fidem faceres, te, quæ in primo ſcripſiſſes tomo, innoxie ſcripſiſſe, nec in reprehenſionem iccirco Colonienſis Adverſarii debuiſſe incurrere. Hæc quaſi *αἰτηματα* ſeu *poſtulata*, ut Mathematici vocant, quoniam evidentiſſima ſunt, inficiari non voles. Quid igitur? quod ita reſpondiſti, an verum eſt? Atqui vel ſic te revincam mendacii.

Quod ut apte & luculenter faciam; dimitte (per honorem te tuum rogo: non enim patiar, cum tanto dedecore te porro ſcribere) dimitte vel puncto temporis faſtigium eruditionis tuæ, & ad plebejos, quo te avoco, tantiſper me ſequere. Quoties ſutores, ſartores, atque ſimilis fortunæ homines, quibus nec ingenium, neque animus eſt, de forma regiminis in Eccleſia diſputare, in hæc tamen, ſi quando cum hæreticis ſermonem de religione miſcent, loquentes ac perorantes verba audiveris: *Nos ſucceſſionem tenemus Apoſtolicam, nos Sacerdotium, nos Claves cæli habemus?*

Eſt

Eſt igitur non modo captu haudquaquam difficile, ſed obvium, planum, interque opicos & plebejos homines pervulgatum iſtud: Univerſitatem *denominatum* eſſe omnium earum rerum *ſubjectum*, quæ quovis modo ſunt in Eccleſia. Et hujus tu rei tam detritæ, tam conteſtatæ, quamque nec in mentem cuiquam venit, ambiguam diſputando facere, enucleandæ, inquam, & demonſtrandæ tu hujus cauſa peculiarem paragraphum, & paginas omnino ſeptem inſumpſeris? Conſcientiam tuam adpello: itane verum hoc eſt?

Prærerea cum paragraphis quatuor jam ea omnia corraſiſſes, quæ a tui ſimilibus contra Primatum aliquando ſunt ſcripta; & ex his quinto paragrapho, qui eſt ab illo, in quo verſamur, proximus, lemma tale adſcripſiſſes: *Formam Eccleſiæ non eſſe monarchicam ex Scriptura ſacra demonſtratur*: continuo his verbis ordiris ſextum: " Quando anterioribus pa-" ragraphis probavimus, non unum PETRUM eſſe fundamentum Eccleſiæ, " nec illi ſoli traditas eſſe claves cum poteſtate ligandi & ſolvendi; illud " *volebamus & debebamus inferre*, PETRUM ſolum non eſſe ſubjectum im-" mediatum poteſtatis Eccleſiaſticæ; ſed Clavium poteſtatem univerſitati " Eccleſiæ proprie & ita tranſcriptam eſſe, ut illa per ejus miniſtros pro " ſua cujuſque portione, ac inter hos per ſummum Pontificem exercea-" tur. " Bene eſt: quod das, accipimus. Tu igitur quod & volebas & debebas inferre, nonne hujuſmodi id eſſe oportebat, quod & nexum cum anterioribus haberet, & inferri atque colligi ex iis legitima argumentatione poſſet? Niſi forte tam a me impotens haberi velis, ut quod nec debebat concludi, neque poterat, id concluſum a te tamen exiſtimare cogar, ac voluiſſe te adeo prudentem ſcientemque tam inepte concludere? quod abſit, ut de infinita tua perſpicacia ſuſpicer. Quid vero? an collectio prudens eſt: *Non unus* PETRUS *eſt fundamentum Eccleſiæ; nec ſoli* PETRO *claves ſunt traditæ:* ERGO *ut ab Appio ſcholam nobilem nominamus;* ERGO *ut Boruſſorum populo regiam poteſtatem comparatam dicimus, ſic eſt Clavium* SUBJECTUM DENOMINATUM *multitudo & Univerſitas Chriſtiani populi?* De collectione interrogo; non an verum ſit. Nam eſt veriſſimum alioquin in argumento *conſequens:* ſed argumentatio ex eo ridicula eſt, quoniam ſive uni, ſive multis claves commiſſæ ſint; ſi ſint modo in Eccleſia Claves, adpellationis Eccleſia tota hoc ipſo fit particeps; & *ſubjectum*, ſi ita liberit, *denominatum* dici poteſt. Viciſſim vero an ſequitur: *Eſt Univerſitas ſubjectum denominatum Clavium: non igitur ſoli* PETRO *Claves traditæ ſunt?* Qui ita diſputet, poſſet ſimili ratione cuivis Principum poteſtatem regiam detrahere. Quare cum non tu aliud, quam quod *debebas*, *volueris* concludere; *debueris* autem id ſolum, quod poteras: certe aliud *volueris*, alio

ani-

animum, magnamque mentem tuam intenderis, necesse est. Quorsum vero? Fatere obsecro, ac si non mihi, tuis saltem verbis, & hominum communi sensui defer. Dedisti *Universitati*, quod unius esse proprium PETRI pernegaveras. Negaveras autem, principatum, stirpem fontemque ipsum Ecclesiasticæ potestatis penes *Petrum* esse: hæc igitur omnia in *Universitatem* transtulisti: sic enim hæret tua disputatio. Nam illud liquido sequitur: *Universitati* concessæ sunt claves, habetque hæc illas non adpellatione tantum, sed ipsa re: non igitur soli PETRO sunt traditæ. Quod autem reciproce sic tu etiam argumentabare: Non soli traditæ sunt PETRO: ergo *Universitati* transcriptæ sunt: id quidem fateor, non sequi proxime; sed nec volebas tu illud, nec tua intererat. Interim tacitus est nexus. Si enim præterea addatur: Non soli PETRO esse traditas claves; verum etiam Episcopis; tum hoc iterum, non solis fuisse datas Episcopis, sed *ministros*, ut inquis, & executores hos esse tantum Ecclesiasticæ potestatis: prono alveo, tanquam in mare, ex quo exeunt flumina, ut ait sapiens, sic in credentium, Christianique populi universum cœtum volens nolens deveheris. Expecto, ut heinc te expedias.

Quanquam quei te expedias, rogo? Qui significantibus disertisque verbis non nomen, sed *potestatem* ipsam Clavium Universitati a Christo traditam scripsisti; qui *radicalius* hanc esse *in Ecclesia*, *quam in Prælato*; qui *principaliter*, qui *proprie*, qui ita hanc ei inesse, ut portionem cuique suam, id est, muneris, functionumque sacrarum partem ipsa describat: qui hæc inquam docebas, repetebas, inculcabas, speras glaucoma te posse facere, ac præter adpellationem nihil in populum abs te collatum audes dicere? Ubi pudor?

Quodsi non mendax es, estque vera ista tua excusatio; cedo, quid contra BELLARMINUM tibi erat necesse disputare? *Omnes hæ*, inquis, *locutiones* (quas de Clavibus scilicet ex Tridentino scripseras) IN BELLARMINI, *& Discipulorum ejus opinione non intelliguntur*. Itane? quod in macellis laniones sciunt, quod in textrino textor, in mensa sartor, in sede sutor, quod rudes plebejique omnes, id a BELLARMINO negatum fuit? Ubi? Non sapis certe; aut si sapis; strenue es, impudenterque Adversario tuo mentitus: hoc ego & *volui* inferre, & *debui*. Pergamus.

III. Recitas ejusdem contra te verba doctissimi & eximii Viri: FEBRONIUS *cum* DUPINIO *suo mavult Ecclesiam Reipublicæ comparari, in qua Jus vitæ & mortis, belli & pacis derivatur in cives, potestate ipsa manente penes Rempublicam tanquam in fonte & radice*. Tum subjicis: IMPERITE HÆC OMNIA, ET CONTRA TOTAM *Febronii* MENTEM. (1)

F Mise-

(1) In Apolog. Tom. 2. pag. 193.

Miſeret me Colonienſis Theologi: qui ſi a tota tua aberravit mente, toto cœlo aberravit. Tam enim vaſta eſt mens tua. Sed de hac quidem & vidimus, & videbimus iterum. Quod autem imperitiam accuſandam tibi putaveris; quoniam perinde ſum ego ſtupidus; facies, quod eſt dignum tua humanitate, ſi ſaniora nos doceas. Et facis hoc: ſequitur enim: *Cum homines primum in reſpublicas & regna coirent; tranſtulerunt in unum Jus vitæ & necis, & reliqua Jura omnia ad continendos in officio cives, eoſque adverſus vim exteram tuendos neceſſaria & opportuna. Hæc origo, hoc fundamentum Jurium Majeſtaticorum.* NIHIL HIC *poteſtatis remanet penes cives tanquam in fonte & radice.* (2)

Quod fauſtum ac felix ſit; quod fortunent tibi deæ ac dii omnes, rem præclare geſſiſti, Juriſconſultorum maxime, lumen temporum, magiſter, princeps, & ſiquid præterea eſt, quod conferre ad ornandum te debeam. Erat *Reipublicæ* nomen hactenus ambiguum; atque alias quidem, præſertim cum in voces duas dirimebatur, quemlibet, ut ajunt, *ſtatum*, ſive Monarchicus is eſſet, ſive Ariſtocraticus, ſive alio quovis genere regiminis informatus, ſignificabat. Sed ex communi, detritoque uſu ad eam referebatur Communitatem, cujus populare eſſet regimen: ſumebaturque hoc ſenſu, quotieſcunque ſive Communitates inter ſe plures, & regiminum ipſa genera ac modi contendebantur, ſive de ſingulari & individuo quodam agebatur *ſtatu*, quodque genus in eo regiminis quæ forma eſſet, examinabatur. Et in hanc ſane ſententiam Theologus UBIUS uſurpavit vocem illam: nam de ea eſt locutus Republica, in qua poteſtas penes multitudinem tanquam in fonte ac radice permaneat.

Quid vero Juriſconſultus? *Imperite hæc*, inquit, *omnia*, imperite. Ubicunque Reſpublica, ubicunque regnum, perinde eſt: *in unum vel plures transferuntur jura Majeſtatis; nihil heic poteſtatis penes Cives manet.* Audio. Sed quid igitur TULLIO faciam? hujus enim a me talis eſt ſupra commemorata ſententia: *Cum poteſtas in populo, auctoritas in ſenatu ſit.* Nihil refert, imperite. At ille Romanus fuit, Ædilis, Augur, Conſul? imperite. At legem recitat? imperite. Legem manifeſtam, claram, perſpicuam: *Magiſtratus* (ſic ſunt verba) *Magiſtratus nec obedientem & noxium civem mulcta, vinculis verberibusque coercento, ni par, majorve poteſtas, populusve prohibeſſit: ad quos provocatio eſto?* imperite. Etiamne, quæ de *Athenienſibus* XENOPHON, de *Carthaginenſibus, Syracuſanis, Epheſiis* alii? Etiam, imperite hæc omnia. Nullum igitur populare regimen? nullum in orbe terrarum? nullum eſt? nullum fuit? Nullum prorſus, ſic Juris-

(2) Ibid.

Jurisconſultus. Quid dicam, quid cogitem? Hæc illa exceptio eſt, quam negavi, apto nomine poſſe a me exprimi, expectoque, quo, qui eam legerint, adpellandam putent. Nam neque oſcitantiam, neque inſcitiam aut ſtuporem nominare poſſum: quis enim credat? Quis? rem tam obviam, tam pervulgatam, tam tironibus ac prope pueris notam, ac cujus ne attingi quidem poteſt eminus mentio, quin totam ſeſe animo ſtatim, intelligentiæque exhibeat, vel ignoratam a trium voluminum fuiſſe ſcriptore, vel ſcribentis ſenſum attentionemque fugiſſe? Dicam tamen, quod divinare potui. Videtur mihi agyrtas & circulatores voluiſſe imitari, qui cum ſpectantium oculos imminere ſibi ac ſuis præſtigiis animadvertunt; queis neſcio interrogatiunculis implicare eos tantiſper ſolent, & a perſequendo, quod aſpectui volunt ſubductum, retrahere. Sic ille pariter cum tangi ulcus perſentiſceret, vereretur que, nequis altius fodicaret; projiciendum ſibi aliquid in medium, qualecunque id demum, modo novum atque inſolens, exiſtimavit, quo poſſent alio legentium animi diverti. Quid autem inſolentius, quam, populare cum feciſſe regimen Eccleſiæ arguaris, reſpondere te, imperite hoc objici; ac rationem reddere quod populare in mundo regimen nullum ſit, neque fuerit?

III. Quanquam eſt in ea etiam reſponſionis parte, quæ de *regnis* procedit, conflictus & pugna viri ſecum ipſo mira & incredibilis. *Cum homines*, inquit, *primum in regna coirent, transtulerunt in unum vel plures Jura omnia: nihil hic poteſtatis remanet penes cives.* Si ita eſt; (non nego autem quod eſt veriſſimum; ſed inconſtantiam accuſo) ecquid ipſe in eodem tomo de Regnorum mundi, ut vocat, ſtatu hæc potuit ſcribere: *Ille utique tanquam ab arbitrio populorum dependens, mutari, laxari, adſtringi, atque ita multis modis a ſua originaria inſtitutione & prima ſanctione pragmatica diſcedere poteſt*? (3) Ecquid Tostati facere ſua hæc potuit Tomo primo: " Si aliqua Communitas vel Collegium eſt; ibi erit " juriſdictio: & quia non poteſt adminiſtrari per univerſam ſocietatem; " adminiſtratur per unum de Communitate: non eſt tamen juriſdictio in " illo, ita quod non ſit in communitate; ſed eſt magis in Communitate, " quia antequam ille conſtituatur in Judicem, vel Rectorem, nullam habet juriſdictionem: illo mortuo, vel cedente non penitus expirat juriſ- " dictio: poteſt alius præfici in Rectorem vel judicem; non tamen poſſet " hoc fieri, ſi non maneret juriſdictio in Communitate. Ergo ipſa Com- " munitas habet magis juriſdictionem?" (4) Qui idemmet eſt locus ille,

F 2 quo,

(3) Pag. 553.
(4) Tom. 1. §. VI. pag. 33.

quo, ut ſupra oſtendimus, poteſtatem Clavium, & quidquid eſt ſacræ in Eccleſia juriſdictionis, non tam in *Prælato*, quam in univerſitate, totoque cœtu hærere, Febronius probat.

IV. Sic itaque de profanis ille Rebus publicis non tam *imperite*, quam ſtolide. Nunc de Eccleſia quemadmodum errorem, immo hæreſin ſuam excuſet, videamus. Proſequitur ita: *ſed neque aliquid etiam hic eſt, quod vel in umbra quidem comparari poſſit cum regimine Eccleſiaſtico, ſive quoad fundamentum & conſtitutionem, ſive quoad exercitium, & durationem.* Sunt in hac reſponſione duo, quorum alterum intelligo, alterum capere nulla ratione poſſum. Intelligo, ac non in umbra, ſed in magna luce Puffendorfium, cum Eccleſiam non eſſe *ſtatum* ſcribit, & deſcribentem hoc ex eo, & collaudantem Febronium intueor: qua de re diligenter dicam alibi, & ſolide. Illud non adſequor, qua confidentia deſpecti nos adeo, proque fungis & brutis animantibus a Febronio habiti ſimus, ut poſſe ſilentium ſe nobis indicere exiſtimaverit reſponſione tam frivola. *Non heic*, inquit, *eſt, quod vel in umbra comparari poſſit cum regimine Eccleſiaſtico.* An hoc quærebatur? An Colonienſis Theologus comparaverat? Immo a te, a te, inquam, βλεννε, poſcebatur ratio, cur tu reapſe Reipublicæ Eccleſiam, ſecutus Dupinium, Richeriumque, & Quesnellianæ alumnos ſectæ comparaſſes, immovero cur feciſſes Eccleſiam Rempublicam, in qua fons atque radix poteſtatis in multitudine manet, ſola geſtio & procuratio transfertur in alios: hoc a *te* quærebatur: cur non reſpondes? Adeone tu hebes ſis, ut, quid vellet, quid objiceret tibi Adverſarius, non poſſes adſequi? At ille nitide & ſine ambagibus dixerat. Aut igitur quod *Univerſitati* Claves traditas eſſe ſcripſiſti, non ex eo eſt conſequens, quod ille ſumebat, Eccleſiam ad formam *Reipublicæ* redigi; aut eſt illud revera conſequens? Si non eſt; nonne demonſtrari hoc a te ipſum oportuit, ſilentiumque adeo, ne porro hiſcere contra te cuiquam liberet, omnibus imponi? Si eſt; annon iis ſaltem, quorum offenſa a te religio ſcriptione fuerat, hoc debebas, ut vel non traditum a te aliquid, ex quo tam improbum manare dogma poſſet, liquido oſtenderes; vel, quod *ſanctitatis* tuæ magis intererat, rotunde etiam, diſertisque verbis, quod incautus ſcripſeras, revocares? Horum neutrum tu facis, neutrum, ſed es piſce mutior.

Nam quod ita continuo ſubjicis: *Hoc totum quantum & immediate a Deo eſt, & ſecundum ſanctiſſimam ejus ordinationem vel in ſcriptura expreſſam, vel traditione declaratam, nunc & in perpetuum dirigetur:* quo a me loco haberi putas? Dicam tibi: nullo. Nam & Quesnelli, & Janseni-

SENI-

SENISTARUM, & LUTHERANORUM, CALVINISTARUMque omnium hæc vox eſt: nec nos eo te nomine accuſamus, quod profanam feceris originem Clavium; nec quod negaris, *immediate* a Chriſto ordinatam, & inſtitutam Eccleſiaſticam eſſe omnem poteſtatem; nec demum illo, quod adminiſtrationem, exercitiumve hujus poteſtatis, & durationem regiminis ſacri definire nos aliter, quam ex Dei ſanctiſſima ordinatione juſſeris. Minime: nam nec ii nos ſumus, quibus calumniari ſit animus: &, ut eſſet; ſunt de ſe, quæ ſcripſiſti, turpiora, quam ut calumniis opus ſit. De hoc tibi reſpondendum eſt: ecquid, tametſi a *Chriſto* & *immediate*, non tamen Epiſcopis, ſed *multitudini* commiſſas Claves docueris; tum ordinationem commentus ſis traditione, ſcripturisque ſacris declaratam, ut miniſtri & executores multitudinis Epiſcopi ſint, & portionem his ſuam, quemadmodum loqueris, hoc eſt, jurisdictionis, poteſtatisque partem ac modum multitudo ipſa deſcribat? De his tu omnibus cur ſiles, obſecro? cur obmuteſcis? ſi accuſatio falſa eſt, cur non repellis? ſi vera, cur errorem non corrigis? Poſſumne, quin βατταρισμον, garrulitatemque illam tuam meris ac putis fraudibus, *ad convictionis* ſcilicet (ut ſic tua recipias) *declinandam* invidiam & *confeſſionem*, adſcribam? (5)

Sed enim fallar fortaſſis. Scripſiſti, *a tota mente tua aberrare* KAUFFMANSIUM: id vero nonne ſatis eſt, inquies, ad propulſandam invidiam? Ita eſt: ſcripſiſti. Verum da mihi hanc, quæſo, veniam, ut brevi bolide profunditatem mentis tuæ experiar: Adhibuerat Colonienſis Theologus nomen *Reipublicæ*. Id quia *ſtatum* ſignificat; negas autem tu cum PUFFENDORFIO Eccleſiam ſtatum eſſe: in hoc utique latebram habuiſti, ut aberraſſe a tota mente tua virum doctiſſimum ſcriberes. Sed dimittamus nunc, quia ſic horres, hoc *reipublicæ* vocabulum: ſtatuamus *Collegia* eſſe multa, ut vis: tum in his Collegiis poteſtatis imperiique Summam, ſeu Claves penes multitudinem eſſe dicamus, cujus multitudinis miniſtri & procuratores Epiſcopi ſint: hæc, inquam, ponamus ita, & te hujusmodi in Eccleſiam invexiſſe regimen dicamus: quid? etiamne a tota mente tua aberrabimus? Intra in te, quidque tu tibi objicias, quid conſcientia tua tibi reſpondeat, vide! Ego, ne pudore te obruam, atque occidam, premere fortius in præſens non volo.

(5) FEBRONIUS *Tom.* I. *c.* I. §. I. Diſtinctiunculis, quæ ad declinandam convictionis confeſſionem inventæ ſunt, hic locus concedendus non eſt.

§. II.

Quid Patri Kleinero de *Richerismo* Febronium accusanti ipse responderit?

Fraudulenta hominis ad Tournelium provocatio. Repellitur hæc, & ex ipso Tournelio revincitur criminis. Ex despoliatione adeo ipsius Richerii. Ex aliis in tomo tertio perverse positis.

I. Kleinerus Societatis Jesu Presbyter, Professorque sacrorum Canonum in *Heidelbergensi* Academia, inter cætera, quæ quidem breviter, sed adcurate nervoseque de Febronio monuit, hoc etiam, tanquam præsagitionem habens animo inclusam, ei prædixit: non defuturos, qui *Richeriani* systematis ductus satis aperte in illius libro detegerent. Non heic exponam, quantam in rabiem Jurisconsultum hæc crisis egerit. Exposui id alias, nec est loci hujus, βωμολοχιαν, & purulentiam oris maledici rursum describere. Quæro hoc solum, quei se defenderit? quid pro se dixerit? Sic autem respondet: " Richeriani systematis ductus satis aperte apud Febronium detegi, hic per calumniam observat Jesuita " Heidelbergensis. In eo Edmundus Richerius a doctrina, quam Gallicana " Ecclesia profitetur, potissimum discrepat, quod ille docuerit, Romanum " Pontificem Ecclesiæ quidem Caput esse, at *symbolicum duntaxat, seu figurativum, ministeriale, accidentarium, non necessarium.* " De hoc Tournelium videre nos jubet Tractatu de Ecclesia, Quæstione V. Articulo II: pergitque: " An talia somniavit Febronius? si vir est Kleinerus, edicat distincte, in qua doctrina, aut in qua propositione minus " orthodoxa Richerium sequatur Febronius. Dum sic falsum fontem, e " quo hauserit Febronius, calumniose indicat Jesuita, dissimulat veros, " quibus ille parenter usus est." (6)

Quid primum mirer? tam imperitum hunc fuisse thrasonem, ut non aliunde, quam ex libro Tournelii sciret, quid Richerius senserit? an tam impudentem, ut ne heic quidem, ubi in oculis propemodum fraus est, tem-

(6) In Append. pag. 41.

temperandum ab ea ſibi putaverit? an tam furioſum denique, ac deſperabundum, ut quod perhorreſcere ab initio videri voluit, in illud ſe barathrum, tanquam SPHYNX in fabulis ſoluto ænigmate, totum ac toto mentis, ſcriptioniſque impetu præcipitem daret? ſi ignotum, incertumque teſtem, & ab quotidiano ſegregatum uſu adpellaſſet; potuiſſet locus eſſe deceptioni fortaſſis: nec enim in promptu fuiſſet, malignitatem retegere. Sed libros TOURNELII quis noſtrum manibus non trivit? Vide TOURNELIUM, inquit. Vidimus: ille ſic loquitur in eo loco, quem FEBRONIUS citat. "In extre-" mum oppoſitum lapſi ſunt nonnulli, imprimis EDMUNDUS RICHERIUS in" libello de Eccleſiaſtica ac politica poteſtate, ubi extra metas abreptus," ut Eccleſiæ auctoritatem extollat, Pontificiam omnino deprimit &c." Tum propoſitiones ex libello RICHERII excerpit ſequentes: "Ima. *Chriſtus*" *ſuam fundando Eccleſiam prius,, immediatius, & eſſentialius Claves ſeu*" *jurisdictionem toti dedit Eccleſiæ, quam* PETRO *& aliis Apoſtolis.* IIda. *Tota*" *juriſdictio Eccleſiaſtica primario, proprie & eſſentialiter Eccleſiæ convenit;*" *Romano autem Pontifici atque aliis Epiſcopis inſtrumentaliter, miniſterialiter, & quoad executionem tantum, ſicut facultas videndi oculo competit.*" IIItia. *Chriſtus non tam uni* PETRO, *quam unitati infallibilem Clavium po-*" *teſtatem detulit.* IVta. *Papa eſt Caput Eccleſiæ ſymbolicum, miniſteriale,*" *accidentarium, non eſſentiale, viſibile ſub Chriſto Capite principali & eſ-*" *ſentiali; cum quo poteſt Eccleſia facere divortium, quia hoc Caput ſymbo-*" *licum ſeu figurativum poteſt adeſſe, vel abeſſe ad tempus ſine Eccleſiæ in-*" *teritu.*"

Ex his manifeſtum imprimis eſt, primam atque principem inter reprobatas RICHERII propoſitiones fuiſſe illam, qua is *Claves*, ut ipſe TOURNELIUS in eo loco obſervat, *ſeu jurisdictionis poteſtatem uni & ſoli Eccleſiæ a Chriſto immediate,* PETRO *autem, cæteriſque Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus Epiſcopis mediate per Eccleſiam datas eſſe contendit.* Quid? quod cæteræ duæ, tametſi vocum novitate abſurdæ, & ad offenſionem comparatæ, explicatum habere commodum nihilominus poſſent, niſi a primis duabus, cum quibus nexum habent, virus, vitiumque hæreſis traherent. Neque enim niſi evolutio illarum ſunt, & tanquam rivi ex fonte, & ex adſumpta generali theſi conſectaria. Velut, quod infallibilem Clavium poteſtatem non tam uni PETRO, quam unitati conceſſam RICHERIUS tradit; nihil hoc quidem a Gallorum, & ipſius TOURNELII doctrina diſcrepat, quatenus vim ultimam decretorum fidei, & ασφαλειαν, *inerrantiæve* donum a conſenſione repetendum hi volunt Epiſcoporum cum ſummo Pontifice. Sed in eo propoſitionis vitium cubat, quod Claves, prout Jurisdictionem univerſe, atque fidei etiam determinandæ infallibilem poteſtatem ſignificant, *ſoli* Ec-

cleſiæ,

clesiæ, & *toti* Christianorum cœtui *immediate* a Christo traditas adstruat. Quamobrem refellens eam in illo loco Tournelius, Claves, inquit, & *uni* Petro, & *unitati simul concessæ dicendæ sunt, nec unum aliud excludit. Datæ sunt uni* Petro, *non quidem per exclusionem Ecclesiæ; sed quia unus ille Primatum & regiminis potestatem accepit a Christo, atque personam Ecclesiæ totius gerebat, cum ei dixit Christus: Tibi dabo Claves Regni cælorum. Datæ sunt etiam immediate unitati, id est,* omnibus Apostolis, eorumque Successoribus Episcopis.

Revertatur nunc ille mecum *Metellus innocens* ad ea, quæ superiore sunt articulo demonstrata: quid? potestne puncto a Richerio distare se dicere? Quid? non *Universitati* commissas Claves scripsit? non *immediate*, non *proprie*, non *magis*, non *radicalius*, non *principaliter* huic? Non ita, ut omnes Episcopi, summusque Pontifex executores ac ministri sint Universitatis? Non etiam hoc: neque Pontificem, neque Episcopos, neque paucos, neque multos, sed totum ex Laicis, secundique ac primi ordinis Pastoribus conflatum Corpus infallibilitate gaudere, Conciliaque ipsa, quantumvis œcumenica, ab hujus Corporis adsensione firmari? Atqui sunt ipsæ hæ illæ propositiones, quas pro *erroneis, scandalosis, & ut sonant, hæreticis, schismaticis* damnatas Tournelius adstruit. Ubi igitur frons, ubi pudor? (ignoscat Lector! cogor toties ista requirere, ubi non sunt. Sed ut requiram, admiratio facit: neque enim rebar, posse fieri, ut sic hominem aliquando desererent) ubi frons, inquam, ac pudor, cum de calumnia vir iste conqueritur, & innocentiæ suæ vocat Tournelium testem, quem si est obiter, ac quasi currens tantum intuitus, damnationem haud suam minus, quam ipsius Richerii velut eidem inscriptam cippo aut tabulæ debebat legere?

II. At enim Papam Caput *symbolicum, figurativum, ministeriale, accidentarium, non essentiale* haud dixit? O hominem bonum! scilicet hæc una propositio est, quam notatam censura Tournelius recitat? annon quatuor sunt? sed videamus tamen! Richerius si *Caput symbolicum ac figurativum* Pontificem ponit; quo vult sensu intelligi? isto scilicet: in *Universitate* cum potestas ac vis omnis resideat; tum vero Pontificem os, interpretem, ac procuratorem illius duntaxat esse. Tu homo innocentissime, an aliud quicquam docuisti? Immo an poteras, postquam primum & alterum Richerii pronuntiatum, quorum explicatio sunt tantum duo reliqua, pro fundamento, summoque lapide tuæ structuræ sumpsisti? Rursum. Richerius dum Caput *ministeriale* adpellat Pontificem; quid vult? istud; executorem ac ministrum esse Universitatis, nec illum proprio, a

Deoque ipſo accepto Jure, ſed alieno regere. Tu cum *Univerſitati* commiſſas Claves eſſe ſcripſiſti; cum *proprietatem* ac *dominium* Clavium ad Univerſitatem tranſtuliſti; cum Pontifici atque Epiſcopis præter *uſum exercitiumque* nihil concedis; cum *miniſtros* adpellas quoſvis ac ſingulos: an aliud doces? Iterum. Dum Caput, non *eſſentiale*, ſed *accidentarium* vocat RICHERIUS; quid vult? Iſtud: Chriſtum eſſe Caput *eſſentiale* Eccleſiæ; mori hunc non poſſe; nunquam igitur defore, quominus ſpiritum atque vitam ſuo Corpori impertiat. Cumque Claves, & quidquid ad ſacram pertinet poteſtatem, toti Corpori ab eodem ſit creditum; hinc ſublato Pontifice nihil detrimenti Eccleſiam ſubire, penes ſeſe & eſſentiam ſuam ſpectatam; ſed regiminis, hoc eſt, curandæ & exequendæ poteſtatis *modum* duntaxat mutari. Tu, qui hactenus hilo ab RICHERII latere non diſceſſiſti, potes, niſi te ipſum deſeras, heic illum deſerere? Neque vero in ea velim quiſpiam putet opinione fuiſſe RICHERIUM, ut antiquari, tollique penitus ab Eccleſia curationem, ac quaſi magiſtratum illum ſummi Pontificis judicaverit poſſe. Quod tametſi a DUPINIO ſit deinceps, ut vidimus, impie ac ſacrilege cogitatum: a RICHERIO nunquam traditum legimus. Quin eſſe mandatum ille potius ſcripſit, & *præceptum* a Chriſto impoſitum Eccleſiæ, ut ſummum Pontificem habeat; tametſi eorum id eſſe dicat e numero, quæ *adfirmantia* a Theologis nominantur, & *ſemper, ſed non pro ſemper*, ut ajunt, *obligant*. (7)

Paucis: hæc ſumma doctrinæ eſt: Quidquid Clavium venit heic nomine, quidquid poteſtatis, Juriſdictionis, ſacri Imperii eſt in Eccleſia, penes Communitatem eſt ipſam fidelium: Sic, ut cum per ſe quidem præcipua functio de voluntate Chriſti demandanda ſit uni; conſultatioque & deliberatio, & rogatio canonum Epiſcopis atque Presbyteris: nihilominus & unus ille, & Epiſcopi atque Presbyteri, & Concilia ipſa Epiſcoporum ac Presbyterorum, ſcitaque, conſulta & decreta omnia Univerſitatis ſint ſubjecta Judicio. Sic hæret libellus: quem alioquin, ne a ſe diffluat, apte componere, & conciliare, ut ſecum ipſo conſentiat, difficillimum ac prope ἀδυνατον viris doctiſſimis PETAVIO & pleriſque aliis fuiſſe viſum intelligo. (8)

(7) In libell. de Eccleſ. poteſt. N. 3 & 4. Et in Apol. ſeu vind tom. 2. pag. 16.

(8) *Hærent ſane hæc ita inter ſe comparata*: 1. Eccleſia cœtus fidelium, ſive Chriſtiana Reſpublica unico & ſolo capite ac fundamento eſſentiali Chriſto Domino contenta. *In principio 7mo.* 2. *Huic* Eccleſiæ tota juriſdictio Eccleſiaſtica primario, proprie ac eſſentialiter convenit, Romano autem Pontifici, atque aliis Epiſcopis inſtrumentaliter, miniſterialiter, & quoad executionem tantum. 3. *Scilicet* vulgare atque indubitatæ fidei axio-

III. Ede jam, ſiquid habes, *Jurisconſulte*, quo diſcrepare te ab Edmundo Richerio, atque adeo in quo præ illo confidentem te ego & audacem non ſim dicturus, probes. Ede! Si nihil eſt; quei de calumnia conquereris? Sed fuerit illa tamen a Kleinero tibi impacta calumnia: tu quidem ut calumnia jam eſſe deſiverit, deſperatione feciſti. Age tomum tertium tuum in manus ſume! (9) *Sacra Scriptura*, inquis, *non fidei modo, ſed & eloquii noſtri norma, non alteri, niſi Chriſto dignitatem Capitis Eccleſiæ tribuit.* An falſum dico? Probas hoc, & ſcripturarum, nonnullorumque

ma eſt, Deum & naturam prius atque immediatius ad totum ſuppoſitum, quam ad aliquam partem ſuppoſiti, quamvis nobiliſſimam intendere. 4. *Heinc* Chriſtus fundando Eccleſiam, prius, immediatius atque eſſentialius Claves ſive jurisdictionem toti dedit Eccleſiæ, quam Petro, ſeu quod eodem redit, Claves toti contulit Eccleſiæ, ut per unum miniſterialiter exercerentur. *Lib. N.* 1. 5to. Senatus aut conſilium nativum Eccleſiæ a Domino inſtitutum non modo Epiſcopi, verum etiam omnes Presbyteri curam animarum habentes. *N.* 5. *Heinc* 6. Eccleſia eſt politia Monarchica regimine Ariſtocratico temperata. *Scilicet quantum ad modum exequendæ poteſtatis, quæ quoad ſubſtantiam, tota in cœtu fidelium reſidet, eſtque democratica in tantum Eccleſiæ politia. Heinc* 7mo ſola Eccleſia collective ſumpta eſt infallibilis N. 7. *vel ut* N. 6. *Princip.* 4. Infallibilis poteſtas decernendi aut condendi Canones eſt penes totam Eccleſiam, aut generale Concilium illam repræſentans. *Et quoniam* 8vo omnis principatus quoad vim coactivam ab hominum conſenſu pendet, ut lex divina & naturalis confirmat, (N. 2. ad object.) Deusque & natura prius atque immediatius ad totum ſuppoſitum intendunt *per dicta ſuperius*; *ſequitur*, Rom. Pontificem, qui eſt caput miniſteriale, univerſalem Eccleſiam (*ſive in*, *ſive extra Concilium*) inconſultam, diſſentientem, invitam, vel inauditam obligare non poſſe. N. 6. & 8. 9no. Quæ autem ratio œcumenici Concilii ad Romanum Pontificem, eadem quoque & Synodorum particularium ad ſuos Epiſcopos: quoniam particulares Eccleſias itidem Canone, non abſoluta poteſtate a propriis Epiſcopis gubernari oportet. N. 5. *Heinc* 10. frequens celebratio Synodorum abſolute & ſimpliciter neceſſaria eſt ad Eccleſiam melius ſanctiusque regendam. *N.* 8. *Prin.* 5. - *Sed enim quandonam Concilium aut Synodos repræſentaſſe Eccleſiam collective ſumptam, dicendum erit? Certe ſi adſenſione Corporis firmata fuerint. Nam huic* tanquam ſuppoſito Claves traditæ ſunt: & ſpiritus Prophetarum Prophetis, (*id eſt*, Ecclesiæ, *ut interpretatur Richerius* N. 6.) ſubjectus eſt: & quod omnes tangit, neceſſe eſt ab omnibus quoque comprobari (ibid.) *inque ipſis Conciliis generalibus* Decreta fidei Catholicæ *nonniſi* inductione & conſenſu omnium particularium Eccleſiarum inito, univerſim inferuntur, ac concluduntur. Ibid. *Quare hoc ipſum an ita factum ſit, earundem erit particularium Eccleſiarum cognoſcere.* Paucis: quia quoad modum exequendæ poteſtatis politia monarchica eſt Ariſtocratico regimine temperata; heinc Conciliorum neceſſitas & auctoritas: quia poteſtas ipſa in Communitate eſt, heinc a Communitate vis ultima & decretoria. Ita quidem a Janſeniſtis intellectum eſſe libellum richerii ſcimus: heinc tot illæ Epiſcopis illatæ moleſtiæ a Curionibus, & Adpellantium grege.

(9) Titulo II. §. I. pag. 28. 29. 30. Verba, quoniam ad furta §phus hic pertinet, deſcribo infra.

que Patrum, & *Toletani* Concilii corrasis sententiis, tandem Majoribus nostris *Chalcedonensique* & *Florentinæ* synodo nominatim succenses, quod ad Romanum Pontificem adpellationem *Capitis* transtulerint. An negare potes? Rationem reddis, quod ansam res ea dederit, tribuendi *ministeriali* Ecclesiæ *Capiti*, quæ *essentiali tantum debentur, quod est Christus*. Recognoscis verba tua? At ne his quidem contentus, majorem sumis tibiam: argumentum cum tibi objecisses, *necessarium* esse in Ecclesia *Caput visibile, summa præpollens authoritate* (authoritate inquam: nam *Jurisdictionem* in primo tomo Pontifici detraxeras; *authoritatem* vero etiam *amplissimam*, quamvis pugnans, confligensque tecum ipso permiseras) explodis argumentum, ac prope abest, quin ridendo exsibiles. Neque enim Reipublicæ ais comparari Ecclesiam debere; *Christum*que *verum Ecclesiæ Caput* tametsi *carnis oculis invisibilem*, *oculis fidei* nihilominus *præsentem esse*; atque haud illum *minus*, *cum in cælis est*, *quam cum in terris degeret*, *invigilare & subvenire posse:* & quæ sunt alia in eandem a te sententiam in eo loco disputata. Cedo nunc, quid præter audaciam, quæ in te major est, proferri ad secernendum te a Richerio potest?

Etiamne ridiculus esse voles, ut *Caput symbolicum*, *figurativum*, seu quod idem est, *ministeriale*, *accidentarium*, *haud essentiale*, nec vocatum a te summum Pontificem, nec ut vocares, per somnium incidisse tibi respondeas? Patere, meam ego mentem de te exponam brevissimis. Ita sentio. Cum de calumnia tibi illata expostulabas; aut destinata jam tum apud te, & reclusa animo habebas, quæ in tertio exinde tomo scripsisti audacter; aut nondum furoris tum eo deveneras? si primum; non est Kleinerus, sed tu, tu inquam homo mendax es, & calumniator maximus. sin alterum; præter stuporem quidem, quo tum ita fuisti obsessus, ut consequentiam, necessariumque & inevitabilem exitum principiorum tuorum non prius videris; præter inconstantiæ perpetuum vitium, quo destruere ædificata consuevisti, & instaurare destructa: id ego improbitatis esse insuper haud sane mediocris dico, quod quam ex Tournelio ut minimum, etiam in Gallia damnatam esse doctrinam didiceras, & quam refugere tu nuper ac perhorrescere visus eras, nunc velut repagulis omnino ruptis, & admittas, tuamque facias, & confidenter ac magno cum strepitu inculces. Sed quid agemus? *Bacchæ bacchanti qui adversarier velit, ex furente faciet furentiorem*, ut est apud Comicum.

IV. Id ex iis adeo, quæ jam dicturus sum, magis patebit. Non equidem invitus crediderim; cum tomum primum Febronius meditaretur; non tam ex Richerio, quam Richeristarum, hoc est, Jansenistarum, Quesnellianorumque libris commune virus eum hausisse. Quod si sit, non est, cur corrigam, quod scripsi nuper, imperitiam me hominis mirari,

qui non aliunde, quam ex TOURNELIO doctrinam RICHERII indicare potuerit. Sin se aliter res habeat; emendandus omnino est error, & quod imperitiam interpretabar, consuetis fraudibus adscribi debet: propterea, quod qui in manu habebat RICHERIUM, ignotum sibi eum nihilominus, & quid doceret, non aliunde, quam ex TOURNELIO sibi esse perspectum, simularit. Utrumlibet sit: nunc quidem, cum tertium exaravit tomum, exscriptum ab eo fuisse RICHERIUM, spoliatumque scio. Furtum turpissimum: nam & is, a quo est admissum, idemmet est ille vir innocens, qui nuper, ne *ductus* quidem RICHERIANI *systematis* sine calumnia posse objici sibi, clamabat; & dogma ipsum, quod est furatus, ad perturbationem Ecclesiastici Ordinis, perniciosissimamque & manifestam hæresin comparatum est. Quod, quam a me neutiquam dicatur temere, explicandum nunc paucis; tum furti Schema exhibendum.

Ita res est: nuper monui, RICHERIUM Ecclesiasticam potestatem a gubernationis modo ea ratione disjunxisse, ut *potestatem* quidem in *multitudine* fidelium, cujus Caput est Christus; *administrationem* vero potestatis, *Hierarchici Ordinis* esse propriam existimarit. Sed hoc non contentus in alium errorem lapsus est: quod ita solet iis, qui a via regia discedunt, contingere. Cum enim ex Tridentino habeamus, ac dogma fidei sit, Episcopos divina institutione præstare Presbyteris Jurisdictione: ille e contra, quidquid Apostolis est uspiam datum, id omnibus etiam Presbyteris, animarum si modo habeant curam, *pro indiviso* fuisse datum contendit. Absurdissime profecto. Nam si verum sit; quemadmodum anteeant Episcopi Parochis, ne conjectura quidem possumus adsequi. Ut enim anteeant, divisionem cogitare necesse est, partitumque non æquali ratione regimen, nec idem omnibus obvenisse. Id vero, si *individue & collective* est datum, quis mortalium queat capere? " Non enim indivisa, inquit PETAVIUS, potestas ea est,
" quæ hoc modo distribuitur: quia idem & unum, qua idem est, non
" est divisum ac multiplex, nec a se ipso distinctum. Non solum itaque
" falsa est (loquor verbis ejusdem viri doctissimi) sed etiam hæretica, &
" synodali judicio damnata RICHERII hæc opinio: *Episcopalem & Presbyteralem Ordinem immediate, individue & collective missum, sicut a Patre suo missus est Christus: ita ut missio illa vera & realis sit collatio jurisdictionis.* (9) Siquidem missio Christi, ut & potestatis ac jurisdictio-
" nis in eum collatio, tum suprema fuit & absoluta; tum una, simplex,
" & individua: in qua omnis omnium Ordinum, graduum, ac Magistra-
" tuum

(9) Ut hæreat systema RICHERII, quemadmodum utcunque saltem aptare nos illud posse, nobis videbamur: debet *Jurisdictionis* vocabulum pro ea heic sumi auctoritate, quæ *potestati* in multitudine primario residenti subordinata sit.

" tuum Ecclesiasticorum potestas & jurisdictio tanquam in capite ac fon-
" te continebatur: *ut de plenitudine ejus omnes acciperent*, non solum gra-
" tiam, sed etiam auctoritatem ac potestatem. Quocirca si universi Or-
" dines Hierarchici *immediate*, *individue & collective* missi sunt a Christo;
" eaque missio *collatio fuit jurisdictionis*, itidem, ut a Patre missus est
" Christus, & hac ipsa missione illam accepit: par est in omnibus, & ea-
" dem, utpote individua; nec minor in simplici quolibet sacerdote pote-
" stas, & Ecclesiastica Jurisdictio, quam in Episcopo.

Quod sic ulterius exCivilium magistratuum exemplo(nam obtulerat illud RICHERIUS) illustrare pergit: " Quis dixerit, potestatem ac jurisdictionem
" omnem, quæ ab Rege dimanat, non solum immediate, sed etiam in-
" dividue & collective, in omnes tam superiores, quam inferiores diffun-
" di magistratus? Duorum enim alterum verba ista significant, vel non
" majorem in uno esse, quam in altero; tolluntque re proportionem il-
" lam & subordinationem, quam voce tenus in sequentibus adfirmat
" RICHERIUS. Vel illud indicant, non nisi in tota multitudine magistratu-
" um qualemcunque residere potestatem: in singulis vero nullam esse de-
" finitam, ac distinctam, sed confusam. Non secus ac consortes aliqui
" fratres duo tresve, antequam paternam hæreditatem inter se partiti sunt;
" totum patrimonium simul omnes, & pro indiviso possident: nec unus
" eorum certam illius partem vendicare sibi potest; sed in commune dun-
" taxat Jus in eam habere dicitur.

Hæc de doctrina RICHERII vir ille maximus in iis libris, quos LUTETIÆ PARISIORUM in conspectu SORBONÆ evulgavit. (10) Qui hoc etiam advertit, suspicionem haud esse mediocrem, cum ista scriberet EDMUNDUS RICHERIUS, *Catharorum* novitio dogmate fuisse illum contactum, ac voluisse tacite huic eum suffragari, Presbyterosque nihil ab Episcopis potestate distantes facere. (11)

V. De JANSENISTIS quidem, â quibus optatum esse libellum RICHERII diximus, constat, experientiaque compertum est, non eos aliter hujus magistri verba, doctrinamque interpretari. Hinc TRAVERSIUS in eo volumine, quod *Jura legitima primi & secundi Ordinis*

(10) PETAVIUS de Ecclesiast. Hierarchia Lib. III. Cap. XV. §. IX. XI..

(11) Ibidem Cap. XVI §. III. Ostenditque ex argumentis, quæ sunt eadem a RICHERIO, & ab hæreticis adhibita. Ut cum citat HIERONYMI ad HELIODORUM verba: *Ecclesiam habere cœtum Presbyterorum, sine quorum consilio nihil Monachis agere liceat.* Canonem 3. synodi Carthag. IV. *in quo Episcopo manus supra caput ejus* (qui ordinatur Presbyter) *tenente, etiam cæteri Presbyteri manus suas juxta manum Episcopi super caput illius tenere* jubentur. Rursum Canonem LEGIMUS distinct. 93. *Quondam Presbyteri Ecclesiam in commune regebant*: qui ex Hieronymo ad Evagrium sumptus est.

in administratione Sacramentorum, & *gubernatione Ecclesiæ* inscripsit, nihil veritus est adserere; inter Episcopos atque Presbyteros non plus esse discriminis, quàm inter Cardinales atque Episcopos: cum utrorumque differentia ex sola Ecclesiæ ordinatione profecta sit. (12) Distare Presbyterum ab Episcopo, quantum TITUM a TIMOTHEO: parem quippe omnibus a Deo & Spiritu sancto collatam esse auctoritatem. (13) Functionem ostendi nullam posse, quæ si Episcopis *divino Jure* vindicetur, non a Presbyteris eodem alias jure, vi ac potestate *Ordinis* sui sit exercita. (14) Quam quidem hæresin suam ex eo probat, quoniam ut Episcopi Apostolis, sic Curiones septuaginta Discipulis successerunt; Christus vero discrimen nullum fecit neque functionum, neque potestatum. (15) Quid aliud RICHERIUS? *Christus*, inquit hic, *omnes Apostolos, atque Discipulos, qui Episcopalem, & Presbyteralem Ordinem referebant, immediate, individue, & collective misit: sicut a Patre suo, id est, cum justa & spirituali auctoritate ad Ecclesiam regendam missus fuerat*: quæ nisi sint eadem, atque illa TRAVERSII; captus oculis ego sum.

Et ut cæteros, quorum ejusdem sunt fermenti scripta atque sententiæ, in præsens mittam; uno, cujus nuperrime liber est editus, & quem (rumpatur licet JUSTINUS FEBRONIUS) nominare sæpius cogar, volo contentus esse. Is est Anonymus ille, qui librum de Primatu Romani Pontificis scripsit anno millesimo septingentemo septuagesimo, ut mihi quidem videtur, in novi PROSELYTI gratiam: nec enim alteri fuit ille utilior. Sed de hoc postea. *Opponent* (sic iste objicit sibi tenebrio) *Episcopos licet Romano Pontifici ex instituto divino subjectos habere tamen plenitudinem sacerdotii, sicque semper vere Episcopos eos esse.* Quibus ita respondet: *In alio opere ostendam, plenitudinem hanc sacerdotii, quæ Episcopis adscribitur, & a qua excluduntur Presbyteri, vocem esse sensu vacuam, nomen sine re, novitatem doctrinæ sanæ contrariam.* (16) Paulo post, *plenitudinem imaginariam* eam vocat: & aliquanto superius dixerat,

(12) LES POUVOIRS LEGITIMES &c. *pag.* 586: L'on peut dire de l'Episcopat ce que l'on assûre du Cardinalat Romain, aujourd'hui si suréminent a l'Episcopat, qu'ils sont des dignites, qui doivent, – – a l'institution positive, & qu'ils ne conservent, que parce que l'Eglise, qui a reglé les rangs, qui fait les superieurs, & qui a réservé aux Evêques les plus éclatantes fonctions du sacerdoce &c.

(13) *Pag.* 584. & *seq.* Les prêtres – – ont reçu de Dieu & du St. Esprit les mêmes pouvoirs, que Timothée & Tite & les autres Evêques.

(14) Les Evêques n'ont aucune fonction, qu'on puisse assurer leur être propre de droit divin, que les Prêtres n'aient faite autrefois de même droit, ou par puissance d'Ordre.

(15) *Pag.* 299. & *seq.* J. C. ne paroît pas leur avoir donné aux Disciples) des pouvoirs différens & de moindres fonctions.

(16) Pag. Edit. latino-gallicæ 492.

dixerat, *Jurisdictionem, quæ Episcopis in Parochos competit, non esse nisi Ecclesiastici Juris; neque Episcopi solius propriam ex vera Ecclesiæ disciplina, sed communem ei cum synodo, cui præest:* nam *hujus, ut possit non vacua & irrita esse sententia, suffragiis consensuque opus esse.* (17) Equidem si proditurus aliquando, quem comminatur, est liber, neutiquam dubito, quin *septuaginta Discipulis* in prima acie locus futurus sit: missioque, quam cum Apostolis habuisse eos communem & individuam RICHERIUS scripsit, argumentum extitura præcipuum. In quo utrum fallar (quanquam parvi interest: quid enim proferet nisi obsoletum ac rancidum?) dies dabit. Nunc mihi hoc satis est, ad ruinam Episcopalis Ordinis RICHERIANUM spectare dogma, & id usu ipso constare.

VI. Quod cum ita sit; quis perhorrescendum non illud sibi & execrandum homo catholicus putet? quis amplectatur? quem ditescere tam turpi spolio non pudeat? sed FEBRONIUM nullius pudet. En SCHEMA! (18) in quo tametsi sit illud

(17) Pag. 490. Celle-la (Jurisdiction) n'appartient à l'Evêques selon la vraie discipline de l'Eglise, qu'autant qu'il est à la tête de son synode, & qu'il agit de concert avec lui. *Quæ interpres Latinus non omnino, ut erant reddidit.*

(18) SCHEMA FURTI ET HÆRETICI SYSTEMATIS.

EDMUNDUS RICHERIUS *Libelli cap. 2.*

Cum Dominus noster Cap. XVI. MATTHÆI, verbo futuri temporis, Claves nomine totius Ecclesiæ Beato PETRO sic despondisset: *Et ego tibi dabo Claves &c.* tum demum eas actu Ordini Hierarchico confert: primum MATTH. Cap. XVIII., ubi Ecclesiam sibi sufficientem, & architectonicen ita constituit: *Dic Ecclesiæ.* Secundo per realem missionem: *Designavit Dominus & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus.* 3. JOAN. *Cap.* 17. *Sicut me misisti in mundum, ita & ego eos misi in mundum, & pro eis sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate, ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti, ut sint consummati in unum &c.* Quibus verbis liquido demonstratur, Christum non tam uni & soli Petro, quam unitati infallibilem Clavium potestatem detulisse. 4. JOANN. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.*

FEBRONIUS *Tom. III. pag. 9. & seq.*

Cum Dominus noster MATTHÆI Cap. XVI. verbo futuri temporis Beato PETRO nomine totius Ordinis Hierarchici, quem ob Primatum suum ille referebat, sic despondisset: *Et ego tibi dabo Claves regni cœlorum;* tum demum eas Ecclesiæ in suo Ordine Hierarchico actu confert, quando 1mo MATTH. XVIII. ℣. 17. Ecclesiam de & per se subsistentem ita constituit: *Dic Ecclesiæ &c.* 2do. Per realem missionem: *Designavit Dominus & alios LXXII, & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum &c.* LUCÆ X. 3tio. JOAN. XVII. pro Ecclesia sponsa hoc modo exorans: *Sicut me misisti in mundum, ita & ego mitto eos in mundum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me &c. ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti, ut sint consummati in unum &c.* Quibus verbis liquido apparet, Christum non tam uni & soli PETRO, quam unitati infallibilem Clavium potestatem detulisse. 4to. JOAN. XX. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c.*

illud quidem considerandum potissimum, quod perinde atque RICHERIUS, Claves *immediate*, *individue* & *collective* Discipulis juxta, ac Apostolis, id est, *Presbyteris* una atque *Episcopis* fuisse datas contendit: sunt in ipso tamen furandi artificio nonnulla, quæ quo minus breviter heic saltem perstringam, temperare non possum.

Primum risum id movit, quod cum *architectonicen* & *sibi sufficientem* Ecclesiam, scripsisset RICHERIUS; ille *de & per se subsistentem* nominaverit. Cur? An vox græca offendit? An ne furti posset argui, propterea quod voces duas saltem mutaverit? Sed hoc quidem leviculum. Gravius illud: quemadmodum *sacerdotium conferendi potestas* est data Apostolis, & eorum successoribus; sic *Jurisdictionem* Episcopis & Presbyteris esse datam adfirmat; prior autem potestas quin in *commune & indivisim* sit omnibus credita, a nemine ambigi. Enimvero quo spectant ista? Non enim nisi duplex esse sensus potest hujus locutionis: primum ut hoc plane significet, neminem seorsim, sed omnes *una in conferendo sacerdotio* potestate sua defungi debere; quod oppido stolidum est. Deinde ut idem sit, *in commune & indivisim*, atque si diceres, partitionem non esse factam, sed potestatem in omnibus parem esse. Et hoc quidem suo modo verum est. Quocirca si & *Jurisdictio*, & quæ ad illam pertinent, indivisim æque & in commune Presbyteris & Episcopis data sunt; profecto æqualis utrorumque Jurisdictio sit oportet, nec ab altera

alteram

EDMUNDUS RICHERIUS *Cap.* 2.

Quando igitur missio vera & realis est collatio Jurisdictionis, auctore Apostolo, 10 ad Roman. *Quomodo igitur prædicabunt, nisi mittantur*: Christus autem omnes Apostolos, atque Discipulos, qui EPISCOPALEM ET PRESBYTERALEM ORDINEM referebant, IMMEDIATE, INDIVIDUE & COLLECTIVE misit, sicut a Patre suo, id est, cum justa & spirituali auctoritate ad Ecclesiam regendam necessaria missus fuerat: consurgit, totum Ordinem Hierarchicum Episcopali & Sacerdotali Ordine constantem immediate, *proportionate* tamen, *atque subordinate*: (Subordinationem hanc jam ex Petavio vidimus, voce tenus admitti, re destrui) suam potestatem & Jurisdictionem, hoc est, facultatem regendi Ecclesiam a Christo derivare quemadmodum &c. Adjungit testimonium Pauli Act. X. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

FEBRONIUS *L. c.*

Cum missio vera & realis sit collatio Jurisdictionis, juxta illud ad Roman. X. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Christus omnes Apostolos atque Discipulos, qui EPISCOPALEM & PRESBYTERALEM ORDINEM referebant, IMMEDIATE, INDIVIDUE & COLLECTIVE misit, sicut ipse a Patre suo missus fuerat, id est, cum justa & spirituali auctoritate ad regendam Ecclesiam necessaria. Sic & 5. collationem Sacerdotii: *Hoc facite in meam commemorationem*, in commune & indivisim omnibus creditam Apostolis, eorumque Successoribus nemo ambigit. His adjunge 6. testimonium Divi PAULI Act. XX. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

alteram ſuperari. Adeo quod ad hæreſin illuſtrandam confirmandamque faceret, nihil eſt ab illo viro neglectum.

Eſt autem & alia quædam in ejus furto calliditas, de qua nolo gaudere aliquando apud ſe, vel gloriari poſſit. Nam quod ita ſcripſerat RICHERIUS, Chriſtum *nomine totius Eccleſiæ* Claves PETRO deſpondiſſe primum; tum *Ordini Hierarchico* contuliſſe actu, quando fratris, qui in nos forte peccaverit, delictum ad Eccleſiam deferri præcepit: immutandum hoc ille ſibi in hunc modum putavit; ut loco vocum, *nomine totius Eccleſiæ*, ſubſtitueret iſtas, *nomine totius Ordinis Hierarchici*; proque illis, *Ordini Hierarchico contulit*, poneret, *Eccleſiæ in ſuo Ordine Hierarchico.* Verſutia huc ſpectat, ut arbitrentur, qui hæc ita legerint, non niſi *Regentem* a FEBRONIO *Eccleſiam*, cum huic Claves a Chriſto traditas ſcripſit, intellectam eſſe: tantoque id magis, quoniam in eodem ſubinde paragrapho de *Excommunicandi* poteſtate obiter diſſerens, " Adde, inquit, quod de jure " divino ſumma totius externæ Jurisdictionis in facultate excommunican- " di conquieſcat: quam quidem immediate creditam fuiſſe Eccleſiæ con- " ſtat ex MATTHÆI Cap. XVIII., ubi poſtquam Chriſtus in ſingulari dixe- " rat: ſi *Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*, mox " in plurali ſubjungit, omnes alloquendo: *Amen dico vobis, quæcunque* " *alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo*, volens per hoc in- " telligi, qualiter poteſtas ligandi atque ſolvendi, in quo conſiſtit poteſtas " Clavium, a ſe principaliter collata ſit Corpori Apoſtolorum, horum- " que ſucceſſoribus, qui nomine Eccleſiæ deſignantur, tanquam hujus " pars principalior. (19)

Quin etiam inferius, ne non garriſſe aliquid, cum reſpondere non poſſet, videretur: " Ego autem, inquit, pro ampliore hujus quæſtionis " elucidatione ſic diſſero: Claves dantur *ſingulis perſonis* Epiſcoporum, eti- " am ſummorum, non *propter ipſos*, ſed *propter Eccleſiam*: dantur autem " per *characterem ordinis*. Ideo vero manent Claves ſemper in collectione " Epiſcoporum, quia ſinguli de illa collectione habent characterem; & " ita habent, ut decedente uno, ſuperſtites poſſint alii per ordinationem " dare ſacramentalem characterem. (20)

VII. Atqui nec nimium acuta, nec valde ſubtilis eſt ea ludificatio; ſed craſſa, plumbea, obtuſa; ut a quovis, qui non plane incurius, incautusque ſit, & adverti & irrideri poſſit. Componamus enim hæc ita, ut ſunt, cum iis, quæ in ſecundo paragrapho Tituli ſeptimi, eodem in tomo tertio diſputat. Eſt inſcriptio de *Excommunicatione.* Deinde poſteaquam

H heic

(19) Tom. III. pag. 11. & 12.
(20) Pag. 157. tom. III.

heic æque ac ſupra, ſententiam illam Chriſti recitaverat: *Quodſi non audierit; dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus;* ſubjungit: HÆC CUM ITA CHRISTUS DOCERET; EO IPSO INSTANTI ADDIT ECCLESIÆ POTESTATEM CLAVIUM, Non male: ſed cui Eccleſiæ? Proſequitur: CUM CLAVES DATÆ SINT ECCLESIÆ; ILLARUM ADMINISTRATIO ETIAM FIT HUJUS NOMINE ET AUCTORITATE AB EJUSDEM MINISTRIS. QUARE HI RATIONEM DE MODO SUÆ GESTIONIS ILLI REDDERE TENENTUR, NEQUE EXCOMMUNICATIONEM DECERNERE POSSUNT, NISI DE CONSENSU ECCLESIÆ SALTEM PRÆSUMPTO. (21)

Ergone iterum ego PASCHASIUM QUESNELLUM excitare, propoſitionemque totius orbis catholici damnatam judicio proferre cogor? *Eccleſia*, inquit ille, ad eundem MATTHÆI locum commentans, *auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu ſaltem præſumpto totius Corporis.* Uter expreſſius? uter ſignificantius? FEBRONIUS quidem certe: qui, quod ab QUESNELLO eſſe dictum haud memini, non modo non ſuo nomine excommunicationis ſententiam Epiſcopos ferre ſcribit; ſed ad rationem inſuper reddendam de modo geſtionis ſuæ eos compellit. Nec eſt in eo, quod quiſpiam putet fortaſſis, opinionum diſcrimen, quod QUESNELLUS *totius Corporis*; iſte *Eccleſiæ* requirat conſenſum. Continuo enim ſubjungit: *Hunc Eccleſiæ conſenſum primitus effective interveniſſe, diſcimus exemplo* PAULI *inceſtuoſum Corinthium anathematizantis.* Et utne ſcrupulus, de cujus tandem loquatur Eccleſiæ conſenſu, reſtare poſſit; admetitur in hunc plane modum verba Apoſtoli: *Ego jam judicavi, ut præſens, eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti,* CONGREGATIS VOBIS ET MEO SPIRITU: *cum virtute D. N. J. C., tradere hujuſmodi ſathanæ:* ubi quod *Congregatis vobis & meo ſpiritu* dixit Apoſtolus, charactere præcipuo & eminenti, ad attentionem excitandam ſcilicet, quod ei in more eſt, exprimendum curavit. Atqui & QUESNELLUS ad EUNDEM hunc locum epiſtolæ ad *Corinthios* id quod dixerat prius, ſic repetit: *excommunicandi authoritas in Eccleſia reſidet, exerceturque a primis Paſtoribus & nomine totius Corporis Eccleſiæ.* HEXAPLORUM vero ſcriptor, ubi damnatam, cujus mentionem jam feci, propugnat, non modo verbis utitur iiſdem ex illa epiſtola; ſed eſt in ea etiam hæreſi, non poſſe aptius, quam exemplo dictiſque PAULI, QUESNELLI effatum vindicari. *Quam*, inquit, *in inceſtuoſum pronuntiat* PAULUS, *excommunicationis ſententia* QUESNELLIANÆ *nonageſimæ propoſitionis tam eſt plena & abſoluta defenſio, ut alia opus non ſit. Dicit Fidelibus hic Apoſtolus, velle ſe, ut qui crimen admiſerat, tradatur Dæmoni:* VOBIS, *ait,* &

(21) Pag. 186. ibid.

& MEO SPIRITU CONGREGATIS IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. (22) Quæſo, an poſſunt magis conſpirare magna ingenia?

Quodſi eſt rite igitur conſtitutum, & conſenſione compertum eorum omnium, qui ſunt paululum in ſectæ libris & arcanis verſati, QUESNELLUM ac defenſores ejus, & illum imprimis, a quo ſunt HEXAPLA conſarcinata, non *regentem*, ut nos, *Eccleſiam*, ſed *fidelium* ipſorum *turbam* & *congregationem* intelligere, dum *Eccleſiæ* Claves a Chriſto traditas auferunt, & quæ Clavium portio eſt, excommunicandi poteſtatem: profecto niſi in eodem eſt vitio FEBRONIUS; ne ille ſcivit quidem, quid ſcriberet. Alioquin quid voluit ſibi, dum perinde ac illi, ad exemplum PAULI nos avocat? Aut quinam erant, quos congregari & coire in cœtum, eo loci optat Apoſtolus? nonne ii, ad quos ſcribebat epiſtolam? nonne Corinthii? nonne populus? hunc enim alloquitur, arguit, docet, mortalium aliorum neminem.

Quare nunc ita nectamus, quæ *Febronius* diſputat. *Claves illius ſunt propriæ*, aut quod eodem pertinet, Jurisdictionem, poteſtatiſque ſummam is obtinet, cujus *nomine & auctoritate adminiſtratur*, ac *cui rationem, qui adminiſtrant, de modo geſtionis ſuæ tenentur reddere.* Adminiſtrantur autem illius auctoritate ac nomine, & illi rationem tenentur reddere, *ſine cujus ſaltem præſumpto conſenſu* coercere & *excommunicare neminem poſſunt.* Ii, quorum præſumi ita conſenſus debet, iidem ſunt, *quorum effective olim interveniebat conſenſus*, ſeu ut nos purius dicamus, quod facile poſſumus, quorum rogare olim, & expectare conſenſum in more fuit. Is, cujus rogare olim, & expectare conſenſum in more fuit, *Chriſtianus populus* erat: nam ad populum ſcripſit PAULUS, CONGREGATIS VOBIS. Eſt igitur populus, cujus Claves ſunt propriæ; populus, id eſt, multitudo tota Chriſtianorum, quæ jurisdictionem & ſummam poteſtatis obtinet. (23)

(22) Pag. 637. La ſentence d'excommunication, que s. Paul prononce contre l'inceſtueux, juſtifie ſi plainement la propoſition XC., qu'elle n'auroit pas beſoin d'autre défenſe. Cet Apôtre dit aux fidéles, qu'il veut que le coupable ſoit livré au Demon: *Vous*, leur dit-il, *& mon eſprit étant aſſemblés au nom de notre Seigneur Jeſus-Chriſt.*

(23) *Ne cui ſuſpecta eſſe poſſit noſtra argumentatio; libet verba* FEBRONII, *heic iterum, ut ab illo ſunt poſita, adſcribere.* Cum Claves, inquit, datæ ſunt Eccleſiæ, illarum adminiſtratio etiam fit hujus nomine & authoritate ab ejuſdem miniſtris. Quare hi rationem de modo geſtionis ſuæ illi reddere tenentur, neque excommunicationem decernere poſſunt, niſi de conſenſu Eccleſiæ ſaltem præſumpto. Hunc Eccleſiæ conſenſum primitus effective interveniſſe diſcimus exemplo PAULI inceſtuoſum Corinthium anathematizantis 1. ad Cor. Cap. 5. v. 3. & ſeqq. Ubi: *Ego jam judicavi ut præſens, eum qui ſic operatus eſt, in nomine D. N. J. C.* CONGREGATIS VOBIS ET MEO SPIRITU &c. *tradere hujuſmodi Sathanæ.* Hic uſus diu in Eccleſia ſervatus eſt &c.

Hoc in argumento, quod *ſoriten* adpellant Rhetores, propoſitiones ſingulæ ipſius Febronii repræſentatæ ſunt verbis; nexus eit evidens; concluſio tam perſpicue ac neceſſario ſequitur, ut nullis præſtigiis eludi poſſit. Et dubitabit poſt iſta quiſpiam, quid ſenſerit? Dubitabit, dixerimne ego vere, quaſi deſperabundum ac furentem conjeciſſe ſe eum in barathrum; & quod nihil jam addere vereor, a capite ad calcem Janſeniano luto eſſe perſperſum?

Sequitur ſtatim: *Hic uſus* (convocandi populum ſcilicet exemplo Pauli, ac rogationem faciendi: & quidni per formulam: Velitis, jubeatis?) *diu in Eccleſia ſervatus eſt*; *plura ejus veſtigia apud CYPRIANUM inveniuntur*; *demum autem excommunicandi facultas Epiſcopis reſervata fuit.* (24)

Quænam iſta apud Cyprianum veſtigia? Non indicat. Sed nihil nobis difficile eſt odorari, quibus adſuevimus, quotidiana fercula Jansenistarum. Duæ ſunt Cypriani ſententiæ. Immo una eſt, in duabus notata literis de *lapſorum* cauſa: quos cum importunius aliqui, nec exomologeſi ulla facta, ad Eccleſiam recipi, & donari pace poſtulaviſſent; ſcripſit Cyprianus, *rem caute ac moderate tractandam eſſe*, *conſultis omnibus Epiſcopis*, *Presbyteris*, *Diaconibus*, *Confeſſoribus & ipſis ſtantibus* Laicis. Quod ejus judicium Clerus Romanus collaudavit, (25) & adprobarunt ex Confeſſoribus Moyses & Maximus Presbyteri, Nicostratus & Ruffinus Diaconi, cæterique. (26) Proh! quantum crimen, ſi neglectus a Febronio hic locus, nec ſaltem obiter facta mentio aliqua illius fuiſſet. Non intelligeremus adhuc, opinor, quid ſentiret: nondum ſciremus, quorum ſtipendiis militaret.

Demum, inquit, *excommunicandi facultas Epiſcopis reſervata fuit*. Quod reſervatum eſt Epiſcopis ſerius, id ab initio in ſolorum utique Epiſcoporum poteſtate non fuit. In quorum igitur? Jam vidimus: in poteſtate populi. Reſervata eſt autem, non ut abdicaverit ab ſe populus totam poteſtatem: nam & etiamnum *adminiſtratio fit ejus nomine & auctoritate*; etiamnum *rationem tenentur populo Antiſtites reddere*, *nec excommunicationem poſſunt in aliquem decernere*, *niſi de conſenſu illius ſaltem præſumpto.* Quare non ea aliter reſervata ſit demum, neceſſe eſt, quam quod onus, moleſtiaque illa *relationis* condonata ſit; κυρωσις interim & adprobatio latæ ſententiæ in populo manſerit, ſitque ad illum, ut olim Romæ provocatio. En doctrinam puriſſimam, *ſanctiſſimamq*ne Febronii! en illam! *ubi*

(24) Febron. l. c.
(25) Epiſtola inter epiſtolas Cypriani Edit. Pamelianæ XXXI.
(26) Epiſt. XXVI.

ubi nunc *dii tui*, vir innocentiſſime! *ubi ſunt*? *Surgant & opitulentur tibi, & in neceſſitate te protegant*! Aut an nondum convictus es? nondum? Etiamne calumniam tibi inferimus?

VIII. Sed abſit, obliviſcar ego eorum, de quibus reſpondere inſtitui. Si ita res eſt, inquiet aliquis, ac nulla ceruſſa poteſt elui JANSENIANA in iſto homine labes ac hæreſis; ecquei ſcribere igitur potuit, Claves *Ordini Hierarchico*, aut *Eccleſiæ in ſuo ordine Hierarchico*, aut *Corpori Apoſtolorum collatas eſſe?* Quei iſtud: *dari ſingulis perſonis Epiſcoporum* ? *dari per characterem?*

Reſponſio facilis eſt, nec illa quæſita, ſed a JANSENISTIS, hoc eſt, fratribus novi PROSELYTI nobis oblata. Cogitetur id modo quo nihil frequentius ab ipſo FEBRONIO jactari ſolet, Claves cum datæ ſunt PETRO, non tam ipſi, quam UNIVERSITATI eſſe traditas in PETRO. Tum ita pariter ſtatuatur, cum ſunt datæ Apoſtolis, UNIVERSITATI, fideliumque cœtui fuiſſe datas. Secernatur deinde uſus, functio, & adminiſtratio a poteſtate: ac priora quidem tria relinquantur Paſtoribus, ſic, ut hoc ipſo, quod *Ordinationis* ſacer ritus ex inſtituto Chriſti illis fuerit adhibitus, idonei atque habiles cenſeantur ad adminiſtrationem Clavium capeſſendam. Sed poteſtas ac ſumma regiminis, aut quod ille mavult fortaſſis, quoniam verba ſua ſine dubio diligit, *proprietas* ipſa Clavium penes multitudinem relinquatur, ut olim Romæ majeſtas penes populum. Sic erunt apta & colligata omnia. Atque ita RICHERIUM nos ſupra ſecum colligavimus. HEXAPLORUM quoque Editor exponit his verbis factionis ſenſum: *Toti orbi perſpecta eſt veritas*, USUM, EXERCITIUM, & ADMINISTRATIONEM *Clavium*, *quarum* PROPRIETATEM *in toto Corpore Eccleſiæ reſidere vidimus*, *ad Paſtores & miniſtros ejuſdem Eccleſiæ pertinere. Nihilque magis abs re eſt*, *quam calumnia Auctori Reflexionum a quibusdam impacta: docuiſſe eum*, *poſſe omnes fideles ſine diſcrimine poteſtate Clavium uti: quam ille clariſſime deſtruxit nigram calumniam*, *tam in libris*, *quos ante* CONSTITUTIONEM UNIGENITUS, *quam in iis*, *quos poſt eam conſcripſit.* (27)

Equidem quod de calumniis heic iſte declamat, futile eſt & commen-

(27) *Pag.* 670. C'eſt une verité reconnue de tout le monde, que l'uſage, l'exercice & le miniſtere des Clefs, dont nous venons de voir que la proprieté reſide dans tout le Corps de l'Egliſe, appartient aux Paſteurs & aux Miniſtres de cette même Egliſe, & rien n'eſt plus mal fondé que les accuſations injuſtes que certains perſonnages ont formé à ce ſujet contre l'Auteur des Reflexions, comme s'il eût enſeigné que *tout fidéle ſans diſtinction peut uſer de ce pouvoir*: cette noir calumnie eſt détruite &c.

titium, refutatumque egregie ab Eminentiſſimo Bissio. (28) Neque enim *quod* Quesnello *crimini a nobis datur*, *in eo*, inquit, *eſt poſitum*, *quod adminiſtrandam a quibuſvis fidelibus Eccleſiaſticam eſſe poteſtatem docuerit*: ſed *quod poteſtatem ipſam reſidere in toto Corpore Fidelium*, *nec adminiſtrari eam poſſe a primis Paſtoribus*, *niſi nomine & de conſenſu totius corporis*.

Idem de Febronio nos dicimus. Alioquin ſi ille vere non modo functionem & uſum, ſed poteſtatem proprietatemque ipſam Clavium una cum *charactere* dari Epiſcopis cenſuiſſet; nunquam niſi amens potuiſſet ſcribere, *adminiſtrationem earum fieri auctoritate ac nomine multitudinis*; & *huic rationem teneri Præſules de modo geſtionis ſuæ reddere*; *neque excommunicare*, *niſi de conſenſu illius ſaltem præſumpto*, *aliquem poſſe*: quodque ſic addit ibidem: *ſucceſſu temporis excommunicationes degenerarunt in abuſum: oblivioni traditum fuit*, *Eccleſiam Clavium* PROPRIETARIAM, *harum* USUM *ſuis Miniſtris* TANTUM CREDIDISSE *pro ſpirituali bono ſuorum membrorum.* Quibus verbis Epiſcopalem univerſum Ordinem, *vindictam*que, ut loquitur, & *avaritiam* & *ambitionem* Epiſcoporum perſtringit.

IX. Verum ſi ita res eſt, inquiet aliquis, ac Ordinatione ſaltem & ab ipſo Chriſto definitis ritibus initiari, reddique habiles Miniſtri debent ad geſtionem Clavium capeſſendam; neque Febronius, & Iprensis factio id negat: non videtur Democraticum manere regimen Eccleſiæ? Eſt autem adſeveratum a me, in hac hæreſi cubare Febronium, neque ad opinionem, ſed ad evidentiam demonſtrari a me illud poſſe. Qui hunc ſcrupulum moveat, næ is parum verſatus ſit hoc in genere quæſtionum, parumque ſciat, quibus ex rebus regiminum ipſa genera ac formæ conſtituendæ ſint. Neque enim cum de re publica quæritur, ad quam formam revocari ea debeat; Miniſtrorum habetur ratio, quibuſve dotibus, quibus ornamentis ſint præditi, quibus ritibus ac cæremoniis initientur. Ac ne ad leges quidem reſpicitur, quibus continetur, aut ſeſe continet communitas. Ut enim naturalis eſt lex, cui, qualiſcunque ſit demum, derogare nulla unquam communitas poteſt: ſic a Deo, cui omnes parent ſocietates, *poſitivis*, quemadmodum vocant, ſeu arbitrariis quibuſdam legibus poteſt adſtringi res publica. Verum hæc atque ſimilia, cum de forma regiminis diſputatur, ad rem non ſunt. Sed id ſolum quæritur, penes quem ſumma hæreat gubernationis; quis Miniſtros deſignet, quis poteſtatem, poteſtatiſve partem idoneis; ac ſi eſt opus, initiatis impertiat, & rationem ab

(28) *Traité Theologique ſur les* 101. *propos. pag. CXIX.* Ce qu'on lui reproche, ce n'eſt pas d'avoir dit que ce pouvoir devoit être exercé par les ſimples: mais d'avoir dit que ce pouvoir reſide dans le Corps entier des Fideles, & qu'il ne peut être exercé par les premiers Paſteurs, qu'au nom & du conſentement du Corps entier des Fideles. C'eſt ſur cela qu'il falloit ſe juſtifier; mais il n'avoit garde de le faire. &c.

ab iis reposcat, adprobetque aut irritet adsensione vel dissensu suo, quæ faciunt: & ut brevissimis dicam, ubi tribunal sit ultimum, quo provocari possit. Ea vero omnia in *multitudinem*, *Christianorumque universum cætum* contulisse FEBRONIUM, puto sic me effecisse demonstrando ut nihil sit certius. Quid enim tricabitur? quid? Quodsi erunt tamen, qui adcuratius a me ista disputari, quam pro captu & ingenio illius, putent, malintque aut minus eum acutum existimare, quam ut tam longe prospiciat, aut nimis socordem, negligentemque, quam ut nexum & cohærentiam inter se rerum, quas scribit, consideret; sed παράβολον, & in agendo præcipitem, ut quidquid reperit, recte an improbe, a Catholico, hæreticove positum, temere ac sine delectu infarciat: qui sic, inquam, de eo sentire malint, non vehementer ego illis resistam. Satis mihi est, hæreseos tenere hominem: teneo autem, nisi me nimium diligo. Quodsi pugnantia præterea scripserit, templumque Dei cum *Dagon*, Christum cum *Belial* imprudens conjunxerit; erit ille quidem non aversandus modo, verum etiam ridendus: tum mihi vero tanto minus verendum erit, ne adsecutus, quod demonstraturum me esse receperam, non satis videar. Nam & illa pars primi *theorematis* erat, identidem secum ipso eum confligere, & vertumnum vertumnum præ illo non esse.

X. Cujus sane rei illustre heic mihi occurrit exemplum: quod quia supra effugerat, non importune hoc erit loco commemorandum. Ostendi, quemadmodum ex RICHERIO exscripserit, proque suo jactaverit, Christum, cum post resurrectionem suam dixit: *Sicut misit me Pater, ego mitto vos: accipite Spiritum sanctum*, IMMEDIATE, INDIVIDUE & COLLECTIVE non solum Apostolos, sed & SEPTUAGINTA DISCIPULOS misisse: in Apostolis porro *Episcopalem*, in Discipulis *Presbyteralem* ordinem fuisse repræsentatum. Quam nos hæreticam esse opinionem cum PETAVIO ibidem diximus: quoniam fit inde necessaria consecutione, Presbyteros Episcopis pares esse. Admirare jam vero inconstantiæ prodigium! Innuerat *Coloniensis Universitas*, si origo remota spectetur Ecclesiasticæ Jurisdictionis; eam totam a Deo esse, atque ita omnes, etiam Parochos *a Spiritu sancto esse positos regere Ecclesiam Dei*. Quo quidem nihil verius dici potest ac certius. Sed ille tamen *homo ferus*, *cujus manus contra omnes*, vellicandum hoc sibi *Universitatis* Decretum, immo corrigendum esse putavit. Itaque Christum eodem ipso JOANNIS loco, cum dixit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, solos Apostolos, & Successores eorum Episcopos misisse ait, & potestatem remittendi peccata iis dedisse. Episcopos vero *iisdem verbis* ordinasse Presbyteros, & absolvendi eadem facultate eos donasse: sed *reservata sibi*, quemadmodum loquitur, *prævia missione ad excipiendas*

con-

confessiones. Quamobrem Episcopos *immediate* a Christo, Presbyteros vero, non nisi mediate ac per Episcopos *missionem suam*, id est, jurisdictionem accipere: nec enim jurisdictio saltem expedita sine subditis est; *Presbyter* autem *sine missione Episcopi non habet subditum.*

Non ego de arrogantia hominis sane puerili heic conquerar, cum *Universitatem* docere multis instituit, quod ipsa paucis ac nitide sic dixerat totum: Presbyteros ab Episcopis ita constitui, ut olim TITUS ex mandato Apostoli in Insula CRETA constituit. (29) Non accusabo, quod *Ordinationis* formulam in iis verbis: *Accipite Spiritum sanctum*, esse positam, sumat: quæ mihi falsa est semper visa opinio: & ut probabilis sit; a limato Theologo tam præfracte adscribi non debuit. Quæro id solum, tam pugnantia, tam opposita, tam ad contradictionem implicata manifestam, quei ab uno ore, vel ab uno calamo prodire potuerint? Si Apostoli *soli*, & in iis Episcopi *immediate* sunt missi; an esse verum potest, septuaginta Discipulos, in iisque Presbyteros una cum Apostolis *immediate* missos esse? Ac si IMMEDIATE, INDIVIDUE, COLLECTIVE cum Apostolis Discipuli, cum Episcopis Presbyteri missi sunt, estque missioni Christi missio similis amborum, & missi sunt, sicut Christus a Patre missus est: quis quæso hominum hæc capiet duo: habere Episcopos quidem misionem ex sese ac subditos; Presbyteros nec missionem habere nec subditos?

Ingravescet turpitudo contradictionis juxta ac nupera hæresis, si, quod scriptum alibi a JURISCONSULTO hoc fuit, in memoriam revocetur. Etenim in primo tomo, cum id operam dedisset cum SPALATENSI Apostata, ut enervaret, quo ad *Primatum* Divi PETRI comprobandum uti Majores nostri consueverunt, Evangelii locum illum, *Pasce agnos meos, pasce oves meas*; postremum in hæc verba claudit disputationem: " Contineat de reliquo verbum *Pascendi* PETRO dictum, quan-" tamcunque auctoritatem ac potestatem, non repugno. Hoc conten-" do, nullam verbo *Pascendi* inesse, quæ non æque, immo amplius " contineatur illis Christi dictis ad omnes Apostolos: *Sicut misit me* " *Pater, & ego mitto vos.* " (30) Ubi vis argumenti in comparatione, quam Christus instituit, missionem Apostolorum cum missione sua contendens, a FEBRONIO ponitur; atque adeo cum plenissima missos

(29) UNIVERSITAS *in Judicio Acad. de libro* FEBRONII : supra Pastores Episcopi — ampliori supra illos potestate, cum illos constituant, sicut TITUS apud CRETENSES. Apud FEBRON. tom. II. pag. 35.

(30) Tom. I. Edit. 2. Cap. I. §. 3. N. 3. pag. 22.

ſos poteſtate omnes Apoſtolos, inde confici putat. Quare ſi eadem Chriſti verba ad ſeptuaginta Diſcipulos juxta ac Apoſtolos, & ad Presbyteros æque ac Epiſcopos dicta ſunt, fuitque una & immediata utrorumque miſſio, & *individue* ac *collective*, proque *indiviſa* poteſtatem, Juriſdictionemque illam ampliſſimam utrique conſecuti ſunt: certe quemadmodum Apoſtoli omnes PETRO, & Epiſcopi omnes ſummo Pontifici; ſic omnes Diſcipuli, in iiſque Presbyteri & PETRO, & Apoſtolis, & Epiſcopis & Pontifici Maximo pares auctoritate, poteſtate, Juriſdictione, regendique finibus dicendi erunt. En hæreſin in eodem cum Parochis faſtigio, hoc eſt, ſummo! Compone nunc tu, quiſquis iſta legeris, cum iis, quæ de Presbyteris ac Parochis ſcribit poſtea in eodem libro, ſic, ut ſuperiora neque ſigno neque verbo revocet: annon monſtrum dicturus es, portentumque inconſtantiſſimi, & obliviosiſſimi hominis? ſed operæ pretium erit, verba ipſa, quibus ut telis quibuſdam propriis in ſe incurrit, adſcribere: (31) quod niſi fiat, neque erubeſcere unquam diſcet, neque ad frugem & Sanitatem revocabitur. I §. III.

(31) EXEMPLUM CONFLICTUS PERINSIGNE.

FEBRONIUS *adſtruens* Tom. III. pag. 9.

Dominus noſter Claves Eccleſiæ in ſuo ordine Hierarchico contulit Joan. XX. *Sicut miſit me Pater & ego mitto vos: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis* &c. Cum miſſio vera & realis ſit collatio juriſdictionis juxta illud ad Rom. X. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Chriſtus *omnes Apoſtolos atque* DISCIPULOS, qui Epiſcopalem & PRESBYTERALEM ordinem referebant, IMMEDIATE, INDIVIDUE & COLLECTIVE miſit, SICUT ipſe a Patre ſuo miſſus fuerat, id eſt cum juſta & ſpirituali auctoritate ad regendam Eccleſiam neceſſaria.

FEBRONIUS *deſtruens* Tom. III. pag. 159.

Chriſtus Joannis XX. Ṿ. 11. 12. Diſcipulis ſuis dando *miſſionem* eis dicens: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, ipſos fecit Apoſtolos, quorum ſucceſſores ſunt Epiſcopi: Apoſtolatui ſic dato annectitur poteſtas remittendi & retinendi peccata, *& hoc cum dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum*, quorum *remiſeritis peccata* &c. Hanc poteſtatem remittendi peccata, quæ Apoſtolici muneris primaria pars eſt, Epiſcopi conſtitutis a ſe Presbyteris communicaverunt, eos eiſdem verbis ordinando, ſed ſalva ac *ſibi reſervata* ſemper prævia *miſſione* ad excipiendas confeſſiones, & reliqua, quæ ad Sacramentum pœnitentiæ pertinent. Etenim ſi Apoſtolus ad Rom. X. dicat: *Quomodo vero prædicabunt, niſi mittantur?* a potiori dicendum: *quomodo peccata remittent, niſi mittantur?* ſic Apoſtoli, eorumque ſucceſſores Epiſcopi hanc ſuam miſſionem *immediate a Chriſto* acceperunt, Presbyteri eandem *accipiunt ab Epiſcopis*. Rationem ſuppeditat Concilium Trid. *Quia natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos duntaxat feratur.* SINE MISSIONE AUTEM EPISCOPI PRESBYTER NULLUM HABET SUBDITUM.

§. III.

FEBRONII de EDMUNDO RICHERIO fabuloſa narratio refutata. Nonnulla alia, quibus ſe ille involvit, & conflictatur ſecum miſere: Anacephalæoſis, & ſumma Demonſtrationis.

I. Quod de AMERICÆ quodam populo narratione accepi, adeo voracem eſſe, ut quidquid, tametſi in receſſibus ſordidiſſimis, ſive oſſium, ſive corii, ſive cadaverum forte repererit, confeſtim ori admoveat, dimittatque in latrantem & inquietiſſimum ſtomachum: idem mihi de JUSTINO FEBRONIO poſſe dicere videor. Quid eſt enim tam abſurdum ac fœtens, quod non ille corraſerit? non deglutiverit? non digeſſerit? Dabo ſpecimen: quamvis non pauca & dederim, & toto opere meo daturus ſim. Cum eruditiſſimus KAUFFMANSIUS objeciſſet, EDMUNDUM RICHERIUM anno prius, quam vitam ederet, *agnoviſſe Apoſtolicam Sedem infallibilem veritatis Judicem*; teſtemque ejus rei *Andream Duvallium* magiſtrum regium in SORBONA evocaviſſet: id quidem in *Apologia Adverſus quatuor Theologos* diſſimulandum ſibi JURISCONSULTUS putavit; ſed in tertio exinde tomo his eſt verbis conatus repellere: " verum, inquit, Coloniensis Theologus ignoraſſe videtur fidem peſſimam, & ſimilem agendi modum, quo DUVALLIUS, & miniſtri CARDINALIS RICHELII, immiſſo ſicario & ſtricto pugione hanc retractationem a RICHERIO extorſerunt: quam ille utprimum ſibi relictus atque libertati reſtitutus fuerat, involuntariam declaravit, ac revocavit. " (32) Divine profecto, ac tanquam ex machina.

Equidem ego, qui de *inerrantia* Romani Pontificis neque verba hactenus feci, nec ſum porro, niſi ad invidiam depellendam facturus pauciſſimis, ſuperſedere ab hujus fabulæ diſcuſſione poſſem; ſi non verendum mihi eſſe perſpicerem, ne, quæ de graviſſimis & ſummi momenti rebus a me ſunt diſputata, in ſuſpicionem, calumniamque apud imperitos ſimilem incurrant. Ac movet præterea imprudentia & pene ſtupor confidentiſſimi hominis, qui cum eſſe judex omnium mortalium velit, tam a judicio eſt ipſe vacuus, ut poſſe crepundiis nos & commentis anilibus terreri putet. Ajo igitur fabulam eſſe; ajo hominum eſſe, quorum ex ore prodire verum non poteſt. Quod ut efficiam; quoniam HADRIANUM BAILLETUM

(32) FEB. Tom. III. pag. 13.

LETUM consignasse literis illud facinus FEBRONIUS admonet; primum obiter id sumo, quod viri doctissimi, CUPERUS, STILTINGUS, STIKERUSque in *Actis sanctorum*, & GRAVESONIUS *in historia Ecclesiastica* adnotarunt, (33) fuisse BAILLETUM, quam immoderatum in reprehendendo, tam incuriosum & indiligentem in adprobando. Est autem tota ejus, quantum ad RICHERII hoc fatum, narratio ex MORISOTO mendacissimo scriptore sumpta. Ille igitur si impudenter mentitus est; BAILLETO ignosci quidem fortassis poterit; fidem ut ei adhibeamus, sexcenti FEBRONII non impetrabunt.

II. Sic vero MORISOTUS apud MAMACHIUM: " Compositum ab RICHERIO fuisse HENRICI BORBONII hortatu de *Ecclesiastica & Politica potestate* librum. Graviter id tulisse URBANUM VIII Pontificem. Itaque primum ESPERNONIO Duci, tum Cardinali RICHELIO promisisse, ejus se filium, hujusque fratrem in Cardinalium Collegium cooptaturum, modo eorum auctoritate, potentia, artibusque RICHERIUS aut in Romanam potestatem veniret aut revocare, quæ scripserat, cogeretur. Susceptum frustra hunc fuisse laborem ab ESPERNONIO. RICHELIUM, qui Pontifici confirmarat, eam rem sibi curæ futuram, usum fuisse JOSEPHI CAPUCCINI, qui tunc Lutetiæ agebat, opera. Ab hoc igitur, qui hospitio Notarium Apostolicum in Galliam ab URBANO missum exceperat, quibusque poterat modis non minus Pontifici, quam RICHELIO satisfacere constituerat, RICHERIUM ad prandium fuisse vocatum, imprudentemque, ac nihil tale suspicantem oppressum, armatisque satellitibus adductis coactum, ut non describeret modo, sed etiam probaret παλινῳδίαν eorum, quæ libello *de Ecclesiastica atque Politica Potestate* continerentur. Inde RICHERIUM trementem revertisse domum, cumque secum, quæ sibi evenerant, cogitaret, ad MORISOTUM scripsisse: indignum esse illius amicitia se, *ultimum ei vale dicere; solvi se, fatalemque ignaviam pœnitentia & morte expiare.* Hac scripta, *clausa, obsignataque epistola eum inclinantem se, ut ego,* inquit, MORISOTUS, *novissime accepi, in vicinum mensæ thorum, cælumque aspicientem animam emisisse.* " (34)

Hæc ex MORISOTO suis verbis (est enim factus ad elegantiam) vir ille doctissimus. Qui in GEORGIUM SCELHORNIUM hominem acatholicum non sine causa propterea invehitur, quod in epistolam ad Cardin. QUIRINUM MORISOTI locum illum, lectoribus rem gratam facturus, transtulerit, ut quæ a Monarchicis Pontificiis in hominem grandævum gesta fuissent, ostenderet.

(33) Vid. Acta Sanct. Antv. Tom. I. Aug. pag. 358, 390, 392, 393. Tom. I. Sept. pag. 769. Tom. V. Sept, pag. 126. 134. 458. 636. GRAVESON Part. III. T. VIII. Colloq. V.

(34) MAMACH. Tom. V. Originum. Pag. 253. Locus autem, ubi narrat ista MORISOTUS est in epist. IX. ad Courtetum, in Centuria II.

tenderet. Quod quidem tam indignum viro & ſapiente & bene morato eſſe cenſet, ut ferri nullo modo poſſe videatur. *Sapiens enim beneque moratus qui eſt, nunquam committet*, inquit, *ut ipſum quiſquam circumventum fuiſſe mendaciis, quæ facile poſſint detegi, arbitretur.* Recte: nec ego improbo viri graviſſimi Judicium, ſed laudo. Puto levius tamen ferendum, hominem a ſacris noſtris alienum iſta peccare: quoniam nec novum eſt, nec fieri aliter propemodum in animorum quaſi congenita averſione poteſt. De Catholico autem ſcriptore, immo Apostolo, quid quæſo dicemus? Niſi forte id quæri non debet, quod fruſtra quæritur? ſit. At nobis ſaltem, ne ille alios poſſit porro decipere, qui præ odio in ſummos Pontifices tam ſe libenter eſt paſſus decipi, danda opera erit. Adſcribemus igitur primum, quæ a Mamachio obſervata ſunt; tum pauca alia adnotabimus.

III. " Quis tam eſt ignarus, ait, Richerianæ hiſtoriæ, ut non animadvertat, Morisoti epiſtolam plenam eſſe mendaciorum? Imprimis " anno 1631. Richerium deceſſiſſe conſtat. Quæ igitur confidentia Morisoti fuit, ut perinde, de Richerio ageret, ac ſi anno 1633. " ſupremum clauſiſſet diem? Ille enim 1633. anno epiſtolam ad Courtetum dedit, quæ ſic habet: *Jam vita* Richerii *noſtri terminata eſt.* Et " paulo poſt: *quibus ſcriptis, clauſaque & obſignata epiſtola, ut ego noviſſime accepi.... preſſam recenti malo animam emiſit.* Quemadmodum " autem *noviſſime accepi* dixiſſet, niſi anno, quo ſcribebat, obiiſſe Richerium putaſſet? Expectaſſe vero tamdiu amicos, ut de re tanta virum " Richerio devinctum certiorem facerent, ſuſpicari qui poſſumus? Deinde quid illud eſt, quod addit de *recenti malo*? Annon Richerius anno " 1629., hortatu Richelii, proponente Josepho Capuccino, declarationem " ſcripſit, annoque 1631., biennio nempe poſtea quam ſcripſit, interiit? " Non ergo, ſi ullum fuit unquam, tam recens id malum fuit, ut ejus, " non ætatis, adverſæque valetudinis cauſa, homo grandævus & graviſſimo, diuturnoque nephritidis morbo laborans, periret. Neque eſt verius, quod idem adjungit Morisotus, *perveniſſe ad extremam ſenectutem, nempe ad annum ætatis ſuæ* 84. Richerium. Anno 1613. die 22. " Novembris, ut eſt in ejus teſtamento, ætatis ille annum agebat quinquageſimum tertium *cum menſe uno & duobus ac viginti diebus.* Quare anno 1631. quo certe obiit, annum ætatis 71., non 84. numerarit, " neceſſe eſt. Qua quidem ex re intelligitur, tam indiligentem virum, " qualis Morisotus fuit, ut neque quot tunc annos natus Richerius fuerit, neque quo æræ Chriſtianæ anno e vita migraverit, nec quorum

" cauſa

" cauſa, quo ſuo ſenſu, quibus modis, quo tempore declarationem pro-
" baverit, ſciret; amici RICHERII nomine fortaſſe vix, ſcriptoris autem,
" cui ſit credendum, auctoritate, ne vix quidem dignum videri.

Hactenus ille. Qui id ſumit, & pro eo ac debet, habet certiſſimum, quod publicis tabulis & inſtrumentis compertum eſt, RICHERIUM, cum extremo morbo ac letho decumberet, viaticoque a Paſtore ſumpto, ad Creatori reddendam animam ſe comparaſſet, palam & libere fuiſſe profeſſum, nullius ſe hominis metu, nullius gratia, ſed ſponte ſubſcripſiſſe *declarationi*, atque eſſe, ſi ita res poſceret, ad repetendam illam paratiſſimum. Quod quidem documentum DUVALLIUS, quo viri famam apud poſteros vindicaret, ſuo contra VIGORIUM libro inſeruit. (35) Eſt autem nebulonum inſtru-

(35) Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo primo; die nona Decembris coram me PETRO le GAY ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Curiæ Archiepiſcopalis Pariſienſis Notario, debite juxta Edictum Regis immatriculato, Pariſiis in vico noſtræ Dominæ &c. & in præſentia teſtium infra nominandorum: comparuerunt Magiſtri LEONARDUS FOURMENT Presbyter Curatus Parochiæ ſancti Joannis Evangeliſtæ Collegii Cardinalis Monachi - - - CAROLUS TERNOIS etiam Presbyter & Theologiæ Baccalaureus - - - & JOANNES DE TOUR Presbyter, Doctor Theologus - - - Qui pro ſalute & unione Eccleſiæ, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ honore, & ut integra prædicti Collegii fama conſervetur, credentes ſe in conſcientia adſtrictos eſſe ad teſtandum & declarandum, quod acceperunt & audiverunt a Vener. Viro Magiſtro EDMUNDO RICHER - - . ſuper declaratione libri ſui *de Eccleſiaſtica & Politica Poteſtate*, ab eo a duobus annis habita, nec non proteſtatione & ſubmiſſione ſua inter manus DD. Emin. Cardinalis Richelieu, vivendi & moriendi in obedientia ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ, ad obſtruendum os maledicentium & calumniantium contra memoriam & famam atque ſana conſilia dicti defuncti RICHER, ea quæ ſequuntur, declarant & teſtantur. Scilicet prædictum RICHER ſponte & abſque cujuſquam impulſu & requiſitione ſignificaſſe, & conſtanter affirmaſſe, prædictam ſuam declarationem & proteſtationem a ſe cum ampliſſima libertate & plenaria voluntate, nec non abſque cujuſquam reſpectu factam fuiſſe, & nullas minas, nullaſque promiſſiones vim ullam apud ſe unquam habuiſſe &c. - - - - - Inſuper teſtantur prædicti Fourment & Ternois: ſe menſe Auguſto nuper elapſo cum ipſo RICHERIO poſt reſolutionem ab eo cæptam ſuſtinendi inciſionem, ſeque propterea ad mortem præparandi, pro debito ſui officii de prædicta declaratione & proteſtatione egiſſe: qui quidem ea quæ ſupra ſunt expoſita, eis reiteravit - - - & eos eſſe ſuos inimicos declarabat, qui rumorem ſpargebant ſe prædictam Declarationem invitum, & contra voluntatem aut ſententiam ſuam, ſeu propter reverentiam atque reſpectum erga prædictum Dominum Cardinalem de RICHELIEU feciſſe & habuiſſe. De quo quidem teſtimonio prædicti Domini comparentes &c. - - - Acta ſunt in domo mea &c.

Apud DUVALLIUM *in Tract. de ſuprema ſummi Pontificis poteſtate* ab initio.

menta publica confingere: in Magiſtrum SORBONÆ, Profeſſoremque regium neque cadit, neque credi de eo ulla ratione poteſt.

IV. Quid? quod de DUVALLIO in annalibus ita ſcripſit BRIETIUS, virum fuiſſe *doctiſſimum juxta atque ſanctiſſimum*; & *cui ſemper parem Academia illa nobilis ſit optatura.* (36) Non eſt autem ſancti, ac ne docti quidem hominis, quod ſponte non datur, vi ac per ſicarios extorquere. Quodque jocularem magis, ac plane ridiculam reddit fabulam; ea tempeſtate CARDINALIS RICHELIUS ſumma rerum in Francia potiebatur: habebat Regem in manu, ut filium parens; tum Optimates, & Aulæ præcipuos quoſque, ſi infeſtos ſuis conſiliis ſentiret, ſubmovebat: quid illi inſidiis opus? quid dolo? quid ſicariis? Quanquam eſt aliunde a viris magnis nihil tam alienum, quam more latronum agere, cum iis præſertim, quos habere, quoties voluerint, in poteſtate ſua poſſunt.

Et quo bono ſuo RICHELIUS, DUVALLIUSque tantum probrum moliti ſint? Si fuiſſet carceri RICHERIUS mancipatus, conſortioque hominum omnino ſubmotus; potuiſſet non ſapientibus quidem, ſed plebi, & inſanis mulierculis ad ſuſpicionem videri rumor propenſior. Sed ille liber erat, agebatque cum literis & amicis ſuis. Quin ut eſt apud MORISOTUM, invitatus ad prandium fuerat, & inde, ut venerat, remiſſus. Quid? an ſperari poterat, taciturum de illata injuria, ac ne familiaribus quidem, quid eveniſſet ſibi, narraturum? Palinodia vero, quam pugione extortam eſſe conſtaret, quid juvare poterat? Hæc quidem *palpabilia*, ut ita dicam, ſunt, neſcioque, quemadmodum ignorari ab eo viro potuerint, qui eſt ipſe, ſi mihi recte deſcriptus fuit, ad omnem aſtutiam, calliditatemque factus.

V. Atque ut nunc nugis illis remotis, quid in re ſit, Lector ſciendi cupidus intelligat; ex *Trivoltianis monumentis*, (37) quemadmodum actum cum RICHERIO fuerit, exponam breviter. Ille poſtquam anno MDCXII. Kalendis Septembribus de gradu ſyndici dejectus fuerat; quietus deinceps vixit uſque ad annum MDCXVII. Eo enim anno M. ANTONIUS *de* DOMINIS ſuos de *Republica* libros evulgavit: qui quod apud SORBONAM vadimonium ſe obiturum ſcripſiſſet, UNIVERSITAS intereſſe honoris ſui arbitrata eſt, ferre Judicium de iis libris. Invitatus fuerat a DUVALLIO RICHERIUS, non intereſſet modo una cum Collegis ſuis Erudito ſenatui, ſed refutandos in ſe ipſe ſuſciperet SPALATENSIS libros: hinc enim occaſionem fore percommodam, quæ in ſuo ipſe opuſculo dixiſſet durius, interpretatione emolliendi. Verum reſpuit ille opportunum conſilium.

Quin

(36) Annal. Tom. VII. pag. 498.
(37) Vulgo, *Memoires de Trevoux* tom. I. ad annum 1703. pag. 15. & ſeqq.

Quin est eo progressus, ut quæ UNIVERSITAS de SPALATENSI decreverat, eorum non ipse pauca reprehenderet. Ea res novis molestiis hominem implicavit. Tandem excerpi sibi e libello suo petiit, quæ potissimum offenderent. Quod cum non impetraret; sed generalis a Cardinalibus ROCHEFOUCALTIO & RHETSIO, quorum iste post JACOBUM PERRONIUM, magnus Eleemosynarius, hic Parisiensis erat Archiepiscopus, & ab SORBONÆ Doctoribus quatuor confecta, probataque formula, quam universe subscriberet, ei offerretur; negavit primo id se facere posse. Demum anno MDCXXII. pridie Kalendas Julias suapte sponte coram Notariis Declarationem edidit, qua contestabatur, " non se alio animo anno MDCXI. libellum suum de *Ecclesiastica & Politica Potestate* evulgavisse, quam ut quæ Veteris SORBONÆ Doctrina esset, intelligeretur. Scire interim se, in partem malam fuisse nonnulla eorum, quæ scripsisset, accepta. Itaque subjici ab se & sese ipsum, & librum, & doctrinam omnem suam *sanctæ Sedis, Catholicæque, Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ* judicio. Id molestum sibi accidere, quod contra animi sui sententiam, de auctoritate summi Pontificis, & Episcoporum detraxisse nonnullis videatur: quo quidem sensu quidquid acceptum sit, condemnari a se, sicut & alium quemcunque sensum doctrinæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ contrarium.

Anno MDCXXIX. cum in gravem morbum incidisset; exempla nova hujus Declarationis divulganda curavit: quæ res ansam CARDINALI RICHELIO dedit, ampliorem, disertioremque ab eo aliam petendi. Quamobrem VII. Idus Decembris ejusdem anni in palatium Cardinalis se RICHERIUS contulit, ac præsentibus duobus testibus, TALONIO Parocho ad S. Gervasium, & JOSEPHO Capuccino, Declarationem alteram conscripsit, cujus hæc summa erat. " Voluisse semper ac velle se, ut libellus, propositionesque illius quæcunque, & earum interpretatio, ac tota doctrina sua *Ecclesiæ Catholicæ Romanæ & sanctæ Sedis Apostolicæ* judicio subjiciatur. Hanc ab se *Matrem Magistramque* omnium Ecclesiarum, & infallibilem Veritatis Judicem agnosci. Dolore vehementi se corripi, propterea quod propositiones aliquæ in suo libello sint ita conscriptæ, ut offensionis occasionem dederint, fuerintque, qui diminutam summi Pontificis, & Ecclesiæ Præsulum justam legitimamque potestatem esse pertenderent. Hujusmodi quidem propositiones, *quatenus Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ judicio, ut* SONANT, *contrarias* improbari ab se vehementer & condemnari. Idque se sponte ac libere facere. " Denique his non contentus, cum intelligeret, esse etiamnum, qui haud satis liquido & explicate retractationem fuisse conceptam descriptamque dicerent; novam rursum uberioremque & clariorem adornavit,

eamque

eamque in Musæo suo reliquit moriens. Hanc laudat TOURNELIUS, (38) prope totam vero P. FONTANA exhibet (39) ac nos superius ex illa quædam excerpsimus.

Quid plura? verissimum est, quod Anonymus quidam scripsit, purum ac putum esse mendacium, & omni indignum fide, quidquid de illata RICHERIO vi disseminavit in vulgus Jansenistarum factio. (40) Quocirca ne is quidem, a quo *portatile* est editum *Dictionarium*, auctor minime suspectus mentionem sibi fabulæ istius faciendam esse existimavit. (41)

Et vero quis faceret? nihil in ea non ineptum, non anile, non stolidum. Equidem a MORISOTO quemadmodum narretur, quoniam ad manum mihi hujus epistolæ non sunt, quamvis aliunde, cujus nominis sit iste Scriptor, probe sciam, ex MAMACHIO retuli. Est autem in HEXAPLIS eadem descripta fabula: fateorque, si non scissem, quam experimentis innumeris comprobatum sit, quod de JANSENISTIS quotidianum est in Gallia proverbium; potuisse hoc me uno exemplo ita convinci, ut verissimum esse nequaquam dubitarem. (42) Imprimis a CARDINALI RICHELIO ad prandium invitatum esse RICHERIUM scribit, atque edidisse istic, quam revera edidit *Declarationem.* Sed cum subinde rumor percrebresceret, non declarasse illum modo, qua animi sui sententia scripsisset; sed quod scripserat, retractasse etiam, erroremque, in quem inciderat, reipsa professum esse: tum vero publicis literis eum intercessisse, contestatumque; quoad viveret, in eadem se perstiturum sententia. Eam ob causam magna invidia oneratum fuisse CARDINALEM RICHELIUM, quod rem segnius ageret, & majorem unius Magistri, quam summi Pontificis habere videretur rationem.

Id enim vero tulisse istum ægerrime: quare, quod momentis rationum hactenus nequierat, extorquendum vi sibi decrevisse. DUVALLIO igitur dedisse in mandatis, hominem ad prandium rursus invitaret apud JOSEPHUM CAPUCCINUM, armisque ac satellitibus, ut palinodian, quam ille nec viderat, nec legerat, signaret manu sua, invitum ac reluctantem compelleret. Et sic cætera, quæ ad marginem, ut sunt, verbis non quidem gallicis, quod ab initio decreveram, sed latinis, quo ab omnibus intelligi possint, adscripsi.

(38) De Ecclesia Tom. II. Q. 5. art. 2. pag. 48.
(39) Vid. adnotata superius art. I. §. 2. ad N. IV.
(40) Dictionaire des livres Jansenistes pag. 273.
(41) Dictionaire Portatif. Verbo, RICHER.
(42) De hoc proverbio Illustriss. Patriarcha Occidentalis Lusitanus in Epistola ad Episcopum Nemausensem data Ulysipone 28. Septemb. 1717, *Si semper*, inquit, *alias, nunc maxime vera illa est parœmia inter Gallos tritissima*, NEMO JANSENISTIS MENDACIOR.

adſcripſi. 43) Sum enim certus, a nemine, in quo ſcintilla eſt ſani judicii, poſſe legi ſine contemptu ac riſu. Unum heic quæro tantum, ubi gentium, ubi terrarum reliquiæ aut fragmenta illius ſint formulæ, quam neque viſam, neque lectam abs ſe unquam RICHERIUS inter gladios heinc inde ſtrictos ſignaverit? Certe enim, ſi cui bono inſtructus ſit ludus iſte, aut vero tragœdia (nam tragœdiam opinor mavult miſericors FEBRONIUS) oſtendi publice, & diſſeminari in vulgus, aut ſaltem Romam exemplum ejus retractationis mitti debuit. Quis vero vidit? Ubi ſervatur? Sed jam ultra, quam ſatis erat, de his nugis. Scribe igitur fratribus tuis, *vir conſultiſſime*, ut ſi deinceps tibi ſuppetias mittant, tales mittant, quas in aciem educere poſſis; non te figmentis pugnare cogant, quæ vel ad colum delira anus irrideat.

(43) *Hexap. Tom. VI. pag.* 500. Invitat itaque DUVALLIUS, Cardinale ſic volente, RICHERIUM ad prandium apud P. JOSEPHUM, illud obtendens, cupere Cardinalem certum quoddam controverſiæ punctum diſcuti, deque eo adcuratius edoceri. Surgit CAPUCCINUS de menſa, chartamque protrahit, in qua conſcripta jam erat retractationis formula. Hanc RICHERIO objicit, voceque inſolitum plane in modum elevata (quod quidem ſignum erat, quo homines ſcelerati, quos ad conſilium ſuum exequendum pecunia emerat, monerentur) *jam nunc*, inquit, *aut moriendum tibi, aut librum retractandum ſcito*. Vix ea dixerat, cum ſicarii adparent, in RICHERIUM involant, arreptoque quiſque hominis brachio, fulgentem uterque gladium; hic ante, ille retro, oſtentant. Hæc inter P. JOSEPHUS chartam manui ſubjicit, ſpatioque omni aut colligendi ſui, aut legendæ ſcripturæ negato, ſignare illico, quod placebat, jubet. Terror ſubitus hic atque improviſus, quo certa ab latronibus intentata mors hominem perculit, adeo omnem non oculorum modo, ſed & rationis uſum eripuerat; ut quamvis, quid a ſe factum, ſignatumque, neſciret, ſuæ tamen doctrinæ retractationem ſignatam a ſe arbitraretur. Id vero tantum bono viro dolorem attulit, ut diſcedere illico, referrique domum debuerit. Heic ille exhorreſcens ad ſcelus ſuum (ſic enim nominabat, quod non ſponte egerat) in lectum ſe conjicit: nullus gemituum, nullus lachrimarum finis: cumque indignum ſe porro, qui viveret, exclamaret; Deum precatur: ſiquidem labi ſe in extremis hiſce periculis permiſerit, ſpontaneum vitæ ſacrificium, quam in flagitii expiationem ultro offerret, benignus acceptet. Timens deinde, ne adverſarii actionem hanc ſuam aliter, quam geſta res fuerat, referrent; id ſibi omnino faciendum judicavit, ut, priuſquam vis morbi prohiberet, ſuis ipſe verbis hiſtoriam omnem DICTARET: conſcripta deinde ejus exemplaria, ipſe omni adcuratione reviſit, ſuaque SIGNATA manu mitti ad amicos voluit.

Satis apte informatum mendacium, quod DICTASSE ſcribitur: nam ſi manu ſua exaraſſet, authographum poſceretur. Sed illud tamen dolendum, quod ſaltem *verbis ſuis* dictaverit, deſcriptamque ſuamet manu *ſignaverit*. Heinc enim & verba RICHERII, & ſubſcriptionem requirimus. Ubi ſunt? nuſpiam: ſed ibi, ubi fabulæ de AMBROSIO DE GUYS, de P. JANSENS, P. GIRARD, P. CHAMILLARD, infinitæque aliæ, de quibus videndus liber: *Veritas Concilii Burgofontani* Tom. II. pag. 113. ad 145.

VI. Sunt autem & alia a te quædam de RICHERIO parum caute ſcripta, & in tuam perniciem: de his breviter commonere te habeo. Imprimis poſtquam fabulam: quam exploſi, narraveras, ad primum dimittis nos tomum tuum, ejuſdemque, editionis ſecundæ, paginam ſeptingenteſimam ſeptuageſimam ſeptimam. Illic vero amico cuidam tuo reſpondes, *diſtare te toto cœlo a cauſa* SARPII *atque* RICHERII: *illos enim oſores fuiſſe Papatus, & inimicos Pontificum*, LUTHERUM*que &* CALVINUM *habuiſſe ductores: non* ita *te*, *qui* S. BERNARDUM *ſequi cupias*.

Quantum ad SARPIUM, in præſens tibi moleſtus non accidam: De RICHERIO autem cum ita diſſereres; tui compos profecto non eras. LUTHERUM, inquis, CALVINUMque ille habuit duces. Si alicubi habuit; habuit tum certe, quando propoſitiones ſcripſit quatuor a TOURNELIO relatas, & a nobis, quod tu ita juſſiſſes, ſuperius adſcriptas, Hæc enim ſunt, quæ Galliam offenderunt, & quas una *cum expoſitionibus & allegationibus*, *pro falſis*, *erroneis*, *ſcandaloſis*, *& ut ſonant*, *hæreticis*, *ſchiſmaticiſque damnavit* SENONENSE Concilium. Deque his ipſis in tertia palinodia ſua RICHERIUS, alienas eas eſſe a ſalubritate Catholica, confitetur. Et imprimis de illa, qua *Eccleſiæ* a Chriſto Claves *proprie* & *eſſentialiter* fuiſſe datas ſcripſerat, Pontificem vero & Epiſcopos *inſtrumenta*, *Executores*, *miniſtros* eſſe tantum poteſtatis iſtius: diſerte, fatetur, *ex putridis* LUTHERI *&* CALVINI *fontibus ſe eam hauſiſſe*. Denique quod Epiſcopis æquarit Presbyteros, *hæreticum* ipſe & *ſchiſmaticum* eſſe dicit.

Age nunc, bone! quæ eſt omnium iſtarum theſeon, quam non defenſam a te ego, exſcriptam, & iiſdem propoſitam verbis demonſtraverim? quam non ipſis oculis Lectorum meorum exhibuerim? Non igitur hilo, non apice, non puncto, minus toto, quod ais, cœlo a RICHERIANA tua diſtat cauſa. Quodſi eſt RICHERII igitur probrum, quod LUTHERUM, CALVINUMque ſecutus ſit, & eos duces habuerit; de te quid dicemus? Quanquam næ tu homo mirabilis es! Improbas, adprobas; ais, negas; formas te vertis in omnes:

Utque, ubi nulla fugam reperit fallacia, victo
Mens redit, atque hominis tandem *fari incipis* ore:
Sic tui vix uno momento es ſimilis; verum continuo
Omnia te *rurſum das* in miracula rerum,
Ignemque, horribilemque ſuem, fluviumque liquentem.

VII. Quod ut tanquam in ſpeculo videas (ſi tamen vel tantillo ſpatio temporis eſſe tuus & idem poſſis) dabo operam. Adverte animum, ſi lubet! In hoc ipſo paragrapho, ubi, quemadmodum dicebam, ad primum

nos mittis tomum tuum, videreque, quæ de RICHERIO ibidem dixeras, jubes; aliquanto superius *Adversarium Italum* (44) pugnantem contra te exhibebas, objicientemque sic tibi ex PETAVIO: fuisse summam RICHERIANÆ doctrinæ: *Christum fundando Ecclesiam prius immediatius atque essentialius Claves sive Jurisdictionem toti dedisse Ecclesiæ*; atque ita deinceps, ut etiam a nobis in initio hujus capitis eadem verba sunt recitata. Tum ita respondebas: *Adversum hæc ego* CAPUCCINO *nostro Italo audeo reponere:* RICHERII *systema quoad hoc neque novum esse, neque impium; sed hanc ejus doctrinam* VERAM, PIAM *&* *statui ac instituto Ecclesiæ conformem.*

Itane? Venimus huc lapsis quæsitum oracula rebus? Doctrinam veram? piam? consentaneam statui institutoque Ecclesiæ? Atqui si ita res est, ostendam ego, in toto libello RICHERII nihil Jure ab Galliæ Episcopis reprehensum, damnatumque esse. Tu autem *osorem* eum fuisse *Papatus & inimicum Pontificum*, & LUTHERUM, CALVINUMque *habuisse duces*, non adfirmabas solum in tomo primo, sed etiamnum, quoniam eundem heic citas tomum ac locum, adfimare non desinis. Hærentne hæc? Age, non te pigeat, audire disputantem me de hoc breviter. In duabus rebus versatur RICHERII libellus: nam & *de Ecclesiastica* & *de Politica* tractat *Potestate*. Ac de posteriore quidem disserens Auctor solerter admonet, *reddenda Cæsari esse, quæ sunt Cæsaris, Deo, quæ Dei sunt:* neque fas esse alterutri potestati in Jura alterius involare. Quæ ille ex LUTHERO, CALVINOque profecto non didicit. Quodsi exponens subinde, evolvensque axioma alioquin verissimum, excedere nonnullis visus est, ac dare plusculum Principibus (de quo neutram in partem disputo) non id ad rem est præsentem; quoniam constat, haud isto nomine fuisse libellum damnatum; sed, ut BRIETIUS est testis, & HEXAPLORUM scriptor, damnatum fuisse, *salvis Juribus Regis, & privilegiis*, quas *libertates* vocant, *Ecclesiæ Gallicanæ.* (45) Quamobrem reprehensionis & damnationis pondus in eam incubuit libelli partem, quæ *Ecclesiasticam potestatem* spectabat. His autem positis, adsumptisque, ne sim prolixior, conficiamque, quod volo, brevissimis; disceptatore utar non alio, quam te. Ex te discam, quid *perperam*, quid *sinistre*, quid *falso* scripserit? quid reprehensum ac damnatum jure? in quo LUTHERUM ille & CALVINUM habuisse Duces videatur?

In eo, inquis, ille perperam & sinistre docuit, quod Ecclesiæ statum passim faciat Aristocraticum, quod æque malum ac falsum est, quam eum reddere MONARCHICUM. sistebas heic: nec enim plura tum incidebant. Sed in

(44) FEB. Tom. III contra P. VIATOREM A COCALEO pag. 12.
(45) BRIETIUM nominavi supra pag 10. Nota HEXAPL. Tom. 6. pag. 482. *Sans toucher aux droits du Roi, n'aux immunités & aux libertés de l'Eglise Gallicane.*

in fine operis inter ADDENDA adparet prima hæc ad marginem adnotata quæstio: RICHERII *doctrinæ falsæ quæ*? Quam tu ita dissolvis: " CARDINALIS PERRONIUS propositiones in libello RICHERII improbatas has scripsit ad " CAUSABONUM: *Quod Presbyteri cum Episcopis, Aristocratici regiminis* " *more, in partem Ecclesiasticæ administrationis vocentur. Quod electiones* " *jure divino nitantur. Quod regimen Aristocraticum omnium sit optimum,* " *& naturæ convenientissimum. Quod omnis principatus a subjecti populi* " *consensione pendeat. Quod Deus influat in supposita analogice, hoc est, in* " *Civitates ac regna, ipsamque communitatem prius ac proprius, ac prin-* " *cipalius, quam in partes, quæ non aliter agant, quam ut instrumenta eo-* " *rum suppositorum, & communitatum.* " Hæ propositiones scilicet sunt. Nam quod addit CARDINALIS, fieri hinc consequens, *a Regibus, qui Antistites designent, contra jus divinum peccari; directe impugnari Statum Monarchicum: fieri, ut Principes ac Reges non ipsi regant, sed Communitas per ipsos tanquam administros:* consecutiones sunt a CARDINALI deductæ, non propositiones ac dicta RICHERII.

Jam has ipsas ego propositiones quinque esse veras ac pias contendo, si est pium & verum, ut tu adfirmabas: quod *toti Ecclesiæ* a Christo *Claves primario, proprie, essentialiter*que fuisse traditas, & hujus *instrumenta, ministros* atque *executores* Episcopos esse cum Pontifice, scripsit idem RICHERIUS. Ordiamur ab ultima. Complexus eam RICHERIUS vulgari est illo, &, ut inquit, indubitatæ fidei axiomate: *Deum & naturam prius atque immediatius ad totum suppositum, quam ad aliquam partem suppositi, quamvis nobilissimam intendere.* Quæ quidem, ut vides, enuntiatio de duobus quodammodo, *Deo* & *natura*, *Ecclesia* & *profanis Societatibus* procedit. De Deo autem & Ecclesia quatenus procedit; est profecto verissima, si Ecclesiæ potius, velut cuidam *supposito*, quam Pontifici & Episcopis a Christo Claves sunt traditæ. De *natura* & *profanis societatibus* disputo tecum sic: Deus tametsi Ecclesiæ suæ per se ipsum Apostolos dedit atque Rectores & administrationis totam formam ac modum ordinavit ipse, firmavitque legibus, & sacris libris, velut æternis tabulis & instrumentis descripsit: potestatem nihilominus, ac to κυρος & Jurisdictionis universæ summam in communitate manere voluit: Hæc enim RICHERII pia est illa, ut vocas, ac vera sententia. Ecquo tu igitur argumento me unquam convinces, ne in profanis Communitatibus a *natura* ordinatam similiter rem esse contendam? ne tanto magis, vehementiusque contendam? quoniam hæ quidem, cum ad originem earum reditur, hominum consensu coaluerunt; fuitque populus, qui ab initio formam reipublicæ sibi elegit, & ubi Monarchicum jam est Imperium, potuisset (quamvis modo non amplius possit) quodvis aliud reipublicæ genus op-

tari, Nisi quid habes ad hæc? Profer! Nam ad scripturam quod attinet, illius hæ quidem sententiæ sunt: *non esse potestatem, nisi a Deo: Principem Dei esse ministrum: Qui potestati resistit, Dei Ordinationi* illum *resistere.* Quid igitur? Potestas sacra, (quibuscunque tandem contenta rebus, quod in præsens non quæritur) an a Deo non est? Ecclesiæ Præsules an Dei ministri non sunt? Non potestati resistunt ii, qui Episcopis resistunt? Et qui sic eis resistunt, annon Dei ordinationi resistunt? Non negabit, qui Catholicus est. Quodsi nihilominus igitur tu & veram, & piam enuntiationem illam Richerii de Ecclesia, ut illa suppositum & Communitas quædam est, audes dicere; de profanis Communitatibus quemadmodum falsa eum sumpsisse queas ostendere, ne divinare quidem possum. Nisi forte in nominibus *Monarcharum, Dominorum, Imperantium*, quibus Reges utuntur, vim omnem esse sitam arbitrere? Sed quam hæc inepta ad causam tuam! Nam & Richerius *monarcham* non dubitavit summum Pontificem, & statum Ecclesiæ *monarchicum* adpellare, propterea, quod Ministrorum Communitatis sit ille summus ac primus. Longè aliter igitur eximendi tibi a servitute sunt Reges: quod nisi feceris (non autem facies, errore isto tuo semel admisso, nec unquam poteris facere) tantundem de illis profecto dicetur. Sunt enim ex rebus nomina interpretanda, non res nominibus accommodandæ. Atque ut addam, quo poteram contentus esse; ipse Richerius, quod persentisceret, ex Scriptura aut Traditione argumentum a se idoneum ad comprobandum, quod de Ecclesia adsumpsisset, proferri non posse: ad *naturam* se vertit, Christumque, cum Ecclesiam fundavit, ideo in *Communitatis* posuisse sinu potestatem, Jurisdictionemque dixit, quod *naturæ*, ut ita fieret, consentaneum esset. Naturæ autem quod est consentaneum, ubique obtinet. Ubique igitur, ac tam in Regnis & Civitatibus, quam in Ecclesia potestas penes Communitatem existit *prius, proprius*, ac *principalius*: Suntque Reges ac Principes non tam Principes, quam *administri & instrumenta suppositorum*, & *Communitatum.* En veram Richerii propositionem! non quod falsissima & abominanda non sit, sed quod veram tu feceris.

Jam huic quæ proxima est, *omnem Principatum a subjecti populi pendere consensu*, Richerius his illam verbis expressit: *Omnis Principatus quoad vim coactivam ab hominum consensu pendet.* Nec ego istam, quantumvis absurdam, inficiari te patiar. Cum enim *administri* tantum & *instrumenta suppositorum, Communitatumque* sint ii, qui rem publicam curant; instrumentum autem, nisi ab eo, cujus est, motum non habet, ac multo minus in ipsum artificem, nisi impulsum, concitatumque ejusdem manu, ac quasi imperio, exere vim suam potest: profecto nisi tu idèm de *Principatu* adfirmanti tuo Richerio concedas; nihil penitus vides.

DEMONSTRATIO CONTRACTA.

DEFINITIONES.

Definit. Ima. *Judicia, pro quibus orationem suam auctor substituit, orationis* sensum *nominamus.*

Definit. II. *Hujus ex oratione sensus determinatio,* interpretatio *adpellatur.*

COROLLARIUM.

Est igitur vera interpretatio, cum ea ipsa determinamus judicia, pro quibus orationem suam auctor substituit. Sunt enim hæc ipsa sensus, per Defin. I. Determinare autem ex oratione sensum, interpretari est. Igitur vere interpretamur, cum judicia determinamus illa, pro quibus orationem suam auctor substituit.

Definit. III. *Termini ac phrases, quibus oratio constat, cum ad cogitationes & judicia referuntur, in audientium vel legentium excitanda animis;* significatum *habere dicuntur.*

Hypothesis.

Qui loquitur, eo fine loquitur, ut cogitationes & judicia sua manifestet aliis: id quod fieri nulla ratione potest, nisi eandem in legentium vel audientium animis cogitationem excitet, & perceptionem ejusdem judicii, ac habet.

COROLLARIUM.

Ex significatu igitur terminorum ac phrasium orationis sensus determinari debet.

Definit. IV. *Significatus determinatus est, cum non nisi unius judicii perceptio, non nisi una cogitatio excitari potest.*

REGULÆ HERMENEUTICÆ.

Regula Ima. *Significatus orationis ex uſu determinandus. Eſt enim uſus, qui ſignificatum vocibus tribuit. Quoniam igitur, qui loquitur, eo loquitur; ut intelligatur, & cogitationes ſuis ſimiles in aliis procreet; non utique cenſendus eſt voluiſſe temere a communi uſu diſcedere.*

Regula II. *Ex adjunctis item vel contextu ſermonis: nec non ſignis arbitrariis ab auctore adſumptis.*

Scholion.

Signa arbitraria voco, cum E. C. reſecuit ſtudio ab oratione, quæ ſi adjecta fuiſſent, ſignificatum alium potuiſſent innuere: item cum charactere rem exprimit peculiari, ut attentionem excitet. Neque enim fruſtra putandus eſt iſta facere.

Regula III. *Iis omnibus determinatur modis, quibus idearum comparatur perſpicuitas. Quales ſunt definitio & diviſio. Nam cum, ut Ideæ quædam noſtræ abſtractæ & vagæ, ſic & vocabula ſint: ſi diviſionem adhibeas, totumque in partes ſuas diſpeſcas; fieri non poteſt, quin definitus reddatur magis ſignificatus. Sic, ut exemplum hoc modo adhibeamus, vox* Eccleſia *ambigua apud nos eſt. Nam & totam multitudinem Chriſtianorum ſignificare ex uſu poteſt, & partem duntaxat, hoc eſt, Epiſcopale Corpus. Quodſi dividas igitur, atque vel partem parti, vel partem toti opponas; a vago ad definitum magis ſignificatum nomen Eccleſiæ traduces.*

Regula IV. *Determinatur rurſum a natura ejus, quod termino tanquam prædicatum adjicitur. Sunt enim ſubjecta talia, qualia permittuntur eſſe a ſuis prædicatis.*

Sic ut eidem inſiſtamus exemplo: Explicaſti hoc vocabulum Eccleſia *dividendo; ſed quoniam pronuntiatum de Eccleſia aliquid eſt, quod non aliter ad eam pertinet, quam quatenus eſt illa totum aliquod comparatum cum partibus: poſſit autem non minus pars ipſa comparari rurſum cum ſuis partibus, velut Epiſcopale Corpus cum Epiſcopis ſingulis; quam multitudo tota Chriſtianorum cum parte, id eſt, Epiſcopali Corpore: fit, ut etiamnum ambigua ſecundum ſe Eccleſiæ vox ſit. Quæ ut determinatum adquirat ſignificatum, ad prædicati indolem, nexumque ejus cum ſubjecto, hoc eſt, ad veritatem propoſitionis attendendum eſt.*

Enim vero qui docet, ſcribit, loquitur, non aliter cenſetur cogitationes Ideaſque ſuas voluiſſe animo conjungere, quam quatenus habitudinem ad ſe invicem habent, & conjungi poſſunt. Porro loquitur, ut cogitationes ſuis ſimiles in mentibus aliorum procreet. Itaque & ſignificatum dediſſe vocibus debet cenſeri, qualem indoles prædicati, ejusdemque cum ſubjecto nexus admittit. Quem niſi dederit; aut Ideas non ipſe conjunxit, ut cenſendus eſt conjunxiſſe; aut cogitationes ſuis ſimiles in aliorum mentibus procreare non poteſt.

Regula V. *Ob eandem rationem in harmoniam, ſeu, ut ita dicamus, propoſitionum argumentorumque cohærentiam intuendum eſt. Etenim qui judicium de re ſuum, & propoſitionem, quæ eſt locutio ei reſpondens, argumentis probare nititur, is rationem nititur dare, cur Ideas duas, & in propoſitione prædicatum cum ſubjecto nexuerit. Jam autem dare hanc ille ſufficientem non poteſt, niſi & propoſitiones, quas ad probandum ſumpſit, cum ea, quam probatam voluit, connexæ ſint. Connexionem igitur hanc ipſam propoſitionum adſumptarum ſignificare vult, dum iis utitur. In hanc igitur intuendum eſt.*

Regula VI. *Quoniam ſyſtema dogmaticum ex notione ſua veritatum eſt plurium compoſitio & combinatio; hinc ſi in perſuadendo hujuſcemodi ſyſtemate verſetur liber; poſitionum omnium, etiam earum, quæ pro argumentis adſumptæ non ſunt, inter ſe nexus conſiderandus eſt. Nam hunc auctor ſignificare voluit. Quibus ſic poſitis, ſequentes inſtituuntur regulæ magis particulares.*

REGULÆ MENTEM AUCTORIS DETERMINANDI.

Regula I. *Is per ſe ſenſus fuiſſe auctoris putandus eſt, quem ejus verba ſecundum communem accepta ſignificatum, tum adjuncta ſermonis ac ſigna, legentis vel audientis primum animo objiciunt.*

Regula II. *Si jam plures de eodem argumento ſcripſerint, conſtetque aliunde de eorum ſenſu; idem auctoris fuiſſe ſenſus putator, ſi iisdem utatur verbis; ſi orationis longam ſeriem ex iis exſcribat; ſi argumenta ſint eadem. Præſertim ſi res inſolens alioquin ſit, nec in vulgus recepta. Cujus poſtremæ conditionis perſpicua eſt ratio. Qui enim inſolens aliquid docere vult, & hoc ipſum adfectat ac profitetur, hujus eſt inſolens quoque conceptum animo judicium. Hoc igitur manifeſtare vult judicium inſolens, & probabilitatem ei conciliare, quam hactenus conſequi haud ſatis potuit.*

Regula III. *Si enuntiatio auctoris in uno intellecta sensu vera esse prorsus non potest; poterat autem, universe de re loquendo, esse vera in altero: sive nunc vera sive falsa sit; potius iste tribuendus est ei sensus, quocum vera esse saltem poterat.*

Regula IV. *Detur enuntiationi sensus A: hoc ei dato, si propositiones omnes ad probandam eam adsumptæ cum illa nexum habeant, non habeant autem, dato altero eidem sensu: is esse sensus putandus est, quo dato nexum habent.*

Regula V. *Si enuntiationes aliæ, quas similiter auctor in summam systematis sui admisit, cum enuntiatione A, dato sensu eidem A, conveniant; non autem conveniant, dato sensu B; is rursum sensus est dandus, quo dato conveniunt.*

Scholion.

Loquor de iis enuntiationibus, quæ principaliores in libro sunt. Principaliores autem voco, in quibus explicandis præcipuam operam locavit auctor: tum eas maxime, quas pro insolentibus sciens prudens ac timide posuit; sana ratio enim docet, quo meditationis in hujusmodi insumpsit plus, tanto & rationem habendam esse earum majorem, ut cogitationum in auctore series, adeoque sensus determinari possit.

Regula VI. *Quominus sensum auctoris determinem, nihil terrere me debet, quod sint in ampla alioquin serie scriptorum aliqua, quæ cum sensu A dato haud satis conveniant. Nam cum immemorem esse dictorum, humanum sit; tum proclivius est iis, qui multa scribunt aut dicunt. Immovero quotidianum est iis, qui adfecto sunt animo, & perturbationibus agitantur. Quorum, ut est pulchre a* Gregorio Nazianzeno *scriptum*, tam inconsulta esse temeritas solet, & contra veritatem libido certandi; ut ne secum quidem pugnantes ipsimet aut intelligant aut erubescant. *Unde ad* Nestorium *scribens* Cælestinus, multiloquio *inquit*, laberis, dum vera involvis obscuris, rursus utraque confundens vel confiteris negata, vel niteris negare confessa. *Idque &* Pelagio *pluribus in locis* Augustinus, *&* Flavianus Eutychi *exprobrabat. Ac vero quis Ciceroni non adsentiatur, dum ita scribit*: ut quisque vir optimus est, omnes præter se bonos putat? *Quid igitur? nemo fur, nemo latro, nemo sacrilegus putandus est? nemo: ac ne tum quidem cum in manifesto est facinus? sic igitur ut contradictionis nolim temere insimulari scriptorem: insimulandum tamen esse contendo, cum excu-*

ſari ab ea non poteſt: quod quidem tum accidet, cum ad omnes exacta regulas interpretatio fuerit.

Regula VII. *Si auctor ſcopum aliquem ſibi propoſuerit, atque ad hunc adſequendum adſumpſerit eam, de qua quæritur, enuntiationem: is tribuendus eſt ei ſenſus, quo dato ad ſcopum conducit: qui ſi unus eſſe tantum poſſit, etiam unus tribuendus duntaxat eſt.*

Axioma.

Certiſſime atque evidenter is ſenſus eſt, in quem omnes deſcriptæ hucuſque regulæ conveniunt.

Quæſtio I.

An Febronius Democraticum in Eccleſiam regimen invexerit?

Definitio.

Democraticum eſt regimen, aut popularis ſtatus, cum poteſtatis Juriſdictionisque ſumma in Multitudine eſt: tametſi ea magiſtratus ſuos habeat adminiſtros & executores hujus poteſtatis.

Scholion. I.

Definitionem hanc pono, prout Democratiæ *nomen ex communi uſu accipitur. Quodſi aliam* FEBRONIUS *notionem eiſubjecerit; nos de voce non litigabimus. De re, de poteſtate, de origine ac ſtirpe poteſtatis tota eſt illa nobis ſuſcepta contentio.*

Scholion II.

Loquor de poteſtate univerſe accepta. Neque enim omnis Communitas cujuſcunque eſt capax poteſtatis ſic, ut pro libitu decernere leges ſibi poſſit, quas velit, aut antiquare eas quas, habet. Dedit Chriſtus ſuæ Eccleſiæ leges, quas abdicare illa non poteſt.

Hypotheſis.

Nomine Clavium, *cum de Eccleſia heic verbis Evangelicis loquimur, poteſtatis ſacræ & Juriſdictionis ſummam intelligimus. Sic enim accepit eam vocem Febronius.*

Pro-

Propositio.

Descriptæ hactenus regulæ in id omnes conveniunt, ut potestatis ac Jurisdictionis Ecclesiasticæ summam in multitudinem, totumque cœtum omnium Christianorum contulisse Febronium dicamus: ita quidem ut non nisi administri & executores sint Episcopi hujus potestatis.

Demonstratur. *Id primo verba declarant secundum naturalem & obvium accepta significatum: velut cum dicit*: potestas Clavium UNIVERSITATI a Christo data est: illam hæc per Ministros suos exercet. *Item*, Clavium potestas Universitati Ecclesiæ PROPRIE & ita transcripta est, ut illa per ejus Ministros pro sua cujusque portione exerceatur. *Rursum*: Ecclesia ipsa principaliter ac radicaliter obtinet potestatem Clavium, quæ ab illa in omnes ejus Ministros derivatur, & singulis quibusque pro sua portione communicatur. vid. supra Art. II. §. I. N. I. II. III.

Id 2do ADJUNCTA SERMONIS. *Nam quasi interrogatus, quodnam Ecclesiæ sit regimen? respondet non esse* Monarchicum: *verum tale, ut Universitas, id est, Communitas ipsa se regat per Ministros suos.* Vide ibid. §. V. N. V.

Id tertio SERMONIS SIGNA; *velut cum peculiaribus literis ista exprimit,* omni *Electorum* Ecclesiæ. Vide ibid. §. II. N. I. Cumque PAULI *ad* Colossenses *truncavit locum*: Ecclesia, cujus factus sum ego Minister SECUNDUM DISPENSATIONEM DEI, QUÆ DATA EST MIHI IN VOS. Vid. ibid. §. II. N. III.

Id 4to. Quia ex LAUNOIO DUPINIOque *orationis exscripsit seriem, iisdem est usus verbis, iisdem argumentis: iisdem quoque, quibus & alii præter hos duos usi sunt, de quibus certum est, fuisse in hac eos sententia.* Vid. Art. I. §§. III. IV. & V. Art. II. §§. III. & IV. Art. III. §. III. N. VII.

Id 5to. Quia enuntiationes superius positæ ne possent quidem ullo modo veræ esse, sed ad contradictionem implicarentur manifestam; si non de Communitate totoque fidelium cœtu, sed de Episcopali tantum Corpore intelligerentur. Sequeretur enim Episcopos sub eadem ratione Ministros esse, qua principes sunt. Vid. Art. II. §. I. N. IV.

Id 6to. Quia hoc dato enuntiationibus sensu hæret oratio ac in se nectitur: dato alio; non hæret, non nectitur. Sit enim Episcopale tantum Corpus,

pus,

pus, quod Claves de instituto Christi obtineat: ineptissimus ad probandum locus erit ex Beda sumptus: Omni Electorum Ecclesiæ ligandi atque solvendi datur auctoritas. *Ineptissimum pariter ac plane stolidum: Claves illi esse datas Ecclesiæ, quæ* per Concilium, *id est, per congregatum Episcopale Corpus tanquam per distinctum a se quiddam, & per Ministros in Concilio suos repræsentatur. Ineptissimum tandem, quod* Colossensium *se* Ministrum *nominarit* Paulus. Vid. Art. II. §. II.

Id 7mo. Quia hoc dato enuntiationibus sensu hærent & cæteræ in summam Systematis receptæ, & insolentes illæ quidem alioquin, ac timide positæ. Non hærent autem dato alio. Nam si fidelium universo cœtui Claves commissæ sint; quis ambigat, quin & cætera promissa Christi ad eam pertineant. Erit igitur verum, vim ultimam Decretis fidei non ex solo Episcoporum accessu, *sed* ex universorum fide fidelium, quæ deficere non potest, comparari. *Verum erit, Episcopos* custodes ac testes *tantum esse traditionis extra Concilium, non* judices. *Verum*, neque paucos neque multos infallibilitate gaudere, sed Corpus ipsum ex Pastoribus primi secundique Ordinis atque Laicis compositum. *Verum Episcopos* non solos esse in Ecclesia Doctores (*cum auctoritate scilicet*) non solos custodes fidei, non solos extra Concilium universalem Ecclesiam, *regentem nimirum ac docentem* repræsentare. *Verum, etiam* Laicos Doctores habere suos ac reclamare posse. *Verum tandem, an sit legitimum Concilium, ex eo determinandum esse, quod vel* receperit, *vel rejecerit illud ea* Ecclesia, *cui soli tanquam Corpori ex Clero constanti ac populo indivisa prorsus atque in solidum infallibilitas & ἀσφάλεια concessa est.* Vid. Art. II. §. III. N. IV. *Sit contra Episcopale tantum Corpus, quod Claves habeat: quid ex omnibus hucusque positis non ineptum, non falsum est?*

Porro quod est 8vum, adsumpsit eam de Clavibus disputationem Febronius, *ut Monarchicum non esse regimen Ecclesiæ probaret. Ad hunc autem scopum solus potest is sensus conducere, quem determinavimus, ut habeat, possideatque etiamnum actu multitudo totam potestatem.* Vid. Art. II. §. V.

Igitur, quod demonstrandum erat, omnes regulæ in datum sensum conveniunt. Accedit, quod exceptiones Febronii *omnes partim mendaces, partim fraudulentæ, aut plane ridiculæ sint. Per demonstrata toto* Art. III.

Corollarium.

Certissime igitur Febronius Democraticum *in Ecclesiam invexit regimen.*

Quæ-

Quæstio II.

An Febronius *suamet confessione hæreseos traditæ reus convinci possit?*

Definitio.

Hæreticum illud est, cujus oppositum de fide Catholica est.

Hypothesis.

Febronii *hujusmodi est in Appendice tertia pag.* 42. *confessio :* Forma Ecclesiæ nec est Democratica, nec simplex Aristocratica. Duo prima sunt de Fide Catholica.

Propositio.

Febronius *suamet confessione traditæ hæreseos reus convinci potest.*

Etenim Febronio *confitente, de fide Catholica est, non esse Ecclesiæ Formam* Democraticam (per hypothesin) *igitur* (per definitionem) *istud adserere; hæreticum est : Adseruit autem* Febronius, *per demonstrata. Ergo; Q. E. D.*



ARTI-

ARTICULUS IV.

PERNICIES FEBRONIANI SYSTEMATIS, EJUSDEMQUE FALSITAS DEMONSTRATUR. REFUTANTUR ARGUMENTA FEBRONII. IGNORANTIA, CONFLICTUS, CALUMNIÆ RETEGUNTUR, COROLLARIA DUCUNTUR.

§. I.

Systema FEBRONII non Ecclesiam modo funditus destruit; sed nec minus Civilibus Communitatibus, & regnorum Principibus exitiale est. Demonstratur cum testimoniis doctissimorum Præsulum, tum usu ipso & experientia irrefragabili.

I. Postquam superiore disputationis parte exposui, quod in barathrum sive odium ac livor, sive imprudentia ac servile ingenium FEBRONIUM præcipitaverit; nunc a me illud expectari intelligo, ut refutem dogma improbum, nihilque minus esse verum demonstrem, quam quod iste sibi, & incautis, ac parum subactis illo genere studiorum imposuit. Quod utinam non ea ætate cogerer facere, qua res ipsa loquitur! Est enim recens memoria multorum: multa oculis conspectuique fuerunt exposita, quæ, quorsum abducat demum illa pestis, quemque exitum habeat, me etiam tacente demonstrare possunt.

Ac BOSSUETII quidem sententiam hujusmodi fuisse de ea scimus, ut *Antichristi prodromam*, & *ruinam Ecclesiæ* nominaverit. (1) Sed Eminentissimus DE BYSSI aliquanto longius progressus est: utrique enim infestam *Statui* eam censet. *Fanatismus*, inquit, *cujus est finis, non Religionis solum fundamenta subvertere, sed Monarchias insuper, regnaque omnia destrue-*

(1) Histoire des variations *Lib. XV. pag.* 412. *Edit.* 5. de hoc ipso populari systemate loquens: *c'est ainsi qu'on met en piéces le Christianisme, & qu'on prepare la voye à l'Antechrist.* Quem locum, uti & plurima præclarissime ab eodem dicta de hoc argumento adoptavit Clerus Gallicanus in Reclamatione Comitiorum generalium anni 1760. & 1765. impressa latine August. Vind. 1766.

destruere. (2) Utrumque vere. Fit enim necessaria quadam consecutione doctrinæ, ut latio legum, probatioque & antiquatio earundem penes multitudinem sit. Quocirca tametsi rogare eas summus Pontifex in Ecclesia, & Episcopi in suis Diœcesibus possint (nam *ministrorum* est ea qualiscunque functio atque auctoritas) vim tamen conditionemque ac naturam Legis nunquam capient, nisi multitudinis admissæ suffragio & probatæ fuerint: quod idem de abrogatione dici debet, vel restauratione Legum ac consuetudinum. Ea vero res quam in stragem omnis honestatis disciplinæque desinat, valde is cæcus sit, qui videre non possit.

II. Et quid URBANUS VIII., per Deum, INNOCENTIUSque X. & ALEXANDER VII. summi Pontifices luent? quorum primi duo, haud utique rogato populi consensu, JANSENII doctrinam ac librum damnarunt, & anathema iis omnibus sunt imprecati, non solum qui contenta in illo libro dogmata defendere auderent, sed qui vel legerent ipsum librum, aut retinerent: tertius vero Sacramenti insuper religione omnes adigi voluit, ut damnationi subscriberent. Quid, qui exemplum est istorum imitatus, CLEMENS XI? quid BENEDICTUS XIV? Nam horum ille quidem propositiones centum & unam ex PASCHASII QUESNELLI excerptas libro auctoritate Judicioque simili damnavit; hic Christianæ mortis carituros præsidiis eos omnes edixit, quos Constitutioni huic rebelles fuisse constaret. Quid tot Galliæ demum, immo vero totius orbis Christiani Præsules? quorum ut erat cura semper præcipua, pietatem & integritatem tueri catholicam, sic si viginti demas uno minus, cæteri omnes rescripserunt, in potestate se Romani Pontificis fore. Estque huc omnis eorum conversus labor ac tota industria, ut quod Roma sanxisset, executioni daretur: neque ab hoc eos consilio artes ullæ factionis, querelæ, clamores in hunc adeo diem deterrere possunt. His, inquam, omnibus quid fiet?

Sunt certe duo illa in causa, quorum utrumque ad Clavium reduci potestatem debet: docendi quidem, definiendique auctoritas, tum latio legum & coercitio. *Cum itaque Corpus quoddam Ecclesia sit ex Episcopis, secundique ordinis Sacerdotibus & Laicis constans; cum horum omnium neque pauci, neque multi infallibilitate gaudeant;* (FEBRONII utor ubique

 verbis

(2) Traité Theolog. pag. CXXIII., postquam systema eodem, quo nos modo, exposuit, subdit. *on sent d'abord combien ce principe est seditieux, & qu'il ne tend à rien moins, qu'à renverser toutes les Monarchies, aussi bien que le gouvernement de l'Eglise.*

verbis) *ſed Corpus ipſum ex enuntiatis jam membris compoſitum; cum Epiſcopi neque ſoli ſint in Eccleſia Doctores, neque ſoli cuſtodes fidei, neque ſoli ſpiritus ſancti habeant aſſiſtentiam, neque ſoli extra Concilium univerſalem Eccleſiam conſtituant, aut repræſentent: cum poſſit unum vel plures etiam ex ſecundi Ordinis Sacerdotibus excitare Deus, vimque & efficaciam addere eorum verbis ad parandum veritati triumphum; cum etiam Laicis negari facultas non debeat admonendi, reclamandique, habeantque prophetas & ipſi ſuos & Doctores a Spiritu ſancto datos, ſuum* Saulum, *ſuum* Barnabam : cum momento denique neque poſſit res iſta confici, neque debeat, ſed *moram deſideret* : vah (ſic jam concludam : & quis evidentiam, ad quam concludo, non videat?) quæ tyrannis eſt ea Pontificum? quis furor, quæ impietas Epiſcoporum? & ipſorum regum quæ iſta crudelitas, quod homines innocentes, naturaque & inſtitutione Chriſti liberos vexare non deſinant? Præſertim cum ſit Concilio res nondum definita : quod adeo ipſum ſi haberetur, foret etiamnum penes Communitatem, vim ultimam ac decretoriam ei tribuere.

Quamobrem ſpernent ii deinceps fulmina, cujuſquemodi ſint; & a quocunque excuſſa, tanti, quanti quod nihil eſt facient: hoc enim reſtat, & ſequitur. Heinc Auctor inter eos celebris: *Extra omne*, inquit, *eſt dubium, cenſuras, quas invito Clero & populo ferunt Epiſcopi, caſſas & nullius roboris eſſe. Excommunicatio nullam vim habet, ſi Clerus reclamet, magis autem vitioſa ac vana eſt, ſi populus adſiſtat Clero.* (3) Hi fructus arboris, hi rivi ſunt, qui ex cænoſo lutulentoque illo fonte ſcaturiunt. Ut taceam, ad peregrina tribunalia & ad cauſidicos evocari cauſas fidei, Epiſcoporumque & Pontificum decreta : quæ res quantum valeat ad turbandam Religionem atque Rempublicam, nihil docere opus eſt, cum per ſeſe pateat, & in recenti recordatione ſit poſitum.

Sed non iſta probat Febronius, inquiet aliquis? Mirum! Propoſitionem Quesnelli nonageſimam non totis faucibus hauſiſſe eum oſtendi? Dicam inſuper loco ſuo, quo furore in Clementem XIII. atque in defenſores Conſtitutionis *Unigenitus* debachatus fuerit. Et ut demus, conſecutiones non eum probaſſe; quid? eone minus caſtigatione atque vindicta is dignus eſt, qui furenti gladium porrigit; cædem vero, quæ inde conſequitur, improbare ſe adſerit? Eſt autem ſimilis profecto heic ratio. Non enim

(3) Author libri. *Pouvoirs légitimes pag.* 721.

enim bona esse doctrina illa potest, cujus sunt fructus adeo pestiferi: atque iste si vir bonus ac pius erat; debebat vel hoc uno nomine execrari eam ac fugere, quod receptum, latibulumque ac prope nidum suum construxissent in illa homines pervicaces. Ita enim se prorsus res habet. *Non possunt*, inquit is, quem sæpe nomino, (4) non possunt labentem & in exitium incumbentem sectam suam sustentare atque fulcire, sine opinionis illo portento, Claves penes multitudinem depositas esse. Itaque in omnem eventum designaverant jam eam animis, cum causa Romæ disceptaretur: & postquam damnati sunt, quæ est occasio ab illis neglecta, quo minus in fidei consortium, gradumque catholici & ab Ecclesia definiti dogmatis eam promoverent?

III. Quodsi hoc insuper sumam, adfirmemque, peræque ad profanis rebus publicis, hoc est, regnis atque Imperiis consciscendam pestem, esse natum illud monstrum doctrinæ; faciam ejusdem id CARDINALIS exemplo, ut vereri minime debeam, ne calumniæ postuler. (5) Neque is unus est: sed est omnium, qui de illa labe scripserunt, vox eadem. Quos inter LANGUETIUS Senonensis Episcopus in Pastorali scripto, quod anno millesimo septingentesimo decimo nono ad Catholicos suæ Diœcesis misit. (6) Copiosius autem SEGUSTRONENSIS Episcopus in historia *Constitutionis*: cujus tametsi prolixior sit locus, describendus heic esse videtur; sed latine. " QUESNELLIANI, ait, cum ex omni parte se obrutos viderent au-" ctoritatis pondere; nunc demum adpulisse tempus existimabant, ex-" plicandi evolvendique palam, quidquid animis præcepissent adversus legi-" timam omnem potestatem. CALVINISTARUM doctrina fuit, populum " sui juris esse, & Majestatem in manu nationis depositam. A multitudi-" ne manare auctoritatem in principes, & istius nomine exerceri: & ut " sit populus, qui principes faciat, sic in populi esse arbitrio, cum velit, " dejicere eos atque deprimere. "

(4) CARD. BISSI Tom. cit. pag. CXIX. une opinion, sans laquelle le Jansenisme ne pourroit plus se soutenire, puisqu'il est à croire que le Chef de l'Eglise, & le Corps des Pasteurs, ont frappé d'anathême la doctrine de JANSENIUS, & ceux qui la soutiennent &c.

(5) CARDINALIS DE BISSI loco supra cit.

(6) Pag. 51. ad Num. LII. in margine: troisieme excés du systême. La puissance des Rois soumise au peuple. Et in contextu: Aussi ces Ecrivains n'ont ils pas plus respecté la puissance des Rois, que celle des Evêques; & c'est du pouvoir temporel, comme du spirituel, qu'ils ont osé avancer, qu'il residoit dans tout le Corps, en tant que les peuples en font partie, & en possedent la proprieté. *Probat hoc deinde ex auctore libri*: Temoignage de la vérité: *& ex altero*, Renversement des libert.

" Hujuſmodi principiis non una vice ab hominibus fanaticis excitati
" ANGLI, SCOTIque adverſus reges ſuos. Sed QUESNELLISTARUM indura-
" tior indoles erat, quam ut parricidiis terreri poſſent ſacrilegis, quorum
" apud vicinos noſtros doctrina iſthæc ſeditioſa origo fuit. Hanc ii divul-
" gant in privatis colloquiis, hanc ſcriptis diſſeminant, hanc (nam depre-
" henſa res eſt) in ſcholis profitentur ac docent. Exemplum in magiſtro
" FAUVELIO. Is ut ADPELLANTIUM ex numero erat, offerre frontem utrique
" poteſtati minime veritus eſt. Sic enim docuit, & axioma hoc fuit ab eo
" poſitum : auctoritatem ferendarum legum multitudinis eſſe propriam,
" non principis : principem ſenatumque, cum ad obſervantiam earum
" compellunt, multitudinis id tantum nomine facere; ſicut nec majeſtatem,
" qua ſint reges circumdati, in ipſis hærere regibus, ſed eam populo *im-*
" *mediate* a Deo traditam fuiſſe atque conceſſam. "

" Idem Eccleſiam *popularem* omnino fecit, in qua auctoritas neque
" Papæ, neque Epiſcopis, ſed toti Corpori a Chriſto ſit credita; Conci-
" lia quoque ipſa œcumenica eatenus tantum illam exerceant, quatenus
" Corporis totius nomine agant. (7)

IV. Equidem quis FEBRONIO de regnis ac principatibus ſit ſenſus, de-
finire non auſim, neque velim : at ſcio, impudentiæ vim magnam eſſe,

(7) Lib. V. pag. 209. Accablés de toutes parts ſous le poids de l'Autorité, les Quênelliſtes jugerent qu'il étoit tems de déveloper enfin tout leur ſiſtême contre toute Puiſſance légitime & de s'en expliquer ouvertement. Les Calviniſtes avoient enſeigné, que les peuples ſont leurs propres maîtres; que la Souveraineté eſt dans les mains de la Nation, que c'eſt la multitude qui communique l'Autorité aux Souverains; qu'ils ne l'exercent qu'au nom du peuple; & que, comme il les a élevés, il peut les abbatre ſelon ſon gré. C'eſt ſur de tels principes que des Docteurs fanatiques ſoûleverent autrefois les peuples d'Angleterre & d'Ecoſſe contre leurs Rois. Les Quênelliſtes ne furent point effraiés des Sacrileges parricides que ces maximes ſeditieuſes ont causé chez nos voiſins. Ils enſeignerent la même doctrine. Ils la publierent dans leurs diſcours. Ils l'inſererent dans leurs Ecrits, & on trouva qu'elle avoit été publiquement dictée dans leurs Ecoles. Le Profeſſeur Appellant, qui avoit eu l'audace de ſe montrer ſi ouvertement contre les deux Puiſſances, étoit le Sieur Fauvel. Il avoit établi pour principe, que le pouvoir de faire des loix appartient à la multitude; que le Prince ou le Senat ne pouvent nous contraindre, qu'au nom de la multitude, de les obſerver, & que la puiſſance, dont les Rois ſont revêtus, ne reſide en eux, que parce que Dieu l'a immediatement accordée aux peuples, qui la leur ont confiée. Il avoit auſſi repréſenté l'Egliſe ſous les idées d'une Republique, òu l'autorité a été accordée de J. C. à tout le Corps & òu le Pape & les premiers Paſteurs, les Conciles Généraux-mêmes ne l'exercent, qu'autant qu'ils agiſſent au nom du Corps.

postquam verecundiæ semel fines prætergressa est. Memini etiam, qua ille petulantia immortalis memoriæ principem STANISLAUM, & in pari communique causa CHRISTIANISSIMUM GALLORUM REGEM, tum ipsius, *cujus pane vescitur*, Germaniæ Episcopos ac principes lacessiverit. Memini, quo furore ac rabie in istos omnes, a quibus impugnatus utcunque fuit, debachatus sit; non ut virum loqui putes annis maturum & gravem, sed mulierem ebriam, a qua ratio omnis abscessit ac pudor. Ab hujusmodi vero qui alienum aliquid præter virtutem & honestatem putant, næ falluntur ii quam maxime, nec attendisse unquam satis videntur, quantas vires virtus habeat.

Ut ut sit: satis est, quod de Ecclesia arreptum ab eo fuit e QUESNELLIANIS magistris, peræque infestum, metuendumque regnorum esse principibus. Cum nec ipsi, a quibus disseminata est ea improbitas, discrimen aliquod statuant, modumve ponant, neque possint omnino ponere, si constare sibi velint. *

§. II.

Systematis FEBRONIANI falsitas demonstratur I. ex Scripturis. II. ex antiquissimis Ecclesiæ Patribus. III. ex comparatione Episcoporum cum Presbyteris. IV. Ex doctrina catholica de Ordinis Sacramento occupatur effugium, quod ex ALMAINO peti posset, refelliturque, & una stoliditas ostenditur totius systematis.

I. Quid autem? tam nefandum scelerosumque dogma scripturarum niti oraculis, traditione Majorum, Conciliorum decretis arbitrabimur? Horum enim saltem sit unum, quod ostendi possit, necesse est. Non enim a natura populus Claves cœli habet. & ut pulcherrime BOSSUETIUS in decimo quinto *Variationum* Libro, Ecclesia Catholica ita suos semper est alloqui solita: *O Christiani! populus estis, status estis, societas estis.*

 Sed

* Confer, quæ scripsi Art. III. §. III. N. VII., ubi quinque in libello RICHERII damnatas propositiones expendi. Eas hactenus quidem FEBRONIUS pro falsis habuit: sed si ex inconstantia ejus facere conjecturam licet; forsan veras esse defendet, si res aliter tulerit.

Sed Jesus Christus *Rex vester nihil penitus a vobis habet, estque auctoritatis potestatisque Ejus fons multo sublimior. Nihil sane natura plus Juris conferre vobis potuit, ut ministros illi, quam ut vobis Christum, hoc est, principem constitueretis. Quamobrem siquid vultis, siquid posse vos arbitramini; lege probate, aut consuetudine.* (8)

II. Atqui lege quidem certe, ut Evangeliorum est ea, Apostolicorumque documentorum tabulis consignata, probari nunquam καθαρμα illud & spurcities profani dogmatis poterit. Quin est contra testimoniis certissimis exploratum, priusquam coaluisset Ecclesia, hoc est, Corpus ac tota Communitas, fuisse principes jam ei ac magistratus suos a Christo positos, potestatemque illorum definitam, quidque facerent, ac quæ partes singulorum forent, constitutum. Ita quod Matthæus & Lucas testantur, *elegit* ab initio ille statim ex multis *duodecim*, quos Apostolos nominavit. Significanter autem nec sine causa a Marco additum est; *elegisse quos voluerit*, cumque plures tum essent præsentes, *duodecim* tantum *ad se evocavisse.* Ex his unum subinde Petrum allocutus est apud Matthæum: Simon*Bar jona, Ego dico tibi, quiatu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo Claves regni cælorum*: quibus verbis cæterorum caput, ut alibi doceo, eum constituit. Tum universe ad omnes Apostolos: *quæcunque alligaveritis*, inquit, *super terram, erunt ligata & in cælis.* Atque iterum ad Petrum: *pasce agnos meos, pasce oves meas.* Et ad Apostolos rursum: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* In illis omnibus, quidquid ad Clavium & Jurisdicundi potestatem pertinet, continetur ita atque transfertur, ut in consortium Societatemque venire illius Multitudo non possit. Sed sunt ex adverso audiendi huic relictæ & imperatæ a Christo partes: tantum abest, ut radiolus alicubi traluceat communicati cum ea sacri magisterii ac principatûs.

Porro quem semel in sua domo ordinem instituit magnus ille Paterfamilias Christus, eundem & Apostoli post discessum ejus servaverunt. Neque enim ex populari suffragio Episcopi creati sunt, sed ab Apostolis in magnis

(8) Tom. II. Edit. 5. à Liege pag. 410. L'Eglise Catholique parle ainsi au peuple Chretien: vous êtes un peuple, un état & une societé: mais Jesus-Christ qui est vôtre Roi, ne tient rien de vous, & son autorité vient de plus haut: vous n'avez naturellement non plus de droit de lui donner des Ministres que de le instituer vous-mêmes votre Prince. - Vous n'avez aucun droit, que celui, que vous trouverez dans les loix, ou dans les coûtumes immemoriales.

magnis urbibus constituti. Atque horum perinde ut illa, qua ipsimet Apostoli potiebantur, a Christo & Spiritu sancto promanabat auctoritas. Nam IPSE, ut PAULUS ait, *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios Pastores & Doctores ad consumationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi.* Heinc in ACTIS *Majores natu*, id est, Episcopos alloquens idem PAULUS, *Attendite*, inquit, *vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Quæ quidem a pascendi sumpta munere similitudo frequens est in sacris Scripturis, & in eam intuens S. GREGORIUS NAZIANZENUS, *Vos*, inquit, *Oves nolite pascere Pastores, neque in fines eorum invadite. Satis enim vobis est, si recte pascimini: nolite judicare Judices, neque legislatoribus ferre legem vos posse arbitremini.* Nolo reliqua, eaque obvia passim ex Apostolorum gestis & epistostolis describere. Huc enim recidunt, ut Apostolis quidem & Pastoribus Summa sit quædam a Jesu Christo adhortandi imperandique [& corrigendi concessa auctoritas, fidelibus obtemperandi relicta gloria, officiumque impositum.

III. Atque in eadem ingressi vestigia etiam sunt ii, qui ab Apostolis primi fuerunt. IGNATIUM dico & CLEMENTEM. Quorum iste quidem in epistolis, quas ad *Magnesianos*, *Trallianos*, *Philadelphios* & *Smyrnenses* habemus ab eo scriptas, & quæ genuinæ Eruditorum consensione sunt, ad eum modum de Episcopis, & totius Ecclesiastici negotii gestione & unius administratione Præsulis loquitur; ut nihil sit certius, quam ne cogitatum tum quidem fuisse de commento illo, quod modo nuperi ac novitii homines, & Episcopalis inimici nominis, & obtrectatores pacis obedientiæque ac recti Ordinis divulgandum sibi sumpserunt. *Omnes Episcopum*, ait, *sequimini, ut Jesus Christus Patrem. Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ Ecclesiam spectant. Ubi Episcopus, ibi multitudo: quemadmodum ubi Christus, ibi Ecclesia Catholica.* (9)

Iisdem porro diebus CLEMENS Romanæ Urbis Episcopus & auditor PETRI epistolam ad *Corinthios* scripsit Schismatis inter eos exorti causa: quæ, ut est EUSEBIUS de illa testis, proximum a sacris Scripturis nacta locum exinde fuit, & in publicis Asiæ conventibus consuevit prælegi. Atque in

(9) IGNATIUS in epis. ad Smyrnens. Vide Instruct. Pastoralem Illustris. Archiepis. Parisini, ann. 1756. die 19. Septemb. Parte I. N. 16. & 17.

in hac ille *exercitui* Ecclesiam comparat, *in quo non omnes præfecti, non omnes tribuni, non omnes centuriones sunt, sed unusquisque* ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι τὰ ἐπιτασσόμενα ὑπὸ τοῦ βασιλέως καὶ τῶν ἡγουμένων ἐπιτελεῖ, *quod ordinis est sui proprium, imperaturque a rege & ducibus, illud perficit.* Et ad eundem modum: *Summo Sacerdoti*, inquit, *sua munia tributa sunt: & Sacerdotibus locus proprius præstitutus est, & Levitis sua quoque incumbunt. Homo Laicus* τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασιν δέδεται *præceptis Laicis adstringitur.* (10) Quamobrem nunquam in ea opinione CLEMENS fuit, ut populare a Christo regimen institutum crederet. Quod vel exercitûs ipsa, qua utitur, similitudo declarare potest: tum illud præterea, quod a Judaico populo exemplum & ἀναλογίαν capiat. In illo enim per se ipsum Deus successionem atque ordinem Sacerdotii destinavit, ac non modo pars nulla illius in Multitudine fuit, sed ne in regibus quidem, tametsi summa alioquin & absoluta auctoritate præditis.

Est etiam IRENÆI locus perinsignis in quarto adversus hæreses libro, quem delibasse heic satis fuerit, quoniam est infra describendus. *Eis*, inquit, *qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obaudire oportet, his, qui successionem trahunt ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt.* (11) Apostolis igitur Episcopi succedunt, & *successione* fit, ut charisma veritatis, non populi, non Ecclesiæ, sed beneficio æterni Patris obtineant. Hæc IRENÆI doctrina est. Qua non illud inficiari vir summus voluit, etiam Ecclesiam a D. PAULO columnam & firmamentum veritatis adpellari: nam adpellatur ea certe ac est. Verum hoc ipsum ut sit, ab Episcoporum successione habet; non autem vicissim ideo Episcopis procuratio adest divini Spiritus, quod Multitudinis sint illi pars & membra Corporis, cui tanquam pro *indiviso* & in *solidum* procuratio ista fuerit desponsa. Ubi sunt nunc igitur Claves, quas Multitudini fuisse traditas Adversarius comminiscitur? Ubi illud est, quod idem scribit FEBRONIUS, *neque paucos, neque multos Episcopos infallibilitate gaudere, sed Corpus ipsum* ex Senatu populoque compositum?

Jam a CYPRIANO, qui tertium ornavit sæculum, quam sunt multa ad jugulandum novitiæ opinionis probrum præclare scripta? Sic in Epistola ad FLORENTIUM PUPIANUM Episcopos non populorum sane administros

(10) Apud Coustantium Tom. I. pag. 27 & 28.
(11) Cap. 43.

ministros & procuratores nominat, sed *Apostolis vicaria ordinatione successisse* asserit. (12) Et ad ROGATIANUM, *quoniam Apostolos*, inquit, *id est*, *Episcopos & Præpositos* DOMINUS *elegit*. (13) Heinc Episcopalem auctoritatem in Ecclesia gubernanda *sublimem & divinam* potestatem vocat alibi. (14) Et luculentissime in epistola ad Lapsos, *Dominus*, ait, *noster*, *cujus præcepta metuere & observare debemus*, *Episcopi honorem & Ecclesiæ suæ rationem disponens*, *in Evangelio loquitur & dicit Petro: Ego tibi dico*, *Tu es* PETRUS, *& super istam petram ædificabo Ecclesiam meam. Inde per temporum & successionum vices Episcoporum ordinatio*, *& Ecclesiæ ratio decurrit*, *ut Ecclesia super Episcopos constituatur*, *& omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cum hoc itaque divina lege fundatum sit*, *miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse.* (15)

IV. Porro eorundem. quos attulimus, testimoniis Patrum conficitur hoc quoque: ne Presbyteris quidem secundi gradus Jurisdictionem competere, aut esse concessam a Christo ea ratione, ut tanquam pro indivisa cum Episcopis illam obtineant. Sed *sunt divisiones gratiarum*, *divisiones administrationum*, *divisiones operationum*, ut Apostolus ait: atque ut *omnia membra non eundem actum habent*; sic alii *sunt Apostoli*, alii *Prophetæ*, alii *Evangelistæ*, alii *Pastores*. Pastores autem ut nequis uniusmodi esse omnes crederet, sancivit sub anathematis pœna Tridentina Synodus, divina ipsa ordinatione atque institutione, non autem Ecclesiæ arbitrio, suffragiove populari ac plebiscito Hierarchiam in Ecclesia esse ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris constantem. Adeo ut sit Ecclesia velut *castrorum* quædam *acies ordinata*: qua similitudine S. CLEMENTEM fuisse usum diximus. S. IGNATIUS vero in Episcopum *tanquam in figuram æterni Patris* Presbyteros intueri jubet: *quidquid præter conscientiam hujus fecerint*, *Diabolo* ait *fieri*, *non Christo*. (16 Neque CYPRIANI illud dimittendum animis est, *Ecclesiam super Episcopos constitui*, *& omnem actum per eosdem Præpositos gubernari*, *ac divina quidem id lege fundatum esse.*

N Et

(12) Epis. 69.
(13) Epis. 45.
(14) Epis. 55.
(15) Epis. 27.
(16) Epis. ad Trall. item ad Smyrnens. loc. supra c.

Et vero valde is hospes sit in antiquitate priscisque moribus, qui ignoret, fuisse nullam propemodum Ecclesiasticæ administrationis partem permissam ab initio Presbyteris, ac ne ejus quidem, quæ in baptizando occupatur. Cujus rei TERTULLIANUS disertissimus testis est: (17) ac debet ratio heinc repeti, quod qui origines nobis Ecclesiarum reliquerunt, ii Episcoporum fere tantum successiones commemorent, nulla de Presbyteris instituta mentione. (18) Tametsi vero posteaquam auctus est fidelium numerus, & curarum inde seges excrevit, Presbyterorum quoque auctoritas facta major est & amplior, atque adeo ordinarium esse Jus cœpit, quod extraordinarium erat ab initio, & mandari identidem ab Episcopo debuerat, nihilominus summa ipsa ac το κρατος penes Episcopum semper mansit: & inhæsit constanter ea animis fidelium doctrina, Ecclesiam in Episcopo esse, ac circumferri ab illo quodammodo, ut CYPRIANUS loquitur. (19) Itaque GUILIELMUS PARISIENSIS decimi quarti Scriptor sæculi his verbis Episcoporum majestatem expressit: *In solis Episcopis plenitudo potestatis & istorum officiorum perfectio est. Idem etiam est Apostolorum officium, sive Apostolatus: quidquid Apostolis commissum fuit, totum commissum fuit Episcopis: unde & in Sedibus, in quibus sederunt Apostoli, sedent tanquam pleni Juris successores.* (20)

Atque hæc obiter & ἐν παρόδῳ tantum: tum ut quasi præluderem iis, quæ sum alio forsan tempore, atque postea in hoc etiam libro de Presbyteris dicturus opportune magis & copiose: tum ut vel hoc solo futilitas FEBRONIANI commenti pateat, quamque alienum ab omni antiquitate sit, quod de Clavibus iste garrivit multitudini a Christo traditis, id est, de regendi gubernandique sese ipsam potestate, penes Ecclesiam, quatenus fidelium est illa cœtus, deposita. Nam si ne Presbyteris quidem, tametsi initiati divinis modis ac ritibus ii sint, potestas quædam exterior per sese competit, sed vicariam eam ab Episcopo habent, ab illoque

(17) TERTULL. L. de Bap. C. 17. *Dandi* (Baptismi) *habet jus summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate.*

(18) IRENÆUS Lib. III. Cap. 3. TETULL. in Libro de præscriptionibus adversus hæreticos Cap. XXXII. Auctor Carminum adversus MARCIONEM, quibus TERTULLIANI nomen præfigitur, sub finem tertii libri. EUSEBIUS passim per totam historiam &c.

(19) Epist. LXIX. Scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & siqui cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse.

(20) De Sacramento Ordinis C. 3.

loque pendent: quis nisi amens in multitudine eam porro quærat, hujusque propriam dixerit?

IV. Sed quid? inquiet aliquis. Si Communitati quidem concessas claves fuisse dixerimus, verum ea lege præceptoque hujusmodi injuncto, ut Episcopis in perpetuum demandentur? Nam ita Sacramenta etiam nonnulli instituta a Christo putant, quamvis non per se ea instituerit, sed Apostolis instituenda mandaverit.

Hoc qui objiciunt, ii primo velim apud se repetant, quod supra demonstratum fuit, non esse hanc opinionem venditatam a JUSTINO FEBRONIO, neque posse esse: sed habere hoc illum in animo, Claves, rerumque omnium agendarum summam etiamnum in Communitate residere, neque abdicatam ab illa unquam fuisse. Quemadmodum in Republica, ubi magistratus quidem creantur, nec propterea Jurisdictione populus cedit, aut majestate se abdicat.

Deinde quid exceptione, amabo, illa stolidius? Etenim si de profanis Communitatibus verum sit, quod a plerisque traditur, potestatem in multitudine hæsisse prius, sive *natura*, ut loquuntur, sive etiam tempore: ex eo id est, quoniam liberum populo erat, per sese ipsum administrare res suas; idque Comitiis fieri poterat, *curiatis*, *centuriatis*, *tributis*, ac siquis est alius in Suffragia eundi modus. At de Ecclesia non ita res habet se. Illa enim eodem, quo est formata tempore, per totum orbem diffundi cœpit, ut paribus cum mundo spatiis demum finiretur. Tantam vero multitudinem, totque intervallis disjunctam locorum quis in Comitia cogeret? Aut quis modus in regiminis vocandi eos Societatem, quorum ne nomina quidem constant, ac quorum neque numerus iniri, neque censitio fieri ulla potest? Atqui certe si in commune claves sint datæ, excludi etiam nemo debet. Quemadmodum nec Romæ proletarii & capite censi impediebantur, quominus centuriam quisque suam intraret, & sententiam diceret.

Adcedit hoc etiam, quod in Ecclesia non de pecuniis imperandis tractandum sit, nec de bello inferendo, nec de pace sancienda, nec de similibus, ad quæ plebeji aptiores nonnunquam sunt hominibus doctis, & in quibus si male consultum sit, reparari damnum vel tolerari potest. Sed est de divinis rebus istic tractatio, quæ obviæ non omnibus sunt, ac si omnibus committantur, & civitatem necesse est perdi & cives. Itaque

ut in physicis rebus facultas aut δυναμις nulla est, cujus πραξις aut functio esse non potest; quoniam foret ea & non foret facultas aut δυναμις: Sic quemadmodum fidelium commissa cœtui potestas clavium sit, nunquam ego intelligam.

Ac vel hoc ipsum, quod in exceptione sumitur, quam est ridiculum? Jurisdictionem multitudini fuisse datam, sed ea lege tamen, ut per Episcopos & summum Pontificem administraretur. Ecquid enim datur, si administrari a Communitate non potest? aut si potest; quorsum lex ea, & sacrosancta quidem illa atque perpetua?

Non sum nescius, quo res fuco liniri soleat. *Qui mysterium unitatis Christi* (sic scriptor Hexaplorum) *id est, Ecclesiæ totius, compositæ ex universis fidelibus unitis Capiti suo, quod est in cœlis, ejusdemque, quos ille reliquit post se in terris ad supplendam præsentiam suam aspectabilem, Vicariis non magnopere pervident, iis difficile intellectu est, quomodo heic nihil agatur, nisi de admirabili consensu, concentuque Capitum atque membrorum, Pastorum, qui fideles ducunt, & fidelium, qui iis subduntur: sic, ut quidquid geritur, ad omnes pertineat, pro captu videlicet uniuscujusque, ac modulo, quem* JESUS CHRISTUS *instituit atque disposuit,* SECUNDUM MENSURAM DONATIONIS CHRISTI. *Hærent id genus homines tantum in Ducibus fidelis populi. Quos quia solos vident defungi ministerio, fertque ratio istius & efficientia, ut in omnibus, quæ geruntur in Ecclesia, partes ac functionem suam hi obeant; heinc pro nihilo, quæ partes populi sint, ducunt: nec vero curant, quid ille præstet adhærendo, consentiendo, adprobando omnia, quæ fiunt, sive precationes concernant, laudemque Dei, & sacrificium adorandum, sive judiciariæ executionem potestatis, sive totum id denique, quod ad auctoritatem pertinet in Ecclesiæ gubernatione.* (21)

Video illecebram: inescari non possum. *Mysterium Unitatis*: sic est, quis neget? Verum in id quæstio recidit, an membra Capiti suo dum hærent, consentiuntque & adprobant, quæ a Pastoribus fiunt; hæreant ideo

(21) *Tom. VI. pag.* 670. Des hommes qui comprennent peu le mystere de l'Unité &c. (*Nam mihi compendii habenda ratio est*) Uniquement attentifs à la part qu'ont dans tout qui se fait dans l'Eglise les Chefs du peuple fidele par l'operation efficace du ministere sacré dont ils sont seuls revêtus, ils comptent pour rien celle qu'y a le peuple même par l'adherence, le consentement & l'approbation de tout ce qui s'y fait, soit dans la priere, la louange & le sacrifice adorable; soit dans l'exercice du pouvoir juridique & de tout ce qui dépend de l'autorité dans le gouvernement de l'Eglise.

ideo, consentiantque, & adprobent, quoniam in Pastoribus tota vis sedet, tota potestas ac Jurisdictio, obediendique duntaxat, & obsequendi relicta populo a Christo necessitas fuit? an vero quoniam potestas in populo est, ac magistratus tantum gestio, procuratioque, & administratio illius potestatis demandata Pastoribus? si primum; quod volui, sum consecutus. Erunt falsissima enim, quæ FEBRONIUS, QUESNELLUS, & vir iste *sextuplex* tanto cum strepitu, de Ecclesiæ collatis Clavibus disputarunt. Sin alterum, id vero est, quod ego non solum falsum esse dico, verum etiam impium. Quis enim credat, Christo servatori instituendæ Ecclesiæ eam formam probatam esse, qua nulla deterior est? Nam ita quidem sapientissimis fuisse visum accepimus, esse *Democratiam* NUNDINIS POPULARIBUS persimilem, in quibus levitate, clamore, turbis, furore plena sunt omnia. Cujus rei si exempla a nobis petantur; non est, cur aut vetera aut aliena proferantur potius, quam & nostra & recentia. Voco nostra, quæ Ecclesiam invaserunt. Quis autem ignorat, ab eadem, cujus spurcitiem heic impugnamus, secta quot tumultus concitati sint? quam omnia infima summis facta paria, turbata, mixta? Innuebam hæc jamjam, sed nescio quo modo, dolor justus me huc iterum abripit.

Intra biennii unius spatium prope quatuordecim centena librarum millia per summam fraudem corrasa vidimus, quibus rebellium contra Ecclesiam numerus augeretur, foveretur. (22) Vidimus contemptos Episcopos; despectos, irrisos, protritos Pontifices Maximos, *comparatos Baalam filio Beor auctori fornicationis Israel*, *Antiocho*, *Sathanæ*. (23) Vidimus (nam est æri incisa blasphemia) Spiritum sanctum sic quasi sede motum, & ad civiles translatum Curias: (24) Sartores, sutores, mulierculas, pueros invasisse magisterium: (25) & quid memorem cætera? Verbo: factum, quidquid sine ratione, ac sine ulla spe bona furor facere potuit.

Jam hujusmodi a Christo formam Ecclesiæ aptatam, quis sanæ mentis suspicabitur? Quodsi ne parva quidem Respublica stare diu potest, ubi

(22) *Vide* Histoire de la Constitut. *Unigenitus* par Messire PIERRE FRANÇOIS LAFITEAU Evêque de SISTERON Lib. IV. Tom. II. pag. 9.

(23) Trosieme lettre de M. l'Evêque de Soisons à M. l'Evêque de Boulogne pag. 77. Extat Operum part. 1.

(24) Exhibebat Icon congregatos senatores, & Spiritum S. singulorum capitibus linguarum ignearum forma incumbentem. Inscriptio erat; *Superbia Ecclesiastica in ruborem data* &c.

(25) Histoire de la Constit. *Unigenitus*. L. c. pag. 8.

Edicta Principum rota populari tornari debent; Ecclesiam, quam perpetuam esse oportet, quis, nisi improbus, longe aliter ab auctore, fundatoreque suo constitutam, informatamque esse, non arbitretur?

Sed hæc mittantur, si ita lubet. Tabulæ, instrumenta concessæ populo potestatis ubinam sunt? Hæc nos requirimus. Cum enim statim atque est orta Christiana Respublica, per se ipsum Rectores ei dederit Christus; sane si is disjungi *rectionem a potestate* voluit, argumentis probari hoc debet. Argumentis, inquam, quæ & multa sint & longe clarissima: nam alioquin vel adparatus ille solum, providentiaque & summa cautio, quam in constituendis, qui pro se regant, vicariis *Pastorum Princeps* adhibuit, Episcopalis Juris plena est & absoluta defensio: nec falsitatis heinc modo convincitur novæ sectæ opinio, sed impietatis, seditionis, rapinæ sacrilegæ.

VII. Atque est hoc sane illud, de quo Febronium mihi hoc loco (Jansenistæ enim scio, quid sentiant) respondere volo. Is si est initiatus nondum sectæ mysteriis (quod quidem non arbitror, se Catechumenon putare malo) fatebitur utique, inter Sacramenta connumerandum esse ritum illum, quem græci *χειροτονιαν*, nos latini *Ordinationem* vel *ordinem* vulgo dicimus. Id enim a Tridentino definitum omnino fuit, & ex Apostolo probatur, qui ad Timotheum secundo scribens, *admoneo*, inquit, *te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Ac quotquot modice subacti disciplinarum sunt isto genere, ii sciunt, sacerdotium nullo non tempore exteriori quodam ritu collatum esse: tum vero peculiarem isto ritu evocari gratiam censuisse Majores nostros: ut qui initiatus hoc modo esset, is tanquam regis sui circumferens signum, esset solus idoneus ad res Ecclesiæ administrandas.

Hæc etiam Sacramenti hujus est indoles, ut perpetuum ac stabile esse debeat, sicut & reliqua: unde abrogari ab Ecclesia nunquam potest. Quemadmodum in Mosaica vero lege, quæ typus adumbratioque Ecclesiasticæ reipublicæ ac potestatis fuit, nemo sumebat sibi honorem, neque semetipsum clarificabat, ut Pontifex fieret; sed ille solum, qui vocatus erat a Deo tanquam Aaron, hoc est qui legitimis natalibus ex Aarone procreatus erat: sic in Ecclesia non ab alio quam ab Episcopo consecrari Episcopi ac Sacerdotes possunt. Ut sit heic etiam divino jussu ac voluntate Sacerdotum ordinata successio: quam qui negligit, *per ostium non intrat, neque pastor, sed fur est & latro*, ut loquitur Tridentinum.

De

De his, inquam, ego FEBRONII ſententiam audire volo. Quæ ſi vera credit; debuerat quidvis venire potius ei in mentem, quam ut dubitaret, utrum ſolis Sacerdotibus, Epiſcopis ajo, proque modulo ſuo Presbyteris a Chriſto Claves ſint traditæ. Tam enim ſolers procuratio Servatoris, tantaque cautio quid ſuadet, quid clamat aliud? Cujus ſiquæ ſimilis ab rege quodam adhibita fuiſſet in provinciæ gubernatoribus deſignandis; puto, hominum futurum neminem omnino eſſe, quin iſtis ſolis *poteſtatem* quoque ab rege omnem eſſe creditam exiſtimaret. Idque & Lutheranos, Calvinianosque obſervaſſe vidimus. Nam ii, poſtquam in Collegium, aut *popularitatem*, ut ita loquar, Eccleſiaſticam poteſtatem contulerunt: ſimul & Ordinem e Sacramentorum numero ſuſtulerunt. Sed cum illis quidem nulla nobis in hoc opere contentio eſt. Contra eos agimus, qui ſub larva Catholici nominis Eccleſiam deſtruunt. Quod ſive prudentes, ſcientesque faciant, ſive ignari, præque mentis ſtupore quodam: faciunt quidem certe. Idque ex ſequentibus longe magis conſtabit, ubi, quam ex alienis ille & furto ſublatis rebus ſibi circumdedit, verborum pompam disjiciam. Patebit enim, in quam ſpurca infandaque dogmata Eccleſiam ex inſidiis quaſi impellat.

§. III.

Refutantur argumenta FEBRONII, petita I. Ex TRIDENTINO. II. Ex TERTULLIANO. III. Ex CYRILLO. IV. Ex AUGUSTINO, FULGENTIO, BEDA. Conſecutionum, quæ inde fiunt, abſurditas ob oculos ponitur. Tum contradictiones, mendacia reteguntur, & calumnia ingens regno Galliæ aſperſa depellitur.
De miſſione LXX. Diſcipulorum pauca.

Ut a TRIDENTINO, in quo proxime deſii, rurſum ordiar, tam eſt diſſentanea imprimis menti Patrum iſtorum FEBRONIANA ſubtilitas, tam affectata & quæſita ridicule: ut miraturus ſim, ſi cui mortalium, qui quidem ſapiat humano more, probatam eam eſſe intelligam.

Reducuntur huc omnia. Dicere Synodum, *Claves Eccleſiæ datas eſſe non ad ſolvendum tantummodo, ſed etiam ad ligandum: Eccleſiæ conferendi indul-*

indulgentias potestatem a Christo concessam esse. Ecclesiam per Concilium & in Concilio statuere, ac docere. Tum quod a Pio IV. in professione fidei positum est, *sanctam matrem Ecclesiam judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum literarum.* Quæ quidem, inquit, *omnes locutiones in Bellarmini ejusdemque discipulorum opinione non intelliguntur.*

Prorsus sic est: non intelliguntur ab iis, qui in reprobum sensum traditi sunt, ut PAULUS ait; vel qui anathemate ejusdem synodi tanquam fulmine jovis percussi, præ ἐμβροντησίᾳ horroreque mentis intelligere verum non possunt. (26) Quo in numero FEBRONIUM esse ostendi. Alioquin enim naturalis & obvius verborum Concilii intellectus is est, ut Ecclesiam *docentem* ac *regentem* accipiamus. Nam hanc per se ipsum designavit, instituitque Christus, & potestatem, quam a Patre acceperat, ei tradidit. Quæ quidem ipsa potestas, quoniam ad communem fructum in Ecclesia extat, & salutem omnium spectat reipublicæ Christianæ civium: merito toti Ecclesiæ donata dicitur. Id enim Corpori expensum fertur, quod bono corporis datum est.

Et quid? siquis ita diceret: Ecclesiæ facultatem esse concessam remittendi peccata pro tribunali pœnitentiæ, facultatem consecrandi dominici corporis: nunquid vere & ex usu diceret? Quid porro? auderetne FEBRONIUS, si catholicus est, de Communitate utrumque interpretari? Atqui scelerosum hoc, impium, infandum; ut non dicam, mente atque oculis esse captum, qui ista sentiat, oportere:

Quanquam est revera hic fructus novitatis: ac, velit nolit, deglutiendus homini. Cum enim auctoritas ligandi ac solvendi pro pœnitentiæ tribunali, sicut & indulgentiarum conferendarum potestas ad *Claves* pertineat: hæ si *toti Corpori* commissæ sunt; poterit absolvi nemo, nisi de voluntate, consensuque Corporis: quemadmodum neque excommunicari potest aliquis, nisi de ejusdem voluntate Corporis & consensu præsumpto, ut QUESNELLUS & QUESNELLIANI docent. O itaque miseros summos Pontifices! miseros Præsules! miseros, quotquot mali esse noluerint! Nunquam enim absolvi poterunt; quoniam nec isti potestate sua se abdicare, nec hi novaturire volent, Ecclesiamque perdere.

II.

(26) Vid. art. III. §. II. N. N. IV. V. VI.

II. Post *Tridentinum* TERTULLIANUS est, qui vel inscitiam, vel malevolentiam experiri debuit. Scribit ille in Scorpiaco: *Memento Claves hic Dominum Petro, & per eum* ECCLESIÆ *reliquisse.* Quæ siquis in TERTULLIANO quærat; videbit facere tantundem ad FEBRONII scopum, quantum si in natura rerum TERTULLIANUS nunquam aliquis extitisset. Atque ipse certe, ut quod sentio loquar, vehementer apud me dubito, responsurusne mihi sit, si, quis ille fuerit scorpio, a quo nomen suo opusculo TERTULLIANUS fecit, interrogare voluero.

Est igitur contra GNOSTICOS scriptus hic liber, & in eo versatur, ut martyrium rem esse sanctam & a Deo præceptam demonstretur: contra atque isti hæretici cum Valentinianis sentiebant. Id ut probet TERTULLIANUS, urget Evangelii præcipue illum locum, ubi dicitur: *Qui me confessus fuerit, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Quem contra cum Adversarii excepissent, esse intelligendum eum de confessione in altera vita: ridet lepidam exceptionem TERTULLIANUS, ostenditque, in altera vita quæstionem non esse, nec probari tum primum aut interrogari Christianos, sed adsumi probatos. Neque vero Christianorum eandem esse conditionem, quam gentiles commenti sint: ut sit JANUS quidam aut FORCULUS, aut LEMENTINUS in cœli Januis, qui quæstionem ibidem instituant. Sed fuisse recta illis in cœlum apertam viam, postquam Christus eo ascendit: & eorum quemlibet in PETRO accepisse Claves, quas secum ferat, siquidem probatus, confessusque heic Christum, ut oportet, ex hac vita migraverit.

Verba TERTULLIANI: *Qui vero non hic, id est, non intra hunc ambitum terræ, nec per hunc commeatum vitæ, nec apud homines hujus naturæ communis confessionem putant constitutam; quanta præsumptio est adversus omnem ordinem rerum in terris istis, & in vita ista, & sub humanis potestatibus experiundarum? Nimirum quum animæ de Corporibus excesserint, & per singula tabulata cœlorum de recepto despici cœperint, & interrogari arcana illa hæreticorum Sacramenta; tunc confitendum apud veras potestates, & veros homines,* THELETOS *scilicet, &* ABASCANTOS, *&* ACINETOS VALENTINI? *Quæ porro fides rerum, ut post excessum ad superna sublevatus, illic probarer, quo non nisi jam probatus imponerer? illic de receptis examinarer, quo nisi admittendus pervenire non possem? Christiano cœlum ante patet, quam via, quia nulli via in cœlum, nisi cui patet cœlum, quod qui attigerit, intrabit. Quas mihi potestates Janitores adfirmas juxta Romanam superstitionem,* JANUM *quendam, &* FORCULUM, *&* LEMENTINUM? *quas à*

cancellis ordinas potestates? si unquam legisti apud DAVID: Auferte portas Principes vestras, & subleventur portæ æternæ, & intrabit Rex Gloriæ? *Scito & ascensum illum exinde complanatum vestigiis Domini, & introitum reseratum viribus Christi: nec ullam moram aut quæstionem in limine Christianis occursuram. Qui non dignosci habeant illic, sed agnosci, nec interrogari, sed admitti. Nam si adhuc clausum putas cælum;* MEMENTO CLAVES HIC DOMINUM PETRO ET PER EUM ECCLESIÆ RELIQUISSE. *quas hic* UNUSQUISQUE *interrogatus atque confessus feret secum. Sed adseverat Diabolus illic confitendum, ut suadeat hic negandum. Pulchra videlicet documenta præmittam? bonas mecum claves feram, timorem eorum, qui solum corpus occidunt, animæ autem nihil faciunt?*

Totum hunc TERTULLIANI locum: quantumvis prolixum adscribere placuit: ut vel heinc statim omnes intelligant, quocum negotium mihi sit homine, quam ignaro, quam incurioso, quam in corradendo ac deprædando præcipiti. Fit enim manifestissimum ex istis omnibus, clavium nomen non eo acceptum sensu a TERTULLIANO, quo *Jurisdictionem* significat, regendique & administrandi res Ecclesiæ publicam potestatem: sed cum depressa magis metaphora, & ad vulgarem accommodata usum, quo clavibus ad aperiendam Januam utimur. Heinc neque *Universitati* aut *Corpori* relictas claves cum FEBRONIO adserit; verum *singulis*: *quas hic,* inquit, *unusquisque interrogatus atque confessus feret secum.* Itaque clavium nomine promissionem intellexit, estque sensus hujusmodi, ac talis veluti ratio & argumentandi forma: " Christus quando Ecclesiæ suæ administra-
" tionem demandavit PETRO & pastionem ovium suarum; dare se claves
" ei dixit Regni Cœlorum. Itaque quicunque ad oves illas & Ecclesiam
" pertinent, hoc est, qui pascuntur ac reguntur a PETRO, ii si Christum
" confessi, ut oportet, fuerint; si ex præscripto legis Christianæ vixe-
" rint; si, quod utique non excludit TERTULLIANUS, dicto audientes &
" morigeri suis Episcopis ac PETRI successoribus fuerint: repræsentatum si-
" bi singuli cœlum habent, & veluti claves suas secum asportant, quibus
" aperire possint. " Unde in oppositum hoc modo subjicit: *Sed adseverat Diabolus, illic confitendum, ut suadeat hic negandum. Pulchra videlicet documenta præmittam? bonas mecum claves feram, timorem eorum, qui solum Corpus possunt occidere, animæ autem nihil faciunt?* Sic igitur vides τυφλε, quorsum clavium a TERTULLIANO adhibita vox sit? Documenta scilicet intelligit virtutum, fidei, confessionis, non jurisdicundi potestatem.

III.

III. Quærit Cyrillus Alexandrinus, an quandoquidem abfuerit Thomas, cum discipulis Salvator adparuit, & insufflavit dicens, *Accipite Spiritum sanctum*; nihilominus divini Spiritus sit ille cum reliquis vere particeps factus? Ac, *respondemus*, inquit, *virtutem in omnes permanasse, & scopum largientis implesse. Dedit autem Christus non aliquibus seorsum, sed universis discipulis. Quapropter eam accipiunt, tametsi quidam non aderant dantis liberalitate non ad præsentes solum contracta, sed in omnem Apostolorum chorum permeante.*

Fateor, difficile est tenere stomachum ac non irasci, quando cum homine decertandum est, qui nisi omnes præter se stolidos crederet, non potuisset ludum orbem terrarum, atque jocum omnes homines tam proterve facere. Quæso enim, quid illud erat, quod probari debuerat? quid agebat, quid pugnabat? nonne istud, Clavium Jus, hoc est *principatum* atque *imperium* non Episcopis, sed Universitati, sed Corpori, sed fidelium universo cœtui *immediate* atque ea ratione transscriptum esse a Christo, ut & Apostoli ipsi cum Paulo, & Episcopi omnes cum summo Antistite, ministri tantum, & quasi apparitores hujus censendi sint Universitatis? Nonne hoc erat? Atqui Cyrillus in eo loco de solis Apostolis sermonem habet: *In omnem*, inquit, *Apostolorum chorum permeante liberalitate:* de multitudine nullum verbum. Deinde quid ἀμεσωτερον seu *immediatius*, quam cum *insufflando* potestatem eam contulit Christus Apostolis?

Sed homo lepidus pro more suo uncialibus literis excudendum curavit Cyrilli dictum hoc: *non aliquibus seorsum, sed universis.* Quod eo spectat, ut *neque paucis, neque multis*, sed *toti Corpori*, quemadmodum loquitur, proque indivisa virtutem eam putemus concessam. In quo quidem error est omnino duplex, & is uterque ad summam inscitiam, & alteruter ad ζυμην hæreticam implicatus. Inprimis enim quid est Spiritum sanctum dare & accipere? quæ illa virtus, quam in omnes permeasse Cyrillus scribit? Nisi ipsam personam velimus dicere Spiritus sancti, quæ est propria Cyrilli & vera opinio; (27) saltem χαρισμα aut donum aliquod intelligamus necesse est; nec illud extrinsecus præparatum tantummodo, sed internum animosque ipsos pervadens, & iis inhærens, quemadmodum de gratia, qua sancti & justi reddimur, ex præscripto Eccle-

 siæ

(27) Vid. Petavium Theologicorum Dogmatum de Trinitate Lib. VIII. Cap. IV.

fiæ tenemur loqui. (28) Jam hujusmodi vero χαρισμα & donum, quod est simplex natura sua, neque in partes potest distendi, fierine potuit, ut collectioni ac multitudini inderetur, neque singulis tamen inesset, nec singulorum Apostolorum animos adficeret?

Sed & *potestatem* quod attinet, quæ JOANNIS illo in Capite confertur, remittendi scilicet ac retinendi peccata (quamvis CYRILLO de ea sermo non sit) constat a Jurisdictione disjungi eam & tanquam priorem debere cogitari. Est enim aliud profecto ἡ δυναμις, vis, efficientia, potestas; aliud quo applicari illam & admoveri legitime necesse est. Diaconum ecce ad expiandos pro tribunali pœnitentes ableget Episcopus; præstare hoc ille non poterit, quoniam virtute ac facultate destituitur; quæ cum ab ipsomet Deo per consecrationem infundi debeat, non est in hominis alicujus arbitrio posita. Atqui hanc ipsam virtutem, facultatem, efficientiam spectavit tum Christus, quando Spiritum sanctum Apostolis dedit. Hanc tum primum iis infudit. Quare si non ad singulos, sed ad universos ea tantum pertineat; consectaneum omnino erit, neque JOANNEM neque JACOBUM, neque alium quempiam Apostolorum, quoad soli essent, potuisse peccata remittere. Itaque in Senatum erant producendi pœnitentes, ibique causa eorum instruenda; tum communi judicio consueta Romanis litera absolvendi: quo quid insanius, alienumque magis ab Ecclesiæ communi usu ac sensu cogitari possit, plane non video. Neque in alterius vero mentem atque sententiam venire poterit, quam qui fidem cum ratione amiserit: tantum abest, ut CYRILLO adfingendum putemus.

Hujus enim minime implicata locutio est, sed ex vulgari & quotidiano sumpta usu genereque sermonis: siquidem consuevimus ita dicere, *universis*, id est, omnibus ac *singulis*. Atque sic recte CYRILLUS: Christum non in JOANNEM singillatim, tum in JACOBUM, atque inde in alios quosdam seorsim insufflasse: quod si fecisset; potuisset exclusus, qui aberat, THOMAS videri. Sed in *universos*, & quasi una insufflatione, ut sic omnes Apostolos, quatenus Apostoli erant, participes Spiritus sancti se facere ostenderet: eos nimirum omnes ac singulos, quos ex multis elegerat *duodecim*, ut ait LUCAS, & Apostolos nominaverat. En quo recidant fercula FEBRONIANÆ pompæ!

IV.

(28) TRIDENTINUM *Sess. VI. Can. XI.* Siquis dixerit, homines justificari vel sola imputatione Justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.

IV. De iis, qui S. AUGUSTINUM turbare ac vexare non desinunt, adpositum illud est CLAUDII SANTESII *Ebroicensis* Episcopi: *observare licet, Adversarios sive nostra destruendo, sive sua asserendo, solidis & certis scripturis carere, atque in omni controversia ad unum* AUGUSTINUM *tanquam ad sacram anchoram confugere. Non quod ab eorum partibus stet, sed quoniam tam multa & tam varia scripsit pro re nata, ut facile fuerit omnibus post ipsum hæreticis aliquid de illo contorquere, atque aliorsum, quam ipse dixerit, vertere.* Et sunt enim vero omnia, quæ e viro illo sanctissimo FEBRONIUS posuit, non solum a JANSENISTIS, quod supra jam docui, sed a LUTHERO etiam in libro de potestate Papæ, & a CALVINO in libro IV. Institutionum, a MAGDEBURGICIS in prima Centuria primi libri, & in libro *Smalcaldico* de Primatu Papæ, atque a SPALATENSI & aliis objecta sæpius. Confutata vero repressaque sunt toties, ut pudere jam prope Theologum debeat, porro operam enucleandæ rei impendere, quam illustriorem sua facere industria non possit.

Cæterum ut in eo hæream, quod est solum hoc in capite mihi propositum (nondum enim de Primatu volo disserere divi PETRI, quod faciam postea) sciendum est, duplex fuisse dogma DONATISTARUM, cum quo congrediendum sancto AUGUSTINO fuerit. Primo enim Catholicam ii Ecclesiam, id est, eam, quæ Romanæ hærebat cathedræ, *Synagogam Sathanæ* & *pestilentiæ* esse *cathedram* criminabantur. Itaque Jure secessionem se ab illa facere concludebant: & ut error errori nectitur, negabant peccatorum remissionem, aut cujuscunque effectum Sacramenti apud alios, quam apud DONATISTAS adquiri posse. In hoc quippe sancti CYPRIANI se exemplo tuebantur, qui Sacramenta ministrorum fide ac moribus inquinari aliquando crediderat.

In hanc controversiam postquam circa annum quadringentesimum ingressus S. AUGUSTINUS fuit, occasionem exinde nullam neglexit, qua *Hipponensem* populum a vicinæ contactu hæresis servaret. Atque duo e diametro, quod ajunt, opposita DONATISTIS objecit: alterum faciendi schismatis nullam esse causam: nam & malos in Ecclesia esse debere: de cætero quidquid Ecclesiæ sit datum, id *Unitati* esse a Christo datum: quam qui violent, salutem non posse eos, nec peccatorum remissionem consequi. Dein hoc alterum: Sacramentorum vim & efficaciam administrantium fide & moribus non contaminari. Quod posterius tametsi ex eo etiam satis demonstret, quoniam neque PAULUS, neque APOLLO, neque CEPHAS, sed Christus est, qui baptizat: voluit alteram tamen & popularem

magis rationem adjungere, non illam re quidem diverſam a communi ac certa ſanctorum Patrum ſententia, ſed verbis tamen & loquendi inuſitato novoque genere diſcrepantem.

Duo quippe ad peccatorum remiſſionem ex diverſis veluti partibus confluunt. Primum, idque præcipuum Sacramenti eſt ipſius adminiſtratio: atque hanc ſolis paſtoribus in PETRO, & cum PETRO fuiſſe impoſitam a Chriſto, identidem docet AUGUSTINUS. Alterum *Eccleſiæ*, ſeu fidelium in ea bonorum & ſanctorum hominum precatio: & hanc *charitatem* ac *columbæ gemitum* paſſim adpellat. Qua non illud utique fit, ut poteſtas ipſa atque auctoritas ligandi atque ſolvendi, & aperiendi cœlum penes fideles reſideat. Sed quod ii precibus ſuis requiſitam & neceſſariam ad effectum Sacramenti diſpoſitionem a Deo impetrent, ideo Claves habere dicuntur: qui ſcripturæ accommodatitius eſt ſenſus, & familiaris nulli magis quam AUGUSTINO.

Et vero ex populari quotidianoque deſumptus uſu eſt iſte ſermo. Cum enim plures cauſæ ad eundem effectum confluunt; tametſi principalior ſit una, & altera huic ſubjecta: id quod efficitur, modo uni, modo alteri ſolemus adſcribere. Quemadmodum *Judæos* ab ESTHERE liberatos dicimus, quoniam precibus ſunt illius liberati: tametſi authoritas ei nulla competebat. Quo utroque ſic poſito, videamus quid præſidii in AUGUSTINI corraſis ſententiis Adverſarius habeat.

Adſignantur Tractatus ejus ſuper JOANNEM ad annum CCCCXVI. Quorum in quinquageſimo verba Chriſti illa exponens: *Pauperes ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis*, hoc ad JUDAM ait pertinere, non ad electos & juſtos. Tum quæſtionem ſibimet obmovet: ecquid ergo non ſingulari numero ſit uſus Chriſtus? ac reſpondet, factum ideo, quod Judas caput eſſet impiorum: quemadmodum PETRUS ex adverſo bonorum extiterit caput: cum ex utriſque Eccleſia Chriſtiana conſtet, *Quare ergo*, inquit, *non dixit*, HABEBIS, *ſed* HABEBITIS? *Quia non unus eſt* JUDAS. *Unus malus Corpus malorum ſignificat, quomodo* PETRUS *Corpus bonorum: Corpus Eccleſiæ, ſed in bonis.* Probat hoc: *Nam ſi in* PETRO *non eſſet Eccleſiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus: Tibi dabo Claves Regni Cœlorum: quæcunque ſolveris in terra, ſoluta erunt & in cœlo; & quæ ligaveris in terra, ligata erunt & in cœlo. Si hoc* PETRO *tantum dictum eſt; non facit hoc Eccleſia. Si autem & in Eccleſia fit, ut quæ in terra ligantur, in cœlo ligentur, & quæ ſol-*

vun-

vuntur in terra, ſolvantur in cœlo: quia cum excommunicat Eccleſia; in cœlo ligatur excommunicatus; cum reconciliatur ab Eccleſia, in cœlo ſolvitur reconciliatus: Si hoc ergo in Eccleſia fit; Petrus quando Claves accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificavit. Si in Petri perſona ſignificati ſunt in Eccleſia boni; in Judæ perſona ſignificati ſunt in Eccleſia mali: ipſis dictum eſt, Me autem non semper habebitis.

Ex his Augustini verbis luculenter imprimis id patet, quod modo ajebam, nihil frequentius eſſe Augustino, quam allegoricos Scripturæ ſenſus captare. Deinde quod Petrum ait Corpus Eccleſiæ repræſentaſſe, hoc de *bonis* tantum & *Juſtis* eum intelligere. Itaque pariter cum Eccleſiam in Petro Claves accepiſſe adſerit; de juſtorum hoc adfirmat Eccleſia. Nam de ea adfirmat, quæ repræſentata in Petro fuit. Sume nunc tu iſta temere, ſiquidem vis, & de auctoritate interpretare, ſeu de eo, quod eſt αὐθεντεῖν, & imperium ac ſummam poteſtatis obtinere: quid fiet? Erunt Claves, excommunicandique aut jubendi auctoritas penes juſtos tantum ac bonos. Erunt penes eam igitur partem Eccleſiæ, quæ videri ac diſcerni non poteſt. Penes eam igitur, quæ utrum probet, utrum conſentiat iis, quæ Epiſcopi faciunt, perinde ſciri non poteſt. At certe penes quamcunque ſunt, ſiquidem miniſtri ſint ſolummodo Epiſcopi, conſenſione opus habent dominatricis regentiſque partis. Itaque nihil unquam Antiſtites in Eccleſia poterunt: nihil prorſus, niſi tum forte, cum mortalium ſe nemo movet, nemo reclamat, nemo intercedit, ſed omnes tacent, adquieſcuntque ſententiæ, Vah! Eone tandem, & ad umbras Epiſcopatum, ſanctiſſimumque & diviniſſimum ordinem illum abigemus? (29)

Quinimo ſi bonorum eſt tantum Corpus, quod auctoritatem obtineat; nec *miniſterium* hujus auctoritatis, niſi apud bonos erit. Deſinam igitur bonus eſſe: miniſter eſſe non potero: quod eſt, quemadmodum princeps

qui-

(29) Non iſta temere me hariolari, verum uſu, experientiaque jam eſſe comperta, ſciunt, qui Iprensium libros evolverunt. Videatur interim quem ſæpe citavi, *Em. Card.* de Bissi *Traité Theologique ſur les cent-une propoſitions* pag. CXX. - Item documentum Paſtorale contra Paschasium Quesnellum editum a 40. Galliæ Epiſcopis, & ab 60 aliis adoptatum.

quidam dicebat *Burgofontanæ* ſectæ, ſi caſtitatem Epiſcopus violaverit; Epiſcopus, Sacerdoſque eſſe jam deſiit. (30) Atque hujuſmodi nos portenta AUGUSTINO nata patre putabimus? Abſit: ſed ille ut vir optimus ſanctuſque erat, non ſe aliis, quam poſteris bonis putavit ſcribere.

Itaque tria in Commentario ejus conſideranda ſunt. Alterum, quemadmodum JUDAM adloquens Chriſtus, omnes malos adlocutus eſt ex AUGUSTINI ſenſu: ita dum Claves PETRO dedit, non unius PETRI ſpectaſſe decora ornamentaque perſonæ; ſed ut perpetua ea eſſet in Eccleſia poteſtas, voluiſſe: quod verum eſt, neque inficiari quisquam volet. Alterum, quemadmodum homini quidem datum eſt, ut videat, audiat, olfaciat, verum ita, ut unicuique ſenſioni ſuum ſit organum (neque enim *omnia membra*, ut ait Apoſtolus, *eundem actum habent*) ita Eccleſiam quoque inſtar *ſuppoſiti* cujusdam unius habere Claves, ligareque ac ſolvere. Quid ita? quoniam perpetuos illa habet adminiſtratores poteſtatis iſtius; non ſuo, non populi, non Corporis conſtitutos arbitrio, ſed ab eodem, qui eſt Dominus gregis, *Paſtorumque princeps*, præpoſitos. Neque hoc tamen eſt unum, quod AUGUSTINUS voluit. Habet & *columba*, habent & *boni omnes* ſuas quaſdam in ligando partes, ſed accommodatas ſtatui. Nam Epiſcopi cum auctoritate atque imperio ligant coercentque: quorum juſſis dum obtemperant qui ſunt in Eccleſia boni, ſegregantque ab iis ſe, quos Epi-

(30) ABBAS SANCYRANUS ſub larva PETRI AURELII in vindiciis Cenſuræ Sorbonicæ adverſus ſpongiam LOEMELII pag. 296. *ineptum & inſcitum eſt quærere, an Epiſcopatus propria media habeat ex ſtatu ſuo, quibus a peccato ad gratiam revertatur. Clariſſimum enim eſt, Epiſcopum peccatorem reſurgere non poſſe per media ſtatui ſuo propria, cum hoc ipſo, quod peccator eſt, ſtatum ſuum amittat ex primævo jure, nec amplius in eo ſit.* Et pag. 319. *Immo tanto facilius extinguitur ſacerdotalis dignitas, quam regularis ſtatus, ſimul atque caſtitas deficit: ut non ſolum deletio vinculi caſtitatis, ſed* QUÆLIBET EJUS INFRACTIO *perimat ſacerdotium, & illud homini ex antiquo Eccleſiaſticæ diſciplinæ jure auferat.* Citat ad marginem Con. Ancyrani Can. 10. Concil. Neocæſ. Can. 1. Eliberit. Can. 33. Mendaciſſime & impudenter: nec enim agitur iſtheic niſi de iis, qui matrimonium cum ſacerdotio copulant, deque fornicariis & adulteris Clericis: neque peremptum ipſo crimine ſacerdotium, ſed dejiciendi, qui illud admiſerint, dicuntur: tum ſcilicet, poſtquam deprehenſi & convicti fuerint. Quæ quidem fraus hominis poteſt ſola argumento eſſe, non niſi ad fucum pertinere, quod addit pag. 296. in hæc verba: *Quod autem nunc peccans Epiſcopus non excidat gradu, neceſſaria Eccleſiæ indulgentia fit.* Quaſi vero poſſit ſaltem Eccleſia efficere, atque adeo fecerit olim reipſa, ut quælibet caſtitatis infractio, aut quodlibet peccatum grave ſacerdotium, Epiſcopalemque ſtatum perimeret? Probrum! Eſt tantundem hoc, atque ſi dicerem in Eccleſiæ poteſtate eſſe, INVISIBILEM reddere *Hierarchiam*, atque tollere ex ſe illam & extirpare funditus?

Epiſcopi ſegregarunt, *ſuffragiorum* hoc ipſo, ut dicimus, precumque eos privant conſortio: quod eſt communione ſanctorum hominem mulctare, & ſathanæ tradere.

Eadem illius eſt loci explicatio, qui ex Tractatu CXXIV. ſumptus eſt: (31) Sicut & omnium cæterorum, & iſtius præſertim: *Claves non homo unus, ſed Unitas accepit.* (32) Certe enim non *homo unus* accepit: alioquin eo ſublato, periiſſet illa funditus in Eccleſia poteſtas. Sed *Unitas* accepit, quoniam permanſura eſt, ſicut Eccleſia ipſa, cujus bono ac commodo tradita eſt PETRO. Tum vero maxime ſi homo unus, non Unitas accepiſſet; poſſet impediri fortaſſis efficientia ac fructus illius, perſonæ vitio: poſſet pro libitu etiam in quoſcunque, & Unitatis ratione non habita, vis ejus extendi. Sed neutrum eſt. Nam utut malus ſit adminiſter; Deus non perſonam hujus, ſed *Columbæ, Sponſæ*que gemitus intuetur. Hinc in tertio libro de Baptiſmo: *Quod in typo Unitatis*, inquit AUGUSTINUS, *Dominus* PETRO *dedit poteſtatem, ut id ſolveretur in cœlis, quod in terris ille ſolviſſet; manifeſtum eſt, quod illa* UNITAS *etiam* UNA COLUMBA *perfecta ſit dicta.* Poſt pauca: *Per orationes Sanctorum, qui ſunt in Eccleſia, tanquam per Columbæ creberrimum gemitum, magnum geritur Sacramentum, & occulta diſpenſatio miſericordiæ Dei, ut eorum etiam peccata ſolvantur, qui non per Columbam, ſed per accipitrem baptizantur, ſi ad illud Sacramentum cum pace catholicæ unitatis accedant.*

Ex quo ipſo infert AUGUSTINUS, penes hæreticos, & in ſchiſmaticorum quibusvis cœtibus non dari peccatorum remiſſionem, nec cœli claves extare, quoniam a Columbæ gemitu, & precibus Sponſæ excluſi ſunt. *Remiſſam peccatorum* (verba ſunt in eodem libro AUGUSTINI) *non dabant, quæ per orationes Sanctorum, id eſt, per Columbæ gemitus datur, quicun-*

 que

(31) Cujus Eccleſiæ PETRUS propter Apoſtolatus ſui Primatum gerebat figurata generalitate perſonam... Eccleſia ergo, quæ fundatur in Chriſto, Claves ab eo regni accepit in PETRO, id eſt, poteſtatem ligandi, ſolvendique peccata.

(32) Pene ubique ſolus PETRUS totius Eccleſiæ meruit geſtare perſonam: Propter ipſam perſonam, quam totius Eccleſiæ ſolus geſtabat, audire meruit: *Tibi dabo Claves regni cœlorum.* Has enim Claves NON HOMO UNUS, ſed UNITAS accepit ECCLESIÆ. . . . Nam ut noveritis, Eccleſiam accepiſſe Claves regni cœlorum; audite in alio loco, quid Dominus dicat Apoſtolis ſuis: *Accipite Spiritum ſanctum* : & continuo: ſi *dimiſeritis peccata, dimittuntur eis: ſi cujus tenueritis, tenebuntur.* Hoc ad Claves pertinet. Citatur uterque locus a FEBRON. C. 1. §. 6.

que baptizet, ſi ad ejus pacem illi pertinent, quibus datur. Non enim raptoribus & fœneratoribus diceret Dominus: ſi cui dimiſeritis peccata, dimittuntur ei: ſi cui tenueritis, tenebuntur. Foris quidem nec ligari aliquid poteſt, nec ſolvi, ubi non ſit, qui ligare poſſit, aut ſolvere. ſed ſolvitur; qui cum Columba fecerit pacem; ligatur, qui cum Columba non habet pacem.

V. Idemque S. FULGENTIUS, qui exſcribere AUGUSTINUM ſolet, his verbis expreſſit, recitatis, objectisque perperam ab Adverſario: *In ſola ergo Eccleſia catholica datur & accipitur remiſſio peccatorum: quam ipſe ſponſus unam dicit eſſe Columbam ſuam, unam Electam ſuam, quam ſupra petram fundavit, cui claves regni cœlorum dedit, cui etiam poteſtatem ligandi, ſolvendique conceſſit, ſicut* B. PETRO *veritas ipſa repromittit. Ab hac Eccleſia, quæ Claves regni cœlorum accepit, quiſquis foris eſt, non viam cœli graditur.*

Jam quis eſt BEDÆ uſpiam locus, quem ex AUGUSTINO non ſumpſerit? Is quidem ipſe, in quo *omni Electorum Eccleſiæ juxta modum culparum & pœnitentiæ ligandi, atque ſolvendi datam auctoritatem* ſcribit, ex AUGUSTINI tranſcriptus eſt *quinquageſimo ſuper* JOANNEM *Tractatu*. Quamobrem non alia, quam quæ data modo eſt, explicatio erit illi adhibenda. Et ut univerſe nunc dicam: habet utique *Eccleſia* Claves ex mente Patrum iſtorum, verum ea ratione, qua *ſacrificium* & *ſacerdotium* habet: quæ quidem ambo ab uno, ſoloque Chriſto inſtituta ſunt, neque a Multitudinis auctoritate pendent. Habet etiam *Unitas* Claves, tum quod remiſſio peccatorum extra Eccleſiæ Unitatem eſſe nulla poſſit; tum quod Sanctorum in Eccleſia precibus ea comparetur.

VI. At enim *quamplurima alia*, inquit FEBRONIUS, *Sanctorum Patrum & Doctorum loca, quaſi continuata ſerie uſque ad tempora Concilii Tridentini referuntur ab* JOANNE LAUNOIO? Scio: ſed quorſum hoc objicit? Expectatne a nobis, ut, quæ quindecim magnis foliis iſte aſperſit, refuremus nos omnia, & vel typographum, vel emptorem ſuo peculio ſpoliemus? Cadat hoc in FEBRONIOS facinus: in virum bonum non cadat.

Ecce hominem vero ſui profecto haud compotem. Poſtquam AUGUSTINI, CYRILLI, FULGENTII, GREGORII, (33) & BEDÆ, ereptas jam ei a nobis

(33) GREGORII occupata a nobis ſunt verba & explicata art. II. §. I. N. II, pag. 17.

a nobis sententias ex DUPINIO, LAUNOIOque scripsit: subjungit: *Non ignoro effugia, quibus ad declinandum genuinum, ac integrum hac in parte Ecclesiasticæ traditionis sensum utuntur Romanæ Curiæ fautores. Inter hos alii Claves in persona* PETRI NON TAM IPSI ECCLESIÆ, *quam* IN COMMODUM *totius Ecclesiæ datas esse asserunt. Alii, quod JESUS Christus, loquens* PETRO, *non intenderit ei dare personale privilegium*, PETRI *morte finiturum, sed ejus Primatui perpetuo adhæsurum, hocque sensu Ecclesiam accepisse Claves in ejus sinu usque ad consummationem sæculi substituras.* Verum, excipit, *hæ interpretationes, utut de se bonæ ac veræ, non exhauriunt totam vim traditionis, a Patribus ad nos transcriptæ.* (33)

Quis crediderit, in paucis lineis contradictiones tam manifestas habere locum potuisse? si enim *Interpretationes* illæ & veræ, & *bonæ* sint; mentem certe eorum, a quibus prolatæ sunt hujusmodi de Clavibus Ecclesiæ datis sententiæ, exhauriunt. alioquin enim bonæ interpretationes non forent. Nam non is bene interpretatur, qui verum aliquid dicit, sed, qui id dicit, quod fuerat ei, cujus interpretatur verba, significare propositum. Deinde si *veræ* interpretationes illæ sunt; utique quæ ex duabus prima est, similiter vera est. Verum igitur, Claves *non tam ipsi Ecclesiæ* (memineris pepon!) non tam ipsi Ecclesiæ, quam in commodum totius Ecclesiæ datas esse. Id autem si verum est; certissime falsum est, quidquid toto garristi paragrapho, nec modo effugia non ii quærunt, qui ita Patres interpretantur; sed & calumniam a te passi sunt, cum *fautores*, id est, emptitia & consueta tibi verborum elegantia adulatores Romanæ Curiæ eos adpellasti.

VII. Sed age! quid est igitur, cur exhausta traditionis series non esse tibi videatur? Ponderentur, inquis, verba S. AUGUSTINI: *Nunquid istas Claves* PETRUS *accepit*, PAULUS *non accepit?* PETRUS *universam significavit Ecclesiam. Ergo si Apostoli personam gerebant Ecclesiæ, sic eis hoc dictum est, tanquam ipsi diceretur Ecclesiæ. si sic eis hoc dictum est; pax Ecclesiæ dimittit peccata; & ab Ecclesiæ pace abalienatio retinet peccata.*

Post tam horribiles minas ac tantam jactantiam, nunc id demum fateris, aliorum dicta Patrum explicatum habere facilem, ac traditionis seriem in AUGUSTINUM prorsus unum incumbere? Et fateris hoc tu, cui nulla

(34) FEBRON. Tom. I. Cap. I. §. 6. N. 4. pag. 38. Edit. 2.

alioquin traditionis habenda ratio videtur, nisi ſemper, & ubique, & ab omnibus ita traditum fuerit? Ubi mens? Sed nec de AUGUSTINO, opinor, porro ſolicitus eris, qui quid ſenſerit, quid docuerit, manifeſte, niſi me penitus fallo, expoſui. Ut id modo condonem tibi, cum *Univerſitati* commiſſas Claves, probare debueris; afferri locum abs te AUGUSTINI, quo etiam PAULO & Apoſtolis fuiſſe datæ dicuntur. Quod ubi tu negatum unquam a noſtris reperiſti? Nihil igitur ad rem eſt iſte locus, & eodem, quo cæterorum ab LAUNOIO tuo vexatæ ſententiæ, & dicta Patrum referri debet. De quibus ſic quidem ego *Febroniana* omnino confidentia pronuntio: tam inepte allegatas eſſe omnes ac frivole, ut qui vel tantillum in ſtudiorum iſto genere conſecutus fuerit, malignum LAUNOII animum ac peſſimam fidem mirari non ſatis poſſit. Quæ ſi calumnia tibi videatur; ſuſcipe cauſam in te illius: nam mihi quidem quid ſumpſerim vides, & quid porro ſumpturus ſim, periclitari, ſi lubet, poteris.

VIII. Quanquam quid tu mihi Patres, ſententiasque & ſcripta Veterum occinis? Tu qui quid neſcio præſagiens apud te in ingreſſu operis tui tam ſolerter commonebas, haud ſatis ſecure ab iis diſputari, qui Traditionis ſeriem ac filum ex dictis Patrum conantur ſtatuere. Nam *eſſe verba iſtorum aliquando tam varia, ut alia in hanc, alia in illam videantur trahi poſſe ſententiam*; inſuper *æſtu ipſo diſputantium, hoc præſertim ævo rixoſo, reddi dubia.* (35) Feriri certius expeditiuſque, ſi documentis *ex conſtanti uſu & diſciplina* ſumptis pugnetur. Hanc te legem tibi tuliſſe; hanc ſecuturum, non in eorum iturum veſtigia, qui præjudicatis opinionum ſuarum commentis, immo commodis ſuis canitiem vetuſtatis famulari cogant. (36)

Et aſtute hæc quidem pro more, ac valde ſubtiliter. Quid vero? Eorum, qui *Eccleſiæ* a Chriſto *Claves* fuiſſe *traditas*, ex antiquis adſerunt, tam inclinata tibi eſſe videtur ad tuam hæreſin oratio, ut aliorſum a nobis deflecti, & explicari in partem aliam nullo modo poſſit? Atqui ſi ulla, hæc anceps locutio eſt. Sum enim ipſe a puero, ſunt mecum alii ita inſtituti: *Eccle-*

(35) FEBRON. Tom. I. Cap. I. pag. 4. N. 3.
(36) *Ibid.* Uſus conſtans & uniformis diſciplina plerumque certa ſunt; ſcribentium verba, in hoc præſertim rixoſo ævo, diſputantium æſtu redduntur dubia. - - - - - Homines ſive præjudicii, in quo enutriti ſunt, amore, ſive commodi - - cauſa, omnes nervos intendunt, ut veterum Scriptorum verba recentiori ſyſtemati accommodent. His nixi regulis facile & ſecure judicabimus &c.

Ecclesiam habere Claves. Inde ex quo Theologiæ dedimus operam explanandæ, centies ac multo sæpius fuimus usi isto genere sermonis. Quid igitur? Popularem Ecclesiam fecimus? FEBRONIANI fuimus? Tuam, quam modo damnamus, opinionem secuti sumus? Id vero sentis, quam sit ridiculum. Quid est ergo, quod cum TRIDENTINUM, TERTULLIANUS, AUGUSTINUS, FULGENTIUS, BEDA, aliique Veterum in hunc modum loquuntur; tu in tuam esse locutos sententiam, tam superbe, præfracteque contendas? Siquid potes; verba exhibe, non illa, quæ cum antiquis sunt nobis & omnibus bonis communia, sed tua. Tua, inquam, in quo Concilio, in quo Patrum Sanctorum legeris: *Universitas Credentium accepit Claves proprie, principaliter, radicaliter: Prælati eas ab Ecclesia habent usualiter, usufructualiter, ministerialiter:* ac quæ sunt alia id genus monstra. Et ut verbo dicam, quorum convici te perversorum dogmatum, hæc tu mihi in TRIDENTINO, in TERTULLIANO, in reliquis, quos citasti, sanctis Patribus exhibe!

IX. Nam quod PEREIRAM exinde laudatorem, institoremque in Portugallia tuum secutus, ex quinto decimo sæculo, hoc est, ex Ægyptiis tenebris Theologos præter ALPHONSUM TOSTATUM nominasti ANDREAM MEGARENSEM, κωφον προσωπον illud Theologorum, GERSONEM, NICOLAUM CUSANUM, BASILEENSESQUE cum CRACOVIENSIBUS & DIONYSIO; (37) loquar de his alias tecum. Nunc breve hoc dico, non mihi, quid in barbarie ista temporum aliqui scripserint, curæ esse, sed quibus momentis ducti rationum scripserint. Est autem non Scriptura sancta, non traditio, non disciplina ususque constans Ecclesiarum, quo isti pugnarunt: sed absurdissima, periculosissimaque hæc ratio: *ita naturam* scilicet præscribere; ita in omnibus Communitatibus evenire; omne totum sua parte majus esse; necessitate factum, ut magistratus in Republica sint; quodsi ipsa per se res suas curare Communitas posset, nunquam alteri in se imperium fuisse tradituram. Magistratus itaque non nisi legatos, & internuncios esse Communitatum.

Vah quæ res malum! Reges ac Principes procuratores & vicarios facere populorum, fundamentumque delegationis hoc fingere, quod non

(37) FEBRON. Tom. II. pag. 185. postquam verba istorum recitaverat, concludit: quærat Posthæc D. KAUFFMANS, quinam Scholastici doceant &c. dicat, Februniana paradoxa hæc esse, UNIVERSITAS CREDENTIUM *accepit Claves, proprie, principaliter, radicaliter: Prælati eas ab Ecclesia habent usualiter &c.* Respondebimus, sic docere ANDREAM DE ESCOBAR, ALPHONSUM TOSTATUM &c.

poſſit per ſe regere populus? Quaſi vero tam hoc ingens obſtaculum ſit, ut tolli non valeat? aut quaſi ſublatum non ſit reipſa in populari regimine, ubi precarii ſunt magiſtratus, & moventur pro libitu? Hæc PODIENSIS Epiſcopi ad TOSTATI eſt illum locum adnotatio. Qui pulcherrime id etiam obſervat, TOSTATUM (eſt autem de reliquis, ut oſtendam loco ſuo, ratio eadem) quantum ad Civiles quidem Communitates pro explorato ſumpſiſſe quod ponit; Juriſdictionem in Communitate hærere potius, quam in Principe: tum inde vero tanquam ab ſimili ad Eccleſiam transtuliſſe, ſed meticuloſe: (38) *Patet* (Verba TOSTATI ſunt, quæ tu ipſe adſcribis) *in Communitatibus. Si enim aliqua Communitas vel Collegium eſt, ibi erit Jurisdictio: & quia non poteſt adminiſtrari per univerſam Communitatem, adminiſtratur per unum de Communitate. Sed juriſdictio eſt magis in Communitate :* De Eccleſia interim, VIDETUR, inquit, *quod Juriſdictio illa erat radicalius in Eccleſia, quam in Prælato.* Fortiſſimum enim vero vinculum, quod uno flatu diſrumpi poteſt. Itane CHRISTUS de Principibus docuit? itane PAULUS? Verum TOSTATUS quidem, aliique barbarie temporum excuſari fortaſſis poterunt; te quid excuſet, non video.

Quid enim non egiſti, ut invidiam ſummis Pontificibus conflares, propterea quod ſubditos ſacramento, quo erant Regibus ſuis divincti, ſolvendos aliquando ſint arbitrati? Vix Lutheranorum de hoc quiſquam ferocius declamavit, ac tu. Nihilominus TOSTATI non te pudet ea verba adſcribere: *Patet in Communitatibus*, & CRACOVIENSIUM iſta: *omne totum eſt majus ſua parte:* quæ ſi locum habeant; poterit, ut ſeditioſiſſimus quisque ex plebe fuerit, concitare ad rebellionem ſubditos, Coronæque ac ſolia in momenta ſingula trepidabunt. Quid? quod quæ ſunt timide a TOSTATO & opinando duntaxat poſita de Eccleſia, tu confidenter, & cum ſupercilio imperas. Scelus! Adeone cito memoria te eorum deſeruit, quæ proxime ſcripſeras " eſſe *ſcholaſticam Theologiam* LUTHERO teſte, *ex centaurorum*

" *genere*

(38) *Defenſe des Actes du Clergé* 1769. *p.* 2. *C. IV.* On rappelle aujourd'hui avec confiance un raiſonnement, que Toſtat ne propoſoit dans ſon ſiecle, qu'avec timidité. N'a-t-on pas vu, ou aboutiſſoient ces maximes puiſées dans une tres-mauvaiſe Metaphyſique? Elles ne transportent pas moins au peuple la puiſſance civile, que la ſpirituelle. Elles ſuppoſent même le titre du peuple ſi conſtant, & ſi authentique dans l'ordre civil, qu'il peut ſervir de fondement & d'appui à ſon droit dans l'ordre ſpirituelle. - - On ſent aſſez le danger & le vice d'une doctrine, qui ne connoit d'autre magiſtrat public, que le repreſentant, & le délegué de la multitude. Quelle abſurdité, de fonder cette prétendüe delegation dans les états monarchiques, ſur l'impoſſibilité ou eſt la multitude de juger & de commander par elle-même, comme ſi, cet obſtacle ne pouvoit pas étre levé, & ne l'étoit pas reelement levé dans les états republicains par des magiſtrats precaires & amovibles.

" *genere:* hanc abſurdam, & ab omni ſana & Catholica Theologia alienam " methodum imitari quodammodo eos, qui divinarum Inſtitutionum Au- " ctoritatem, *quarum unica propemodum ratio*, *unica lex ſit revelatio*, & " *Dei voluntas per Traditionem declarata*, ad calculos, ſive laqueos Dia- " lecticos aut METAPHYSICOS contrudant: nam inde & ſplendorem obſcu- " rari tantarum rerum, & vileſcere majeſtatem. " Hæc eloquentiæ tuæ vis erat admirabilis. Atqui Podienſem ſi audiamus Epiſcopum; ex *Metaphyſica* non illud modo, quod TOSTATUS ſcripſit, eſt promptum, ſed ex *peſſima Metaphyſica*. Ac quicunque hactenus in Scholis pulveres excitati fuerint: qui utriuſque ſplendorem majeſtatis, ſacræ profanæque, obſcuraverint magis, vilioremque fecerint, nulli unquam fuerunt. Id *uſus* docuit; fruſtra tricæ; te ac tua tibi reſtituo: quantumvis diſſimules, ſcribere vera me, ignorare non potes.

X. Sed nondum dimiſſum te volo. Ex BASILEENSIUM ſynodali reſponſo, quod EUGENIO Papæ dederunt anno MCCCCXXXII, poſtquam in rem tuam quædam protuleras; ſubjungis in hunc modum: " Convenit " hic obſervari, hanc doctrinam a Patribus BASILEENSIBUS traditam fuiſſe " mox poſt ſeſſionem II, cum EUGENIO Papæ adhuc uniti eſſent, & de " ejus mandato Cardinalis JULIANUS ſynodo præſideret. Fatetur autem " vel ipſe BELLARMINUS *Libro III. de Eccleſia Cap. XVI. ad ſextum*, ante " ſeſſionem XXVI. anno MCCCCXXXVII. celebratam non fuiſſe illegiti- " mum BASILEENSE Concilium. "

Quid faciam; pudet eloqui; ſed cogor. Mendaciſſime! ſic tu hominum fide abuti potes? Objecerat ſibi BELLARMINUS id, quod a CALVINO objectum fuerat, BASILEENSES pro hæretico damnaſſe EUGENIUM. Cui reſpondet: Ad ſextum dico, BASILEENSE *Concilium ab initio quidem fuiſſe legitimum: nam & Legatus aderat Romani Pontificis, & Epiſcopi plurimi. At quo tempore* EUGENIUM *depoſuit, &* FELICEM *elegit, non fuit Concilium Eccleſiæ.* Quid? AB INITIO legitimam fuiſſe ſynodum dicere, anne tantundem eſt, atque annis omnino ſeptem, perque quatuor & viginti totas ſeſſiones fuiſſe legitimam, dicere? Non palpas mendacium? Atque eo hoc quidem impudentius eſt, quoniam ſciebas, a prima ſtatim ſeſſione diſſolutum ab EUGENIO fuiſſe Concilium; BASILEENSES ad ſecundam nihilominus progreſſos, & innovaſſe Conſtantienſis ſynodi decreta, EUGENIOque legitimo & indubitato Pontifici ea accommodaviſſe, & ſubjectum hunc ſibi declaraviſſe. Quæ ſi probata a BELLARMINO fuiſſent ac geſta legitime judicata; debuiſſet quinque omnino is capita libri ſecundi *de Eccleſia &*

Con-

Conciliis a ſe ſcripta expungere. In iis enim de inſtituto ſuperiorem eſſe Concilio ſummum Pontificem defendit (recte an male, non heic quæro) defendit certe: nec ignorabas hoc tu, qui toto opere tuo in exagitanda, refutandaque illius doctrina verſaris.

Quid dicam amplius? Ut auctoritatem concilies iis, quæ Baſileenſes reſponderant: *ita Patres*, inquis, *ſenſerunt circiter trecenti.* Mendacium eſt. Præſta numerum, ſi potes, ſi annales, ſi hiſtorias, ſi tomos omnes Conciliorum evolveris; nunquam poteris. *Poſt ſeſſionem II*, ais, *Eugenio Papæ adhuc uniti erant*, & *de ejus mandato Julianus ſynodo præſidebat.* Mendacium eſt. Hujus te tiro convincet. Quis enim ignorat, ſtatim a prima ſeſſione ad XV. Kalendas Januarias diſſolutum eſſe ab EUGENIO Concilium, nec reſtitutum, reparatamque concordiam ante Nonas Februarias anni MCCCCXXXIV, quod intra tempus ſeſſiones ſunt habitæ quindecim, quarum nulli, dempta prima, EUGENIUS conſenſit. Heinc clamores illi BASILEENSIUM, furor, evocationes, minæ. *Hoc ipſum*, inquis (quod BELLARMINO adſperſeras ſcilicet) *jam declaraverat ipſe* EUGENIUS *in Bulla*: EXPOSCIT DEBITUM. Mendacium eſt. Nulla vox in ea *Bulla*, neque in alia quapiam comparet, ex qua vel divinando, quod dicis, poſſit conjici. En mendacia igitur in undecim lineis omnino quatuor. Adderet quintum fortaſſis alius: ſed nolo ego, quoniam cauſam, manifeſtam ſaltem & evidentem, haud ita habeo in promptu, cur mentitum te eſſe potius, quam lapſum errore debeam judicare. Sed tamen error eſt; error gravis.

Etenim de ſynodali loquens reſponſo, & de doctrina, quam ex illo laudaveras, obſervari jubes, fuiſſe *traditam eam doctrinam mox poſt ſeſſionem II.* Minime gentium. Fefellit *talentum* te tuum, quod es indeptus. Eſt enim proxime ante ſextam ſeſſionem reſponſum editum: qua in re quia momenti eſſe plurimum, ad redarguendum te video; libet quo res ordine geſtæ ſint, hoc loco paucis adſcribere. Itaque anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo XI. Kalendas Septembres, qui Augusti eſt dies vigeſimus ſecundus, ANDREAS *Coloſſenſis Epiſcopus* pro EUGENIO in cœtu publico peroravit, & ad cavendum ſchiſma BASILEENSES oratione gravi eſt adhortatus. VII. Kalendas, ſeu vigeſima ſexta Auguſti die de auctoritate ſummi Pontificis dixit JOANNES *Tarentinus* Epiſcopus. *Reſponſum ſynodale* conſignatum eſt III. Nonas, ſeu Septembris die ſecunda. Secuta eſt *Seſſio* VIII. Idus, ſeu die ſexta Septembris. Atque ad hanc quidem ſeſſionem, quæ ſexta fuit, prima vice adparet numerus præſentium

tium adnotatus; præfuiſſeque ei dicitur PHILIBERTUS *Conſtantienſis* Epiſcopus, & adfuiſſe præter JULIANUM, Cardinales duo, *Placentinus*, & *Firmianus* cum Prælatis triginta duobus, & *Protectore* Concilii.

Virorum optime! ubi trecenti heic igitur illi tui, qui *ſynodale Reſponſum*, ut ſcribis, ediderunt? Ubi ſunt? Alione dilapſi intra tridui unius ſpatium? aut quæ morbi vis ſubita eos domi continuit? Id quidem mirum, & inſtar prodigii, quod nemo credat; fuiſſe, qui EUGENIO reſponderent die ſecunda Septembris, Patres trecentos circiter; qui ſynodo, cujus cauſa convenerant, intereſſent, tametſi poſt triduum eſt illa celebrata, non niſi duos ſupra triginta fuiſſe, cum Cardinalibus tribus, & Baſileenſi Epiſcopo. Vides igitur errorem? Quo quidem nomine dum utor; noli, corrigere me velle, putare, quod ſcripſi, fuiſſe te, cum trecentos nominares, mentitum. Nam eſt utrumque in eadem ſcriptione tua, mendacium & error. Mendacium, quia certiſſime finxiſti, quod nuſpiam legeras: neque enim ab ullo mortalium conſignatum eſt, quot adfuerint primis quinque ſeſſionibus; verum ad ſextam demum ſeſſionem *Mytrati* illi adparent, quos memorabam, pauciſſimi; de quibus etiamnum tamen, Epiſcopine omnes, an Abbates fuerint, dubitatur: & ad ſeptimam decimam, cum reconciliatus jam eſſet ſynodo EUGENIUS, *bene centum*, ut habent Acta, conſederunt. Error quoque eſt, quia non ad ſecundam, ſed ad ſextam aut quintam ſeſſionem revocandum erat ſynodale reſponſum: tum, ſi illudere volueras, oportebat ita aptari mendacium, ut non in oculos ſic quaſi ſponte ſua incurreret. Sed de BASILEENSIUM quidem rebus copioſe alias ac diligenter. Nunc ad calumniam venio.

XI. Mones nos, ac de abortu tuo adſeverare non dubitas, eſſe communem hanc ipſam Theologorum GALLIÆ tam veterum, quam recentiorum ſententiam. Macte! quid dicerent Fratres tui, ſi paulo pudentior eſſes? Itane vero? quam ex putridis LUTHERI, CALVINIQUE fontibus ab ſe hauſtam faſſus RICHERIUS fuit, quamque & Epiſcopi, & ſenatus regius, & SORBONA damnarunt, communis illa Theologorum Galliæ eſt? Quam cum propagare publice non poſſet LAUNOIUS, *dexteritate* debuit atque *induſtria*, communis illa Theologorum Galliæ eſt? De qua, qui in ipſa Gallia LAUNOII epiſtolas edidit, eſſe *nefas* ſibi adfirmavit, quicquam loqui aut ſcribere, quamque *novitiam* iſte idem, & *politicam* opinionem dixit, communis illa Theologorum Galliæ eſt? Qua *peſſumdari funditus Chriſtianam religionem*, & ANTICHRISTO *ſterni viam*, magnus BOSSUETIUS dixit, communis illa Theologorum Galliæ eſt? Quam in QUESNELLO ſociiſque

 iſtius

iſtius omnes ITALIÆ, omnes GALLIÆ, omnes GERMANIÆ, omnes HISPANIÆ & LUSITANIÆ execrati Epiſcopi ſunt, communis illa Theologorum Galliæ eſt? Quam tuomet ore, ac tuis ego verbis probavi *hæreticam* & alienam eſſe a Catholica fide ac dogmate, communis illa Theologorum Galliæ eſt? I caput, & cerebrum collige!

Quanquam commonet me ſane res ea novi flagitii tui, quod in Patrem ZACCARIAM admiſiſti. Id non poſſum, quin Lectoribus meis exponam. Scripſerat eruditiſſimus hic Theologus *Introductionis* ſuæ ad *Antifebronium* quarto capite: eſſe ex fundamentalibus FEBRONII placitis hoc alterum: *Claves ſacræ poteſtatis a Chriſto immediate datas fuiſſe Eccleſiæ.* Monuit ſubinde, etiam Gallis Catholicis familiarem hunc eſſe loquendi modum; verum hoc ſenſu, non ut *Univerſitatem* ii intelligant *omnium fidelium*, ſed *Apoſtolos tantum atque* EPISCOPOS, quibus, tanquam *regenti*, *docenti*que Eccleſiæ, commiſſæ ſint Claves. At ex adverſo FEBRONIUM ſic paſſum animo ſeſe inſtitui, ut eſſe cœtum putet omnium Chriſtianorum, qui & obtineat, & derivet, trajiciatque in Præfectos Eccleſiæ omnem poteſtatem, adeo ut ſola his curatione, ſoloque, ut ajunt, miniſterio attributo, ſummum ſibi jus populus, ſummamque auctoritatem retineat. Ex duobus his primum, quod de Gallorum erat ſententia, demonſtraverat ZACCARIAS, LUDOVICI HABERTI, TOURNELII, & alterius, qui hiſtoriam juris publici Eccleſiaſtici Gallorum edidit anno MDCCXL, teſtimoniis adſcriptis. Quid ad iſta FEBRONIUS? Cum, quo ſe verteret, non reperiret; prævaricandam cauſam ſibi eſſe putavit, agendumque dolo. Fingit igitur, ſcripſiſſe P. ZACCARIAM, in eo a Gallicana ſententia FEBRONIUM diſcedere, quod Galli SOLOS APOSTOLOS, præter PETRUM, *immediate* a Chriſto Claves accepiſſe doceant, non autem EPISCOPOS: FEBRONIUS contra EPISCOPORUM etiam cætui univerſo perinde atque ipſis Apoſtolis, traditas *immediate* fuiſſe contendat. Id vero ut eſſe falſum & *alienum a veritate* probet, nec ita Gallos ſentire; ex GERSONE & NATALI ALEXANDRO nonnulla profert, quorum eſt ſumma: Claves tametſi PETRO datæ ſint, tamen Eccleſiæ item Univerſitati, ſeu ſenatui Epiſcoporum, atque huic quidem præ Epiſcopis *ſingulis* fuiſſe datas. Concluditque, tanquam enecto jam Adverſario, ac velut ſi nihil, de quo reſpondendum ſibi porro eſſet, reſtaret: *ſi adverſum hæc* HABERT *&* TOURNELIUS *aſſerere videantur, Claves* APOSTOLIS *immediatius traditas fuiſſe; id eo ſenſu ſumendum eſt, tum quod illi ſoli Eccleſiam regentem conſtituerint, cum Chriſtus eis Claves conſignaret, tum quod eorum poteſtas non poſſit per alios, quam per Ordinatos Eccleſiæ Miniſtros exerceri.*

Frau-

Fraudulentissima profecto & mendacissima (39) pugnandi ratio! Quis eam ferat? in homine præsertim, qui HYPOCRITAS non est veritus tot viros præclaros, de Ecclesia, de republica, de patria tam bene meritos nominare? in homine, qui quam nescio depravationem & corruptelam morum invaluisse dolet, ex quo mitioribus quibusdam Theologis, bonis licet ac piis, adolescentes dare operam cœperunt? in homine, qui pro Germaniæ se gerit Apostolo, sanctitatemque adfectat, & profanos, *nigros*, *incircumcisos*, seu Philisthæos, præ se alios habet? Mihi quidem tam absurda

Q 2 res

(39) SCHEMA IMPOSTURARUM.

FEBRONIUS *Tom. II. pag.* 182. 183.	CONVICTUS FALSI.
Ita senserunt Patres Concilii BASILEENSIS, qui erant numero circiter TRECENTI, in responso synodali quod anno 1432. dederunt EUGENIO Papæ. -- -- -- Mox post Sessionem II. apud HARDUINUM Tom. VIII. Col. 1327.	Editum est responsum tribus diebus ante sessionem sextam. Consignatum III. Non. Septemb. Apud. HARD. Tom. VIII. Col. 1343. De sessione hac sic in Actis Concilii ibid. Col. 1137. *Anno Domini MCCCCXXXII. die Sabbathi sexta mensis Septembris fuit sexta hujus sacræ Synodi Basileensis sessio celebrata hoc modo. Primo scilicet Missa solennis per D. Philibertum Epis. Constantiensem præsidentem celebrata, & demum suffragiis, Antiphona EXAUDI ac Litaniis &c. &c. decantatis: Assistentibus Domino Legato, Placentino & Firmiano Cardinalibus cum triginta duobus aliis Prælatis in eorum mitris planis & pluvialibus existentibus, & D. Duce Bavariæ Protectore: Venerabiles viri Magistri Nicolaus Amici, & Hugo Berardi Promotores per organum Magistri Hugonis suam petitionem fecerunt.* AUGUSTIN. PATRITIUS *in historia hujus Concilii: Adfuerunt Julianus Cardinalis S. Angeli, Legatus Apostolicus, Cardinalis Placentinus, & Dominicus Firmianus cum XXXII. Prælatis, pluviali & mytra ornatis.* Supplement. Tom. V. Concil. Germ. pag. 782.
Post Sessionem II, cum adhuc EUGENIO uniti essent. & de ejus mandato Cardinalis JULIANUS synodo præsideret.	Sessio I. habita est XIV. Decemb. 1431. Bulla dissolutionis publicata Romæ die XVIII. Decemb. Apud Hard. T. VIII. Col. 1578. Pontifex Legatum suum JULIANUM *revocat, & aliud Concilium BONONIÆ post annum cum dimidio celebrandum indicit.* PATRITIUS L. c. pag. 777.

res visa est, ut nisi in schemate Lectorum oculis totam subjicerem; periclitaturam fidem meam judicarim. Atque utor hac occasione, ut etiam cæteras, quas perstrinxi hactenus, imposturas in elenchum contraham, ac propriis verbis exhibeam: quamvis non omnes. Sunt enim fusius

FEBRON. *L. c.*	CONVICTUS FALSI.
	JULIANUS *præsidentiam dimisit, tanquam summo Pontifici vellet obedire.* PIUS II. in Bull. Retract. Hæsit tamen postea Basileæ. Habetur II. Sessio die 15. Febr. In qua Pontifex Concilio subjectus declaratur. Anno 1432. die 29. Aprilis fit Sessio tertia, & evocatur Eugenius, ut intra trimestre se Concilio sistat. Inde Sessiones 3. 4. 5, atque ita deinceps ad 14tam usque, in quibus repetitæ evocationes, variaque contra Pontificem decreta. Tandem anno 1434. die 5. Febr. celebrata est decima sexta Sessio, in qua opera Cæsaris SIGISMUNDI, reconciliatus est synodo EUGENIUS: sed ea lege tamen, ut revocarentur prius, quæ contra se & auctoritatem suam fuissent antea decreta. HARD. Tom. VIII. Col. 1587.
Fatetur autem vel ipse BELLARMINUS Lib. III. de Eccl. Cap. 16. ad *sextum*, ante Sessionem XXVI. anno 1437. celebratam, non fuisse illegitimum BASILEENSE Concilium.	BELLARM. L. c. *Ad sextum dico: Basileense Concilium ab initio quidem fuisse legitimum &c.* ut supra Numero X. Idem L. 1. de Conciliis & Ecclesia Cap VIII. *Hujus* (Basileensis) *Concilii nihil est ratum & probatum nisi quædam dispositiones circa Beneficia, quæ a Concilio factæ fuerant, quas pacis & unitatis gratia NICOLAUS approbavit. Concilium vero ipsum reprobatur in Concilio LATER.*
Hoc ipsum jam ante declaraverat ipse EUGENIUS in Bulla, *Exposcit dudum,* quæ prostat -- apud HARD. T. IX. Col. 678.	Extat Bulla apud HARD. non Col. 678. sed Col. 734. Argumentum Bullæ. Conqueritur Pontifex de pravis Basileensium molitionibus, dissolvitque synodum, & alteram jam FERRARIÆ legitime inchoatam esse declarat: Causam, cur huc transtulerit, profert, quod & Græci eam urbem optaverint, & synodi Basileensis pars sanior ita crevisset. *Cum in sacro,* inquit, *Basileensi Concilio de loci electione pro futuro œcumenico Concilio ageretur.* Ecce totum, quod ad condecorandam Basileensem synodum in Bulla illa dicit EUGENIUS. Est autem evidens, neque ignorare FEBRONIUS potuit, respicere Pontificem ad XXV. Sessionem, habitam die 7. Maji 1437.: quo tempore jam inde a XVI. Sessione restituta concordia fuerat.

fuſius a me aliquæ ſuperiori articulo paragraphis primo & ſecundo explicatæ, neque huc commode transferri poſſunt. Eas animo apud ſe Lector velim recogitet.

XII. Claudam paragraphum hunc depulſione ſomnii iſtius, quod ab EDMUNDO RICHERIO hauſiſſe FEBRONIUM dixi, ſiquidem perinde ac ille, atque verbis adeo ipſius exſcriptis, ſeptuaginta Diſcipulos miſſionem cum Apoſtolis parem & indiviſam fuiſſe nactos adfirmavit. Depellam autem non tam meis, quam PETAVII verbis: nec enim quod addam his, habeo. Sic itaque, ſi RICHERIO FEBRONIUM ſubſtituamus: " Proſus ariolatur, ſom-

FEBRON. *Tom. III. p.* 536.

Alterum dicit ZACCARIA fundamentale placitum FEBRONII eſt: *Claves ſacræ poteſtatis immediate datas eſſe Eccleſiæ.* Etiam Galli, inquit ille, hoc ſuſtinent, —— at cum hac differentia, quod juxta FEBRONIUM poteſtas data ſit *Univerſitati* Eccleſiæ, quæ illos faciat adminiſtrari per Epiſcopos tanquam ſuos Miniſtros: quando ex contrario Theologi Galli, nominatim HABERT *p. II. de Hierarch. Cap. V. §. V. Q.* 2., TOURNELIUS *de Eccleſ. Q. V. Art.* 2. tradunt, eas immediate OMNIBUS APOSTOLIS fuiſſe traditas.

A veritate alienum eſt, quaſi ſententia Eccleſiæ Gallicanæ ſit, Claves a Chriſto non *Eccleſiæ*, ſed *Apoſtolis* datas fuiſſe.

Poſt Gerſonis & Natalis Alexandri recitata verba, de quibus ſupra. Si adverſum hæc HABERT & TOURNELIUS aſſerere videantur, Claves APOSTOLIS *immediatius* traditas fuiſſe &c. *ut ſupra.*

CONVICTUS FALSI.

Verba Patris Zaccaria ex Italico ſumma fide translata. Secundum fundamentale effatum FEBRONII eſt, quod Claves poteſtatis a Chriſto ſint datæ Eccleſiæ. Etiam Galli poſt famoſam illam Declarationem Cleri Gallicani hoc dicunt. Sed obſerva diſcrimen ingens & eſſentiale, quod intercedit illorum inter ſyſtema, & pronuntiatum FEBRONII. Quænam Eccleſia eſt modernis Gallis Catholicis, cui a Chriſto Claves datæ ſunt? *Sunt*, reſpondet HABERT, *Papa & EPISCOPI. Eſt unitas*, monet TOURNELIUS, hoc eſt, *omnes Apoſtoli & EPISCOPI ILLORUM SUCCESSORES.* Unde ſequitur, pergit idem Doctor Sorbonicus, PETRUM, quando ipſi nominatim datæ ſunt Claves, vi Primatus ſui repræſentaſſe *Eccleſiam*, hoc eſt, *Apoſtolos*, quibus, EORUMQUE SUCCESSORIBUS Chriſtus dixit indiſtincte: Quæcunque alligaveritis &c. Eſt EPISCOPATUS in genere, ait Dom. D. B., non Theologus is quidem, ſed teſtis idoneus communis apud populares ſuos doctrinæ. Verum non eſt hæc Eccleſia, cui FEBRONIUS vult Claves traditas eſſe. Poteſtas Clavium, ait, a Chriſto data eſt *Univerſitati Eccleſiæ.* Noli credere, *Univerſitatis* nomine UNIVERSITATEM PASTORUM ab eo intelligi; quod quidem ſi diceret, ſententiam Gallorum ſequeretur. Minime. Societatem intelligit, ac CORPUS OMNIUM FIDELIUM. Probatio clariſſima eſt &c.

" niatque, dum missionem Apostolorum, qua potestas illis est ecclesiasti-
" ca tradita, hoc est, ligandi, atque solvendi Jurisdictio, amplissima illa,
" & cujusmodi Principes, ac Magistratus Ecclesiæ decebat, etiam ad Dis-
" cipulos extendit cæteros, qui Apostoli, aut Episcopi non erant, ac tum
" scilicet reipsa datam autumat, cum illos ad prædicandum per Judææ op-
" pida destinavit, ad quæ mox erat ipse venturus. Nam prior ista missio
" nullam aliam, quam prædicandæ pœnitentiæ, ac tam doctrina, quam
" miraculis præparandi ad Christi fidem populi facultatem illis indidit: non
" regendi, gubernandique jus ullum, aut potestatem; sive ordinis, quam
" sub cœnam ultimam contulisse creditur, sive Jurisdictionis, quam post
" resurrectionem suam reipsa, & ut loquuntur, actu tradidit Frivolum
" est ergo, quod de septuaginta duobus Discipulis adserit FEBRONIUS, eos,
" cum Episcopi non essent, potestatem tamen clavium accepisse cum
" Apostolis *individue, immediate, & collective.* Quod nullo argumento
" probat; aut vero probare potest: non modo Scripturæ, quæ manda-
" tam solis Apostolis, ac per eos Episcopis regendæ, gubernandæque
Ecclesiæ potestatem docet: Sed neque Canonis alicujus." (40)

Et vero, ut hoc saltem addamus, quantum ad JOANNIS illum locum: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, in magno errore ambo sunt, dum ad septuaginta Discipulos eum traducunt. Ad hos enim neutiquam pertinet, sed ad Apostolos tantum, qui nomine *Undecim*, ab Evangelistis designantur, velut a MATTHÆO: *Undecim autem Discipuli abierunt in Galilæam:* post quæ statim: *Et accedens JESUS locutus est eis dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, Euntes ergo docete omnes gentes.* (41) Quibus similia apud MARCUM extant: *Novissime recumbentibus illis Undecim*, ac quæ sequuntur. (42) Et apud JOANNEM hoc ipso loco: THOMAS *autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit JESUS.* Atque hæc satis in præsens: plura, cum opportunum fuerit.

§. IV.

(40) De Hierarch. Eccles. L. III. Cap. XVI. §. II. III.

(41) Matth. XXVIII.

(42) Marci XVI.

(43) Joan. XX.

§. IV.

Corollaria quædam ſubducuntur, de differentia utriuſque Poteſtatis, profanæ ac ſacræ. De poteſtate abſoluta Epiſcoporum regendi Eccleſiam &c.

I. Reſtat, Conſecutiones quasdam ſubducamus ex dictis, breviter quidem, quoniam multis haud opus eſt, ſed neceſſario pro argumenti, in quo verſamur, ratione, ac ne ordinem, quem in diſputando nobis deſcripſimus, deſerere cogamur. Iſtarum hæc prima eſt, quam Gelasius Romanus Pontifex his verbis expoſuit: *eſſe Duo, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritatem ſacram Pontificum, & regalem poteſtatem.* Quas quidem diſtinctas eſſe poteſtates, diviſaſque finibus atque imperiis, homini Catholico perſuaſiſſimum eſſe debet. Nihil enim frequentius a Majoribus eſt noſtris inculcatum. Horum nos teſtimonia heic quædam adſcribemus, non, quod homines improbi criminari volent, ut auctoritatem læſiſſe Principum videamur, a quo tantum, quantum a flagitio abſumus: verum eodem animo, ac fine, quo Galliæ illuſtriſſimus Præſul quidam in Paſtorali ſcripto ſuo: idem is, qui etiamnum vivit, & eſt Regi cariſſimus, atque ut ad nos fama perlatum eſt, cum ſanctis Epiſcopis comparari poteſt. Sic itaque apud illum Hilarius in eo, quem contra Auxentium ſcripſit libro: *Oro vos, quibuſnam ſuffragiis ad prædicandum Evangelium Apoſtoli uſi ſunt? quibus adjuti poteſtatibus Chriſtum prædicaverunt? Anne aliquam ſibi aſſumebant e palatio dignitatem, hymnum Deo in carcere inter catenas & poſt flagella cantantes? Edictiſque regis* Paulus, *cum in theatro ſpectaculum ipſe eſſet, Chriſti Eccleſiam congregabat?* Nerone *ſe credo,* Vespasiano *aut* Decio *patrocinantibus tuebatur, quorum in nos odiis confeſſio divinæ prædicationis effloruit? Illi manu atque opere ſe alentes intra cœnacula, ſecretaque coeuntes, vicos & caſtella, genteſque fere omnes terra ac mari contra Senatus conſulta & Regum Edicta peragrantes, claves credo, Regni cælorum non habebant? Aut non manifeſta ſe tum Dei virtus contra humana porrexit, cum tanto magis* Christus *prædicaretur, quanto magis inhibebatur?* Ejuſdemmet ſunt generis, quæ ad Imperatorem Constantium ſcripſit idem Hilarius: *Quis,* inquit, *Epiſcopis jubeat? quis Apoſtolicæ prædicationis vetet formam? Provideat ac decernat Clementia tua, ut omnes ubique Judices, quibus provinciarum adminiſtrationes concreditæ ſunt,*

ad

ad quos sola cura publicorum negotiorum pertinere debet, a religiosa se observantia abstineant, neque posthac præsumant atque usurpent, ut putent se causas cognoscere Clericorum.

Jam Basilio solum nomen Episcopi satis erat, ut potestatem sacrorum nemini, præterquam Episcopis adsertam vellet. Cum enim *Modestus* Præfectus Prætorii extrema ei quæque ab Valente renuntiatum venisset, si minus Arianos in communionem suam admitteret, hominem vehementi is primum oratione coercuit. Qua cum ille obstupefactus, reponeret, hactenus a nemine tanta licentia sibi esse responsum: *neque enim*, ait Basilius, *fortasse in Episcopum incidisti.*

Cordubensis illius Hosii, quem jure Magnum nominatum voluere, est istud percelebre: *Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum qui tibi Imperium subripit, Deo ordinanti repugnat, ita metue, ne si ad te Ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias.*

Atque Athanasius pari constantia & gravitate: *Quis tradidit Comites Ecclesiasticis præesse rebus, aut edicto Judicia eorum, qui Episcopi vocantur, promulgare? Quandonam Ecclesiæ Decretum ab Imperatore accepit auctoritatem?*

Posset, inquit Præsul Parisinus, (44) adduci ingens præterea numerus Scriptorum cujusvis ætatis ac nationis, ut Synesius, S. Maximus, Facundus Hermianensis, Hincmarus, Ivo Carnotensis, S. Bernardus, Petrus Blessensis, Lupus Ferrariensis, S. Anselmus: Concilia demum, & Pontifices Maximi.

Ex quibus omnibus non illud modo confirmatur, quod dicebamus, nihil neque a natura, neque a Christo habere populum, quamobrem potestatem sibi, ac principatum in Ecclesia adrogare possit: sed neque Civili Magistratui, aut rerum publicarum gubernatoribus fas esse, in Episcoporum fines ac Jura invadere, Sane enim quod populo datum non est, id neque transferre is in Principes potuit. Christus autem, cum suos mo-

derare-

(44) In Instruct. Past. data Confluentiæ 1756. Part. I. de auctorit. & independent. Ecclesiæ. Vide etiam Decreta Comitiorum generalium Cleri Gallicani anni MDCCLXV.

deraretur, nihil in eo genere Magiſtratibus concedendum putavit. Itaque Apoſtoli tantum erant, quibus *ligandi*, *ſolvendique* tribuebatur auctoritas.

II. Quo quidem nomine qui nihil aliud, quam Evangelii prædicandi facultatem, & quæ eo pertinent, ac revocari poſſunt; non juriſdictionem autem, ac ſacrum imperium ſignificari putant, in magnis erratis eorum opinio eſt, videnturque, quæ ſunt rite conſtituta, data opera velle ſubvertere. Neque vero conſequentur unquam a nobis, cum PUFFENDORFIO, BÖHMERO, PAFFIO, aliiſque poſt MARSILIUM PADUANUM, WICLEFFUMque ac LUTHERUM, ut PAULUM Apoſtolum, & quos ordinavit ille, TITUM atque TIMOTHEUM Juriſdictione deſtitutos fuiſſe arbitremur.

Nam Apoſtolus quidem in priore ad *Corinthios* epiſtola, a ſe traditum Sathanæ *Corinthium* graviſſimi ſceleris reum ſcribit. *Ego quidem abſens corpore*, inquit, *præſens autem ſpiritu, jam* JUDICAVI UT PRÆSENS, *κεκρικα ὡς παρων*, *eum, qui ſic operatus eſt, in* NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, *congregatis vobis & meo Spiritu cum virtute Domini noſtri JESU Chriſti tradere hujuſmodi Sathanæ.* (45) De ſuperbis vero quibuſdam, & tumultum cientibus: *Tanquam non venturus ſim ad vos, ſic inflati ſunt quidam. Quid vultis? in virga veniam ad vos?* (46) Atque in ſecunda epiſtola ad eoſdem: *Ideo enim & ſcripſi, ut cognoſcam experimentum veſtrum an in omnibus obedientes ſitis.* Deque venia agens *Corinthio* inceſtuoſo facta: *Cui autem aliquid donaſtis, & ego: nam & ego quod donavi, ſiquid donavi, propter vos in perſona Chriſti.* (47) Tum Capite XII: *Timeo enim, ne forte cum venero, non quales volo, inveniam vos, & ego inveniar a vobis, qualem non vultis.* (48) Ac XIII: *Ecce jam tertio venio ad vos. In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum. Prædixi & prædico, ut præſens & nunc abſens, iis qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam ſi venero iterum, non* PARCAM. *An* EXPERIMENTUM QUÆRITIS EJUS, QUI IN ME LOQUITUR, CHRISTI? (49) De HYMENÆO & ALEXANDRO, qui in fidem peccaverant, ſcribit idem in prima ad *Timotheum*: *Quos tradidi Sathanæ, ut diſcant, non blaſphemare.* (50)

R Quam

(45) Cap V. ℣. 3. 4. 5.
(46) Ibid. Cap. IV. ℣. 18. 21.
(47) Cap. II. ℣. 9. 10.
(48) 20.
(49) 1. ſeqq.
(50) Cap. I. ℣. 20.

Quam & in TIMOTHEO agnoſcit judicandi, arguendique poteſtatem: ſcribit enim: *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.* Ubi arguendi quid vox illa ſignificet, tametſi ex antecedentibus ſit ſatis perſpicuum: fit tamen apertius ex iis quæ ad TITUM ſcripſit idem Apoſtolus: *Hæc*, inquit, *loquere, & exhortare, & argue* CUM OMNI IMPERIO. *Nemo te contemnat.* Arguere autem cum omni imperio; accuſationes atque teſtes recipere, judicationem inſtruere, tradere Sathanæ, comminari, non parcere, delicti veniam facere, ſontes plectere, divinaque hæc & a Chriſto tradita poteſtate, & ejus vice ac nomine in multitudine, & cœtu facere: quo tandem pertinent, quoque genere aut loco debent cenſeri, ſi ad juriſdictionem, & regimen ſacrum non ſpectent?

Equidem familiare eſt adverſariis, opponere, quod apud Lucam his eſt verbis præceptum: *Reges Gentium dominantur eorum*, .. *vos autem non ſic:* quodque PETRUS in priore epiſtola: *non dominantes in Clero.* Sed utrique huic argumento ab ORIGINE ante annos mille, & quingentos detracta vis eſt. Scribit enim: *Quanto magnus es, tantum humiliare. Principes ergo Gentium dominantur eorum, at Principes Eccleſiæ ſerviant ſubditis, audientes eum, qui dicit: Quia mitis ſum & humilis corde. Non iſta dicimus, ut inclinemus* ECCLESIASTICUM PRINCIPATUM. *Eſt enim interdum, quando ſecundum Apoſtolum, peccantes coram omnibus arguant, ut cæteri habeant timorem: eſt interdum, ut utens poteſtate ſua, tradat peccantem Sathanæ.* (51) Quamobrem non regendæ (monendo, præcipiendo, redarguendo, caſtigando, puniendoque eos, qui male agerent) ſed opprimendæ duntaxat Eccleſiæ poteſtatem, ſuperbiamque & profanum faſtum detraxit Chriſtus Apoſtolis, cum dominatu iis interdixit, & exemplum ut a ſe caperent, juſſit. Quod & PETRUS ſubinde imitatus, ne cuiquam vim inferrent Presbyteri, ne turpis lucri cauſa gregem paſcerent, ne Phariſæorum ſecuti mores, elato ſupercilio cæteros deſpicerent, ſed ut exemplo eſſent omnibus, ſuaſit. Idque & Majores noſtri, ut BASILIUS, AUGUSTINUS, ac Patres cæteri Scriptis atque Decretis ſuis ſemper commendarunt.


III. Tertium, quod ex ſuperioribus intelligi arbitramur, confectumque ſumimus, pronuntiati eſt illius QUESNELLIANI, FEBRONIANIque falſitas; habere

(51) Orig. in Comm. ad hunc locum.

habere excommunicandi quidem Epiſcopos auctoritatem, ſed non valere ſententiam, niſi populo, habere ratam eam, placuerit. Id quidem impie, perverſiſſimeque excogitatum cum ſit; tum vero argumentis probari non poteſt: neque enim, quæ Eccleſiæ ſunt damnata judicio, monumentis niti poſſunt veris ſive Scripturarum, ſive Majorum. Atque eſt in PAULI ſane ad Corinthios illo loco vexando: *Congregatis vobis & meo Spiritu*, FEBRONIANORUM inſignis nec ferenda temeritas. Quis enim *judicavit*? quis Sathanæ tradidit? *Jam judicavi*, inquit Apoſtolus, *ut præſens eum, qui ſic operatus eſt*. Nec vero conſenſum ille, ſed obedientiam ab *Corinthiis* expetiit: idque in ſecunda ſignificavit epiſtola: *Ideo enim & ſcripſi, ut cognoſcam experimentum veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis*. Quodſi congregari & in conventum ire *Corinthios* voluit, non ideo ſpectabat, ut tanquam in Comitiis deliberarent, ſententiamque dicerent: ſed ut Executioni, quæ mandaſſet ipſe, darentur publice, & qui crimen admiſerat, multorum objurgatione reſpiceret in ſe, & rediret ad animum ſuum, veniamque peteret. Quem etiam uſum TERTULLIANI ævo obſervatum in Eccleſia fuiſſe ſcimus; & apud CYPRIANUM extant ejus veſtigia: nec fuit neceſſe a FEBRONIO nos rei hujus commoneri, quam & tenemus, & non inviti, immo ultro ac ſponte concedimus. Quid? quod illud etiam damus, fuiſſe in Conſilium aliquando a CYPRIANO admiſſum populum, ut eo libentius æquitati Epiſcopalis Legis, & Decretorum adquieſceret?

IV. Denique ex omnibus, quæ ſunt hactenus diſputata, poſtremum illud efficitur atque cogitur, Eccleſias ſingulas, prout regnorum ac provinciarum ſunt finibus diſcretæ, totidem velut minores, ut vocant, *Status* cenſeri poſſe. Sed ea res quoniam ampliſſimæ a nobis diſputationi ſervata eſt, non heic pluribus illam diducimus.





CAPUT II.

DE

PRIMATU INTER EPISCOPOS, QUATENUS IN DIVO PETRO INSTITUTUS IS FUIT, UT PERSEVERET IN ECCLESIA. UBI PRIMO SIVE COECITAS, SIVE PERFIDIA FEBRONIANORUM, SUMMA UTRAQUE IN SUO GENERE, DETEGITUR. TUM PRÆCIPUUM AC PRÆCELLENS ESSE ALIQUID DATUM PETRO OSTENDITUR. DEMUM SOPHISMATA DEPELLUNTUR &c.

ARTICULUS I.

DEMONSTRATUR, FEBRONIUM EUNDEM IPSUM, QUEM TUERI SE FINGIT, AUT CERTE QUEM TUENDUM SUSCEPERAT, PRIMATUM, QUASI EX INSTITUTO DESTRUERE.

§. I.

Demonſtratur id primum univerſe.

I. Quod divinus vates his verbis prædixit: *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram*, id ad Apoſtolos referri oportere, de iisque intelligendum eſſe, ſumma veteres conſenſione tradiderunt. Sunt autem ſucceſſores ac filii Apoſtolorum Epiſcopi: immo & Apoſtolici quondam ipſi, & eorum dignitas Apoſtolica dicebatur. Non enim extincta cum Apoſtolis eorum eſt poteſtas, ſed ad ſucceſſores

ceſſores commeavit, illa certe, quæ ordinaria eſſe debuerat; & perſeverat in his, ac perſeverabit, quoad Eccleſia in terris fuerit. Qui quidem non ab Eccleſia dantur ſucceſſores, ut magiſtratus ab Romano populo; ſed naſcuntur Eccleſiæ; neque aliunde, quam conſecratione, a Deoque ipſo, ut ſint principes, habent: tantum abeſt, ut Multitudinis aut popularis miniſtri poteſtatis & atrienſes famuli cenſeri poſſint. Quæ omnia ſuperiore comprobata ſunt capite.

Agimus nunc, atque eo operam noſtram transferimus, ut quis inter Epiſcopos Eccleſiæque principes iſtos dignitate ac poteſtate præcipuus ſit, intelligamus. Quod eſt, an ſint pari omnes cenſendi jure ac conditione de voluntate inſtitutoque Chriſti; an vero Primatus, & prærogativa ſit quædam inter eos poteſtatis? & illa in quo hæreat, quo fine & quanta ſit, quibuſque rebus, ac quibus terminis contineatur? Verum his priuſquam ſtylum diſputationemque admoveo; res eſt una præmittenda, de qua anceps ſum, quo in numero debeam habere. Nam & artificium ſuſpicari poſſum infandum, turpe; & ſi ſim benignior, vulgari poſſum vitio adſcribere: qui eſt conflictus inconſtantiaque dictorum, & quaſi æſtus quidam jactatæ mentis perpetuus. Quamvis ſi hoc poſtremum optavero, prope vim erit neceſſe, ut animo inferam: atque tantum illud præterea in iſto genere peccatum erit, ut ejus exemplum poſt hominum memoriam non extet. En quale ſit.

II. Adfirmat FEBRONIUS, & in omnibus tuetur libris ſuis, Primatum aliquem in Eccleſia neceſſarium eſſe, neque hunc ordinis tantum & honoris, ac ne ejuſcemodi quidem ſolummodo, qui in *dirigendo* verſatur, verum *auctoritatis* etiam: eumque PETRO & ſucceſſoribus ejus Romanis Epiſcopis a Chriſto datum. Cubile in hoc mali eſſe contendit, quod *juriſdictionem* atque neſcio quam Monarchiam ſibi homines hucuſque finxerint: quæ ſi ejecta ex Italorum animis fuerit, ac ſi intra delineatos a ſe fines auctoritas ea conſtiterit, fore non modo non minorem ulla ſui parte Primatum ſummi Antiſtitis, ſed præſtantiorem etiam multo quam alias, illuſtrioremque ac ſplendidiorem.

Equidem de *monarchia*, invidiaque nominis iſtius nihil cum eo, quantum eſt in præſens, contendam. Ajo nunc, vel reliquias exuviaſque iſtas ipſas Primatus hunc in modum definiti circumſcriptique a FEBRONIO, ab eodem ita deſtrui FEBRONIO, ut ſiquis oppugnare eas ex acatholicis velit, nulla re alia opus ſit, quam ut hominem ipſum ſibi, id eſt, verba verbis

ejus objiciat. Id primo disputando faciam, ut omnes intelligant: tum simplicius, & adjecto schemate, in quo heinc quidem ædificans, inde destruens, ajens atque negans FEBRONIUS, tum uterque cum iis componetur Scriptoribus; qui de instituto ac data opera in tollendum funditus Primatum omnem incubuerunt. Nomen figuræ erit, *schema conflictus atque furtorum.*

III. Enimvero duo sunt genera argumentorum, quibus Primatum Divi PETRI ac successorum ejus probare nostri consueverunt. Alterum ex Scripturis sacris & Evangeliis sumunt, alterum ex traditione: quæ quidem ipsa partim Conciliorum testificatione constat, partim usu & exercitio perpetuo, partim pronuntiatis, sententiisque Majorum. At in his omnibus labefactandis an unquam est major a CALVINISTARUM quoque acerrimo adhibita industria, atque est ea, quam FEBRONIUS, aut Sodales ejus adhibuerunt? Ordiamur a celebri apud MATTHÆUM loco, ubi PETRUM præ omnibus adloquens CHRISTUS, beatum eum vocat, & nomen PETRI imponit, atque *super hanc Petram* ædificaturum Ecclesiam suam se dicit: tum Claves regni cœlorum daturum se ei pollicetur. Hoc quo nullum disertius desiderari testimonium potest, ut enervet ille ac funditus destruat, negat primo argumentum ex Scripturis capi posse, ubi interpretatio earum non uniusmodi a sanctis Patribus, nec tota eadem est semper adhibita. Ita vero habere se rem ait in loco præsente: nam alios quidem velut HILARIUM, GREGORIUM NYSSENUM, CHRYSOSTOMUM, AMBROSIUM, GREGORIUM MAGNUM, THEODORETUM, atque universe Patres quinque facile ac triginta nomine *petræ* non SIMONEM illum JONÆ filium, sed *fidem* ipsam, divinitatisque Christi confessionem intelligere. Alios cum AUGUSTINO HIERONYMO, & HILDEBERTO *Christum* ipsum designari petram putare. Demum plerosque, ut ORIGENEM, iterumque HIERONYMUM, AUGUSTINUM, LEONEM MAGNUM, THEOPHYLACTUM, EUCHERIUM LUGDUNENSEM, PASCHASIUM RATBERTUM, HINCMARUM REMENSEM, ODONEM CLUNIACENSEM, PETRUM BLESSENSEM, tametsi ad PETRUM referri verba ea non negent, existimare tamen, in PETRO omnes adlocutum fuisse & respexisse CHRISTUM: Itaque si PETRUS fundamentum sit; *tantundem* de aliis Apostolis dicendum esse: omnes ex æquo igitur fundamenta Ecclesiæ a Christo posita esse, omnes petras nominatos.

Similiter quod exinde se *Claves* daturum PETRO Dominus pollicitus fuit, id ad omnes pertinere Apostolos censet FEBRONIUS; immovero ad Ecclesiam, Communitatemque totam: nam hujus ministri Communitatis

tis PETRUS, & Apoſtoli omnes ſunt: Eccleſia ipſa vero, ſic quaſi mancipi eas tenet, & per magiſtratus ſuos poteſtatem exequitur.

Alter haud minus celebris eſt locus in ultimo *Joannis* capite, ubi aliis quidem Apoſtolis præſentibus, unum PETRUM rurſus adloquens Chriſtus curam ovium ſuarum ei demandat. Atque tametſi tertio hoc ille faciat: negat tamen FEBRONIUS ex mente Patrum, AUGUSTINI præſertim, AMBROSII, & CHRYSOSTOMI delatum PETRO heic quicquam, quod non ad omnes ſpectet. Nam in PETRO ad omnes paſtores ſermonem direxiſſe CHRISTUM: atque adeo quantamcunque fingas auctoritatem, poteſtatemque in *paſcendi* latere verbo: eandem, immo & ampliorem omnibus Apoſtolis datam, cum *euntes docere omnes gentes* juſſi ſunt, aut cum miſit eos CHRISTUS, ſicut ipſe a Patre miſſus erat.

Non ego arbitrum ullum defugiam, qui judicii modo ſenſusque boni aliquid adtulerit. Qualis quicunque eſt, interrogo eum, putetne ſerio hominem loqui, an nugari potius? cum poſteaquam robur ac nervos omnes Scripturæ hunc in modum ſuccidit, videri etiamnum cupit ex eadem ipſa Scriptura, iiſdemque textibus Primatum D. PETRI defendere? Aut an reſtabit poſt iſta quidpiam PETRO, in cujus ſocietatem non omnes veniant? Niſi forte id aliquid ſit, quod ſolum adlocutus ſit CHRISTUS, nomenque vacuum impoſuerit? quæ ſi prærogativa dicenda ſint duo; honoris erant, amoriſque, non *Primatus*, non *auctoritatis*, ac ne ejus quidem, quæ in *dirigendo* verſatur; multo minus, cujus ſucceſſor atque hæres eſſe in Eccleſia perpetuus debeat.

Et quid? ſtabitne oculis noſtris, ſi infamem illum inter Catholicos, & damnatum ab Eccleſia, & quod ſcire ipſius intereſt, a *Sorbona*, Apoſtatam, ementitumque SPALATENSEM Epiſcopum ei objecerimus? Fuit artificium id quidem hominis ſane mirabile, quod in præfatione ſcripſerit, criminatores non defore, qui RICHERIUM & ANTONIUM DE DOMINIS revixiſſe adſerant. O hominem innocentem! Sed nos de RICHERIO vidimus, illudque una oſtendimus, a capite ad calcem perfuſum iſta ſcabie juriſconſultum eſſe. De SPALATENSI tam ſimiliter certum eſt, in partem operis eum veniſſe FEBRONIANI, quam eſſe veſperum nunc, cum iſta ſcribo, & cras ſolem oriturum. Jam iſte vero poſteaquam eodem modo, iiſdemque Patrum abuſus ſententiis, Scripturam ſacram profligaverat: concluſit, quod per ſeſe ſequitur, non niſi honoris delatam PETRO prærogativam, eamque perſonæ illius uni adfixam, non ad poſteros tranſituram. Quod

enim

enim ſolum adlocutus ſit Chriſtus, id ſervori eſſe datum adſerit: ad eum modum, quo qui duodecim ſervos ad vineam mittit, tametſi pari eſſe omnes conditione velit: ſiquis ſit tamen, cujus præ cæteris amorem in ſe, fidelitatemque ac diligentiam probaverit; ſolet ſpeciatim hunc adloqui, & culturam vineæ ei commendare in quo Primatus ne umbra quidem tranſparet, neque auctoritatis alicujus radiolus.

Sic & Carolus Molinæus, quo ex *Calviniſtis* nemo acrius in ſummos Pontifices debachatus fuit, iiſdem omnino cum Febronio argumentis utitur. Infert id vero, quod inferendum eſſe quivis intelligit, nullam Petri niſi honoris cujuſdam, intermorituri una cum ipſo Petro prærogativam in adlocutione, mutationeque iſta nominis tralucere.

Neque ab hac diſpar, ſed eadem collectio eſt, quam Janſeniſticus facit de Primatu ſcriptor. Et quis aliam, per Deum faceret, ſi vel opilione, ſarmentorumque & carbonum dignam bajulo intelligentiam, & vulgaris vim judicii ſecum habuerit? *Res* ecce, *res* ſiquæ in verbis ſit illis Christi apud *Matthæum*, & *Joannem*; profecto *Eccleſiæ* eſt *ſupra petram ædificatio*; tum *poteſtas & adminiſtratio Clavium*, dein *ligandi*, *ſolvendique auctoritas*, denique *ovium*, *agnorumque paſtio*. Jam ſi dicens atque conferens iſta Christus, verborum quidem, locutioniſque ac vocis ſonum ad unum direxit Petrum; ſenſum, intellectumque vero verborum ad omnes; ſi ſingulos adplicare ſibi iſta voluit, perinde tanquam dixiſſet ea ad ſingulos; ſi ad omnes reſpexit; ad omnes præcipue, ad omnes ex æquo, ſi ſic omnibus, quemadmodum Petro, promiſit, dedit, tradidit: loquere homo (volo te ipſum enim hunc arbitrum, ſi pauliſper modo attenderis, cogitationemque ſobrii hominis punctum temporis ſuſceperis) loquere, reſtatne vel tantillum, quod Petri proprium cenſeri poſſit, præter vacuum nomen, honoriſque umbram?

IV. Addet Spalatensis, & poſtquam lege tecum egerit de repetundis, dicet: cum Dominus Epiſcopatum unum, quem in ſolidum omnes cum æquali poteſtate regerent, inſtituere vellet; ideo Petrum primo unum adlocutum fuiſſe: non quod *rei* illi quicpiam præ Apoſtolis reliquis collaturus eſſet: nam id ſi feciſſet; iis verbis feciſſet, *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, tibi dabo Claves regni cælorum*, *paſce agnos meos*, *paſce oves meas*. Sed ut hoc quaſi ſymbolo demonſtraret, oportere eadem omnes conſpiratione operis & animorum, Epiſcopatum illum excolere, velut ſi ab uno homine coleretur. Quæ parabolica figuratio eſt, nec in rebus aliquid

ponit, sed rei actionisve est alicujus ad rem aliam significandam adsumptio Ad eum modum, quo ISAIAS filium suum *Sear Jasub* nominare jussus fuit: quo significabatur, reliquias populi redituras esse: tametsi neque ISAIAS, neque filius ad liberationem populi quidpiam conferret. Fateor, sunt ista inepta, sunt stolida, quemadmodum ostendam. Sed quam stolida, tam modo pro veris admittenda FEBRONIO, nec si omnes forulos vasti ingenii sui ille excusserit, inveniet, quo expedire se possit: præsertim cum rapinam præ oculis habeam, atque verba queam exhibere, quæ ex JANSENISTA BATAVO in rem eam transcripsit. Quibus quod de suo subinde hæc adsuit, (1) *antesignano* PETRO, *quem inter eos Primatem constituit*; fecit frustra, & expungere jubebitur. Quorsum enim? Non hærent. Perinde velut ita si necterem: Christus quidquid *rei*, quidquid *solidi* significabat, dum PETRO dixit, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, cæteraque, id a singulis tanquam ad se dictum voluit accipi; adlocutus tamen est unum, ut adlocutione ista ipsa unius, velut *symbolo*, & *figura* quadam doceret, velle se, ut *uno humero & in solidum ædificationi omnes incumberent*: Ergo Primatem, ergo antesignanum constituit inter eos PETRUM. Quo de ratiocinio nec tironem quidem monere necesse est: sed per seipsum intelliget ille statim, concludi, cujus nulla in antecedente sit ratio, adeoque futile & stolidum esse: non minus ac si ex eo, quod *Sear Jasub* sit dictus ISAIÆ filius, liberationemque populi isto nomine portenderit, imperatorem fuisse concluderem Israelitici contra hostes exercitus: quod neque sequitur, neque verum fuit. Statuamus igitur, quod negari non potest: aut vertiginem fuisse, jactationemque cerebri (quod siquis velit; non ei resistam, modo maximam dixerit) aut ad fucum & illudendum lectori catholico comparatum duntaxat esse, quod ex *Matthæi & Joannis* etiamnum textibus Primatum se probare, aut putat aut fingit. Quem minime probat, neque potest probare, posteaquam semel averruncavit, quæ sunt jurisdictionis & potestatis præcipuæ in illis verbis, quatenus ad unum prolatis PETRUM, comprehensa.

V. Post hæc ad Patres se quidem convertit, *Basilium*que citat, qui PETRUM *omnibus discipulis prælatum* fuisse dicit; GREGORIUM NAZIANZENUM, qui *petram vocatum*, *& fundamenta Ecclesiæ accepisse in fidem*; EPHREMUM SYRUM, qui *Apostolorum verticem ac principem designatum*; EPIPHANIUM, qui rursus *petram nominatum*; CHRYSOSTOMUM, qui *præfectura*

S *E cle-*

(1) Vide Schema subjectum.

Ecclesiæ universæ donatum, THEODORETUM, qui iterum *principem* constitutum; AMBROSIUM, qui *omnibus antelatum:* tum HIERONYMUM, AUGUSTINUM, CYPRIANUM, GREGORIUM, ALCUINUM, & RATBERTUM, qui similia de S. PETRO scripsere.

Verum pessumdatis proditisque rebus, quid juvare ista porro causam catholicam possint, nemo viderit. Atque nisi heic etiam affectatio sit maligna, quod vereri non desino, ἀπροσεξία certe est & oscitantia, quantam capere hominum indoles potest. Revertamur enim quæso ad primi Capitis primum, secundumque paragraphum: nonne secreverat jam tum ibi ac miserat nuntium illis Ecclesiæ Patribus, qui cum sint *petram* interpretati ipsam personam *Simonis* filii *Jonæ*; tum speciali & eminenti quadam ratione Ecclesiam super eum fundasse Christum, atque Claves dedisse ei scripserunt? Cur autem? ideo inquiebat, quod a se multi ostendi possint, qui petram *fidem* aut aliter interpretati sint. Ex quo ipso concludebat, ad auctoritatem, quanta dogmatis esse debet, conciliandam, certam nimirum ac decretoriam, superiores illos admitti Patres non posse: ad hoc quippe concordia opus fore, & ut in unam omnes sententiam conspirassent. Atqui ex iis ipsis, quos modo nominabam, Patribus BASILIUS *soli* PETRO Claves regni cœlorum fuisse creditas scribit. GREGORIUS vero uterque, sicut & EPIPHANIUS atque HIERONYMUS ideo *principem Apostolorum* fuisse asserunt, quod IPSE *petra* esset firma illa ac solida, cui molem Ecclesiæ Christus imposuit. (2) Quodsi *princeps* est; quia *petra* est, solus profecto petra est; neque commune id cum aliis habet. Præsertim cum & fundamenta eum GREGORIUS in suam fidem accepisse dicat, hoc est, Apostolos, qui *fundamenta duodecim* dicuntur, & incumbunt supra PETRUM, ut fundamenta domus, quæ supra petram extruitur: Quare hos quidem ex condicto dispungendos e testium numero MOLINÆUS, SPALATENSIS, SALMASIUS, & JANSENISTA BATAVUS, aliique contendent.

Universe autem qui mentionem Primatus aliquam ex antiquis faciunt, qua ratione moti sunt? id enim quærendum est, & res tota hoc uno con-

(2) BASILIUS apud FEBRON. Tom. I. Cap. II. §. I. *Beatus ille Petrus, omnibus Discipulis* PRÆLATUS, *cui* SOLI MAJORA *data quam aliis sunt testimonia, cui Claves Regni cœlorum concreditæ sunt.* GREG. NYSS. ibid. de S. PETRO: *Qui Apostolorum est caput* &c. *Dei Ecclesia in ipso solidatur.* Hic *firma & solidissima petra est, super quam Salvator* &c. Textus loco suo omnes & integri proferentur.

concluditur. Aut enim eo in hanc illi ſententiam compulſi ſunt, quod PECULIARE quiddam PETRO conceſſum putaverint, cum PETRUM nominavit CHRISTUS; cum ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ *ſuper hanc petram ædificaturum ſe Eccleſiam* dixit: cum *Claves regni cælorum* uni promiſit, cum ſubinde ovium curam illi demandavit: aut vero non ſunt moti ea ratione? ſi primum; repellendi omnes a teſtimonio erunt: neque enim conſentit FEBRONIUS: ſed pro certiſſimo ſumit, fundamentumque ac baſin doctrinæ ſuæ conſtituit, nihil in omnibus iſtis donationis contentum ſolidæ fuiſſe, quod non ad Eccleſiam totam, perindeve ad omnes Apoſtolos pertinuerit. ſin vero alterum; hoc eſt, ſi ratione non illa ducti ſint Patres; profecto quidquid de Primatu ſcribunt, id ad honoris atque ordinis referri prærogativam poterit. quam quidem ſive ætas, ſive fervor conſtantiaque fidei comparaverit PETRO, ut SALMASIUS ait, & JANSENIANUS Scriptor: ad ſucceſſores vero nequaquam ille tranſmiſerit.

VI. Ecquo igitur confugiet? ad uſum præſcriptionemque ipſam Pontificum Romanorum? At ut quiſquis hoc poſſit; non calumniator ac deriſor iſte ſanctorum poteſt. Quæ enim a primis etiam atque ſanctiſſimis Pontificibus, quantumvis pie & pro officio, geſta ſunt aliquando, quæque infinitis exinde laudibus Concilia ipſa proſecuta ſunt, & ſancti Patres commendarunt, & Eccleſia tota ſuſcepit: haud ipſe veritus eſt, intemperantiæ vitio onerare, & inter effecta recenſere collatatæ & extenſæ longius, quam par eſſet, poteſtatis. Quorum in numero prævaricatorum S. VICTOREM ponit ex ſecundo ſæculo, S. STEPHANUM ex tertio, INNOCENTIUM, CÆLESTINUM, LEONEM M, GELASIUM ex quinto; GREGORIUM item M. ex ſexto. Tum de Sancto LEONE univerſim velut de *ambitioſo* loquitur homine, & in id ſemper intento, quemadmodum Primatum ſuum explicare, dilatareque poſſet. Ego igitur ſi acatholicus forem; annon jure, quemadmodum *abuſum* ipſe vocat poteſtatis, ſic *uſurpationem* ſimpliciter vocare poſſim, quidquid exemplorum id genus adferri ſolet? (3)

VII. Quid autem Concilia? quid ſenſus fidelium? quid relationum uſus? Si JANSENISTA, SALMASIUS, MOLINÆUS, SPALATENSIS ſim; expediam quaſi per jocum me, nec bibliothecas in eum finem, ſed FEBRONIUM conſulam. Hunc reddam ſibi. Reſpondebo enim, poſtquam ex Scriptura Sanctisque Patribus Primatus probari deſiit; ſiquid eſt pluſculum aliquando

(3) Vide omnia iſta in ſchemate.

do datum Romanis ab orientalibus; consuetudine id esse factum: multa Præsulum quorundam sanctitati, multa PETRI & PAULI delata sacris exuviis fuisse. Ad hæc quoniam in Oriente tumultuatum fere identidem a novis hæresibus fuit; ideo Romam, ubi pacatiores res esse consueverant, & vetustatis retinentiores hominum animi, velut ad portum respectare solitos Orientales. Fuisse stationem hanc itaque communis fidei non tam divinitus, quam fortuna comparatam, indoleque hominum, aut Romani cœli clementia. Quodsi in literis subinde ad Pontifices datis augustiora nonnulla & magnificentius occurrant scripta; ea pro *ampullatis* locutionibus contemni posse; quas cum humanitas, tum necessitas expresserit. Addam præclarum istud: majorem vim esse superstitionis, quam fortissimorum armorum, & exercituum. (4) O præclarum vindicem Primatus!

VIII. Restat unum, quo qui catholicam hucusque causam propugnarunt, stare tutos se arbitrati sunt, ac tanquam in arce, ut PUFFENDORFIUS vocat: ex eoque sumitur, quod sit *status* Ecclesia, principatus, regnum sacrum, & una respublica, qualis neque esse, neque cogitari ulla sine Capite ac centro potest. Atque est hic quidem ille scopulus, ad quem conatus studiaque hactenus sua fregerunt, quotquot bello rem catholicam adorti sunt. Sed FEBRONIUS an tueri hanc porro stationem cum suis poterit? Immovero quis ille fuit, qui præfracte, & PUFFENDORFIO tutelari invocato Deo, Ecclesiam *statum* esse negavit? Quis hoc quasi in aurem inter strepitus lectori suo dixit, non egere Ecclesiam Capite, sed ab sese, providentiaque Dei & divini Spiritus procuratione satis firmam munitamque esse? Quis SPALATENSEM hac in re imitatus fuit? Quis JANSENISTAM BATAVUM deprædatus? Quis exscripsit, quis furtis suis adposuit, quidquid corraserat iste hæreticus, ut *solum Christum* Ecclesiæ Caput esse probaret, huncque fidei aspiciendum oculis, quemadmodum ait, ac præter illum non alio nobis rectore, non duce, non capite opus esse? Quis auxit furtum, exemplaque ex eodem sumpsit, queis nos doceret, posse tametsi falso perverseque sentientes Episcopos, modo videantur ipsi sibi orthodoxe ac pie sapere, non separare se modo ab Romano Pontifice, communioneque ejus, sed & *schismaticum* eum adpellare, & pro schismatico persequi? Quis horum omnium convinci a me rebus certis ac necessariis potest? (5)

Equi-

(4) Vide etiam hæc in schemate.

(5) Confer schema.

Equidem cum primum vidissem illum paragraphum, qui est de EXTERIORE *Ecclesiam suam moderantis Christi* ASSISTENTIA inscriptus; (6) cogitare continuo apud me cœpi, quæ hominem ratio ad fatigandum ista re calamum potuerit impellere. Neque enim in mentem veniebat Catholicus, qui, non dico, negarit procurationem illam divini Spiritus (quod qui faceret, catholicus esse non posset) sed interpretari sic eam sit visus, tanquam, ut Prophetæ olim & postea Apostoli, sic modo Episcopi, *dictantis* loquentisque *intra se* Dei oracula susciperent, & incitati profunderent. Quod minime dicimus: verum adsistere Deum tantum extrinsecus, moderarique ac regere sua providentia Ecclesiam adfirmamus: tum ne ea hæresin pro dogmate unquam admittat; tum ut ne desit aliquid, unde, cum est opus, a falsis vera secernat, ac ritis verbis definiat. Secundum hæc neque Acatholicos a FEBRONIO ista doceri valde opus esse videbatur. Nam & trita sunt, & quæ illustrandis illis congessit ex SAYWELLO, LOKIO, CAVEOQUE ANGLIS Scriptoribus, ea tametsi oculis objecta Anglorum quotidie, & a suis profecta, cogitationem tamen ad Ecclesiam remeandi Catholicam hactenus nullam illis injecere. Nihilominus quam ego in me durus esse, libenterque quod erat optimum, voluissem suspicari! nisi ANTONII DE DOMINIS obversatum animo exemplum fuisset, qui cum de instituto atque ex professo Primatum iret omnem pessumdatum, fundamentum, principiumque simile suo operi præmisit: (7) tum nisi in ingenti illa rerum, verborumque farragine quendam quasi in magnis nundinis sicarium, aut inter multas herbas non admodum utiles, aconiti, cicutæque folia deprehendissem.

Etenim quod de Conciliis universi nos ita, & ex præscripto fidei nostræ docemus; neque in libertatis violatæ, neque in negligentiæ admissæ, neque in alterius cujuscunque suspicionem vitii adduci ea posse Concilia,

 in

(6) Est Tom. I. FEBRONIANI, Capitis I. §. 6. hic Titulus: ECCLESIA HODIEQUE REGITUR EXTERIORE CHRISTI INSTITUTORIS ASSISTENTIA. INDE SUAM HABET INFALLIBILITATEM, QUÆ NON EST REVELATIONIS, SED DIRECTIONIS. HÆC NON SOLUM VERBIS SACRÆ SCRIPTURÆ, SED ET RATIOCINIIS CELEBERRIMORUM PHILOSOPHORUM ET THEOLOGORUM ANGLIÆ DEMONSTRANTUR.

(7) Antonius de Dominis L. I. de Repub. Ecclesiastica, Capitis Imi hanc summam ponit: CHRISTUS NON HABET SUCCESSORES, SED PER SE EXERCET OFFICIUM CAPITIS, ET REGIS IN ECCLESIA. INFLUXUS CAPITIS CHRISTI EXPLICATUR. CHRISTUS PERSEVERAT IN SUO REGIMINE ET SACERDOTIO. VISIBILE CAPUT TOLLITUR.

in quibus membrorum atque Capitis doctrina fuit & definitio consentiens: hac ille deserta & manumissa regula, maluit alteram ei substituere ex JANSENISTARUM officinis ac tabernis sumptam. scribit enim: *spiritus ille veritatis vigilat, & intendit conservationi sacri depositi Ecclesiæ crediti, impediendo, ne Pastores concordent ad proponendum fidelibus, & ne hi pari conformitate amplectantur aliquid, quod non sit conforme regulis fidei in Verbo Dei contentis. Quodsi in Concilio Canonicæ regulæ non serventur, & Episcopi congregati, spreta ministerii sui dignitate veritatem prodant, uti evenit in Concilio Ariminensi & Ephesino II, suscitabit Deus quosdam e fidelioribus suis, qui favore orthodoxæ fidei adversus talem prævaricationem reclament: dabit illorum verbis & actibus efficaciam, quæ seductionem dissipet, & veritati triumphum paret: iniquitas sensim detegetur, & quod initio tanquam Concilium prætenditur, ex post tanquam conciliabulum & latrocinium rejicietur.* Quibus in verbis quid lateat, quorsumque spectent, partim insinuatum jam fuit in superiore capite, partim loco suo magis dilucidabitur. Heic quidem solum adfirmamus, non valde oculatum esse eum oportere, qui causam ac finem putet inde determinandum totius *de adsistentia exteriore Spiritus sancti* disputationis: finem nimirum, ut non egere Ecclesiam aspectabili centro atque capite indicaretur; ac posse, hoc etiam resecto, vivisсere illam nihilominus, ac suis rebus prospicere.

In eadem pagina, *Totum*, inquit, *præsens opus nostrum in eo versatur, ut ejiciamus ex animis Italorum, & quorundam aliorum, ideam status monarchici.* En iterum quem ego finem fuisse dixi Disputationis istius! Ea scilicet est homini ratio, hoc artificium: ad *Primatum* quidquid alii excogitarunt evertendum: hoc ille impune sibi futurum; proque Sancto ac pio posse vendi putavit, si *monarchiæ* modo aut *status monarchici* adfectaret & substitueret nomina. Quo quidem dolo (cur enim non dicam, quod dissimulare non amplius possum?) tentandi primum, ac quasi glaucomate quodam decipiendi lectorum animi erant. Nam si *Primatus* ab initio hostem professus se esset; putassemus ab acatholico librum prodisse, neque mitius, quam id genus cætera, quibus pridem adsuevimus, eodemque loco habuissemus. Itaque insidiis opus erat, retinendumque tantisper nomen *Primatus*: quin & vindicandum aliquibus paginis: sed tum vero toto volumine ac per cuniculos destruendum, quod ædificatum heinc & inde quasi ex paleis fuerat. Interea certorum hominum procuratum industria, ut in omnes terras liber iste vulgaretur. Capiuntur præ inscitia multorum animi: laudatur opus, defenditur, extollitur. Sunt, ex sacerdotali etiam ordine, quod pudor est, quorum si ambitioni vim in-

genii

genii natura parem dediſſet; fieret, quod de ALEXANDRO ſcripſit Hiſtoricus, ut altera manu Orientem, altera Occidentem convellerent. Ab his in ſcholas liber recipitur, & commendatur diſcipulis: voratur hamus: adpellit annus ſecundus ſupra ſeptuageſimum: cumque quæ pro ſe Batavus interea quidam procuderat, ſibi vendicaſſent, rapuiſſentque arma; fit bellum apertius: non ſica ſed gladio, non latrocinando ſed bellando cœptum pugnari. Quanquam vel hoc ipſum ea illi ratione præſtiterunt, ut mihi non ſobrii, ſed plane ebrii fuiſſe videantur. Sic incurrunt etiamnum in ſeſe ipſos, ſic ſua deſtruunt, ſic confligunt ſecum. quod paulo poſtea, ubi Schema prius, de quo dixi ſubjectum oculis fuerit, libet exemplis aliquot oſtendere.

§. II.

SCHEMA CONFLICTUUM ATQUE FURTORUM, in quo oſtenditur, Primatum omnem divino Jure conſtitutum, etiam eum, quem tueri ſe FEBRONIANI ſimulant, ab iiſdem funditus & ex toto deſtrui. Quæ res quoniam ex omnium ſententia catholicorum in hæreſin cadit, fit, ut ſit altera jam vice hæreſeos convictus FEBRONIUS.

I. Schema hoc *τετραπλουν* eſt, & columnis quatuor conſtat, quarum in prima *ajentis* FEBRONII verba, in altera *negantis* exhibentur; atque hæc quidem reducta in ſeſe & colligata ſecundum legitimam demonſtrandi methodum. Primum, quas ſacræ Scripturæ, Eccleſiæque dogmatum interpretibus præfigit regulas, velut *axiomata* ſumemus. Tum in *Propoſitiones*, *corollaria*que nectemus, quæ adverſus principatum diſputat ſancti PETRI. Atque ex his, ut & reliquis, quæ de Romanis ſunt ab eo ſcripta Pontificibus, ad geometricam quam vocant evidentiam concludemus, nullum in Eccleſia Primatum FEBRONIANOS agnoſcere: nullum, qui divino jure conſtitutus ſit, ac ne eum quidem, quem tueri ſe fingunt, totque partibus ſuis mulctarunt.

II. Enimvero ſi a Chriſto ſit hujuſmodi aliquis in Eccleſia conſtitutus, non is alius eſſe poteſt præter eum, quem S. PETRUS beneficio CHRISTI obti-

obtinuit. Id quoniam ab omnibus etiam LUTHERANIS & CALVINISTIS datur; *αἰτήματος* vel *postulati* habere loco possum, & habeo. At isti non nisi honoris quandam in D. PETRO excellentiam, emortuamque & sepultam illam una cum PETRO, agnoscunt. Hæc summa demonstrationis.

Cujus ut necessitatem atque vim magis omnes intelligant, conjungam in duabus aliis columnis, primum, quæ nuperrime de eodem scripsit argumento JANSENISTA Anonymus quidam, quem ego *Batavum* adpellabo, quamvis *Londinensem* typographum liber præ se ferat: (8) deinde quæ ANTONIUS DE DOMINIS, infamis ille ab Ecclesia transfuga in damnatis libris de *Republica Ecclesiastica*. Nam isti ex professo ambo ac citra fucum & simulationem omnem contendunt, nullum esse in Ecclesia divino Jure institutum Primatum. Quare si eadem ire via FEBRONIUM constiterit; si argumentis uti iisdem; si furatum inde non modo opiniones commentaque sua, sed & verba: puto, qui neglectum a me aliquid ad demonstrationem legitimam, & absolutam numeris suis requisiturus sit, injuriam non tam mihi, quam hominum communi sensui esse facturum. Furta ut in oculos facilius incidant, litera græca Π designabo, quam heinc & inde semper adscribam.

III. Itaque is, qui CLEMENTEM XIII. Pontificem Maximum *Primum in terris Christi Vicarium* nominaverat FEBRONIUS, *Primatumque tenere* dixerat *in universa Ecclesia divinitus institutum*; idem, quis ille sit Primatus, in quarto Paragrapho secundi Capitis his tandem verbis exponit. " Qui ad genuinum sensum sacræ Scripturæ, Traditionis ac disciplinæ primorum sæculorum sapiunt; illi quamquam sciant, Claves a " Christo toti Ecclesiæ collectim sumptæ datas esse, ita ut harum jus juxta

(8) *De la* PRIMAUTE *du* PAPE, *ouvrage où l'on se propose de demontrer, que la Primauté de l'Evêque de Rome n'est qu'une primauté de rang & d'honneur, & qu'elle n'est ni d'institution divine, ni de jurisdiction.* LONDRES MDCCLXX. Textui Gallico e regione latinus respondet; sed qui vertit, is quam versatus in historia fuerit, ex eo colligas, quoniam quod gallice dicitur: LOUIS LE DEBONNAIRE, de LUDOVICO Pio scilicet Galliarum Rege, ille tanquam ex qua nescio natum familia aliquem, LUDOVICUM DEBONARIUM interpretatus est pag. 422. Ut JANSENISTAM esse, non dubites, præfationis hoc est exordium: *Licet circa præsentes Ecclesiæ disputationes tot prodierint scripta; Licet Constitutionem* UNIGENITUS *multis scaturire vitiis, ac veritates in ipsa damnatas, in Religione summas esse, palam factum sit: nihilominus quantam in dies sibi sumpserit auctoritatem nefarium illud Decretum, quis non videt?* Operis clausula est: *Malorum summam cumulabunt Pontifices, varias tum veteris, tum novi Testamenti prædictiones implendo.* (Intellige de ANTICHRISTO.) Heus! etiamnum *Phantasma* est Jansenismus, in Jesuitarum natum cerebro? etiamnum id Romæ spargi poterit?

" ta ejuſdem Eccleſiæ beneplacitum, & deſtinationem per Prælatos & An-
" tiſtites exerceatur; norunt nihilominus, quod cum Romanus Pontifex
" inter hos ſit primus, ſupremo ejus muneri adnexa eſſe debeat ſolicitudo,
" ut per univerſum orbem ſerventur Canones, ut fides illibata cuſtodiatur;
" ut iidem ritus ſubſtantiales in miniſtrandis Sacramentis adhibeantur, ut de-
" nique unam omnes eamque ſanam doctrinam moralem profiteantur.
" Quiſquis enim primus eſt in aliqua ſocietate, is lege naturali tenetur in-
" vigilare, ut leges ſocietatis ſerventur. Cum vero, qui id procurare te-
" netur, neceſſaria auctoritate inſtructus eſſe debeat, refragantes ad id com-
" pellendi mediis ſyſtemati convenientibus, & per canones in eum finem
" ſtatutis; heinc minime dubitandum eſt, quin talis auctoritas Romano
" Pontifici qua Primati univerſali competat."

Poſt hæc ſummam exhibet *reſervatorum*, ut vocat, Pontificiorum, *defluentium ſaltem utplurimum immediate ex divino Jure.* Ut: " quan-
" quam penes ſummum Pontificem ſolum legislatoria poteſtas reſpectu
" univerſalis Eccleſiæ non reſideat: in magna tamen congregandorum
" generalium Conciliorum difficultate, condere leges illum poſſe & Ec-
" cleſiæ proponere, non ante tamen valituras, quam communi conſenſu
" fuerint receptæ. Eſſe partes ejus in judicando præcipuas, ut quamvis
" irrefragabiles definitiones ejus non ſint, ſint tamen magni apud omnes
" momenti, & proviſorie ſaltem ſit illis obſequendum, quamdiu Eccle-
" ſia non reclamat. Quodſi pertinacius ſit malum; poſſe Concilia eum
" cogere, facere aliis id omittentibus: tum & referri ad eum ex univer-
" ſa Eccleſia, quæ graviora ſint, oportere: & eſſe æquum inſuper, ac pa-
" ti univerſalem Eccleſiam, ut in legibus etiam a generali Concilio latis
" ſapienter diſpenſet." Tenemus, quæ ſit notio, qui fines Primatus, quem adſertum negatum, ædificatum deſtructum, & cum corrivalibus, JANSENISTA, ANTONIOQUE DE DOMINIS everſum ab eo funditus, demonſtrare volo. Quanquam ne ſunt iſta quidem illius; ſed ELIÆ DUPINII, a quo furatus eſt: apud hunc enim in quarta, quæ eſt de *Primatu*, Diſſertatione legi poſſunt. (9) Ego, quod aliunde furtorum tantam copiam eſſe perſpicerem, in Schema hocce plagium conferre nolui. Rem

 inte-

(9) DUPIN de antiqua Eccleſiæ diſciplina Diſſert. Hiſtor. Edit. Pariſinæ apud ARNOLD: SENEUSE ann. MDCLXXXVI. pag. 335. & ſeq. a verbis: *Prima* (prærogativa) *eaque potiſſima eſt, curam habere, ut per univerſum orbem Canones obſerventur, utque fides illibata cuſtodiatur* &c.

interim unam a Lectore contendo, meminerit, qui de PRIMATU hoc modo disseruit saltem in speciem, fuisse eundem illum DUPINIUM, qui de tollendo cogitavit: immo vero qui, quemadmodum tolli omnino posset, deliberavit cum ANGLIS. (10) Magni momenti adnotatio, multoque plura, quam ego possim, aut velim hoc loco dicere, complectens. Ad JANSENISTAM veniamus.

IV. Hujus longe dispar de Primatu professio est. *Jurisdictionem* is, quod notari volo, ab *auctoritate* heic nunquam secernit, sed promiscue habet: atque adeo neque *Caput* in Ecclesia ullum præter CHRISTUM, neque *Unitionis* Ecclesiasticæ *centrum*, neque vindicem, custodemque legum, & ut universe dicam, Primatum nullum esse contendit divino jure. Quidquid dari patitur, ad προεδριαν & honorem revocari debet, quem non CHRISTUS, sed *Ecclesia* Romano Pontifici detulit. Quæ quidem omnia in fronte libri hoc modo patefacit: *Opus, cujus scopus est, demonstrare, Primatum Romani Episcopi inter alios Episcopos nullum nisi honorificum esse, & illum Primatum nec divinum nec jurisdictionis esse.*

V. Jam ANTONIUS DE DOMINIS in quo tandem desierit, res est vulgatior, quam ut adnotari a me multis debeat. Legatur Caput duodecimum primi libri, quod quasi clausula, & coronis quædam est totius de Primatu disputationis. In eo qualiscunque graduum in Ecclesia habetur varietas humano invectam jure hanc dicit, & commoditatis duntaxat causa. Quo illud spectat, quod ad numerum IX. his verbis posuit: *Omnes simul Episcopi intelliguntur unus in solidum Episcopus; eo modo, quo multi fratres indivisi, ubi nulla sunt jura primogenituræ, constituunt unicam fraternitatem in solidum, & omnes simul in solidum unicam & eandem possident hæreditatem indivisam. Et quamvis inter se,* COMMODITATIS GRATIA PARTIANTUR *interdum ejusdem hæreditatis possessiones, ut unus curam gerat unius, & alter alterius: adhuc tamen tota hæreditas est una omnium simul, & jus in eam totam est in unoquoque eorum ex æquo, totum impermixtum & indivisum.*

Illud quoque, quod ad Numerum XX. ubi cum argumentum sibi objecisset; *si in singulis Ecclesiis toti Clero unus præest Episcopus; Episcopis vero omnibus unius provinciæ unus Metropolitanus & in Majoribus urbibus Primates, & Patriarchæ: cur non toti debeat Ecclesiæ præesse unus, cui* Prima-

(10) Vid. supra Cap. I. Art. I. §. IV. Notam 14tam.

Primates quoque & Patriarchæ ſubjiciantur? *Reſpondeo*, inquit, *Hierarchiam & ſubordinationem inter Epiſcopos ab ipſamet Eccleſia, ſolo jure humano Eccleſiaſtico ad vitandas confuſiones eſſe introductam: alioquin ex primaria inſtitutione omnes hi æquales ſunt in poteſtate, jure divino. Et quamvis ad vitandam ut dixi, confuſionem inducta ſit hæc hierarchia, intantum tamen inducta eſt, in quantum ſufficit ad prædictum finem. Schiſmatibus autem ſufficienter occurritur, ſi alii aliis ſubjiciantur, quouſque commode hierarchicum hoc regimen exerceri poſſit. Itaque in una Eccleſia uni Epiſcopo ſubduntur Parochi: Plures Epiſcopi illius provinciæ jure Eccleſiaſtico uni ſubduntur Archiepiſcopo: Metropolitani plures uni Primati: Primates vero uni Patriarchæ ejuſdem plagæ orbis terrarum. Non tamen conceſſerim, Eccleſiam univerſam, cum ſit una, ab uno univerſali debere regi gubernatore.*

His ita poſitis quoniam de ſententiis eſſe dubium amplius non poteſt, ipſum Schema ſubjicio.



SCHEMA
CONFLICTUS ATQUE FURTORUM.

MONITUM. Regulæ, Propoſitiones, Corollaria, Scholia, ſi FEBRONII concepta verbis ſint, FEBRONIANA nominabuntur; ſi noſtris; ponentur ſimpliciter: nulla interim ponemus, niſi a FEBRONIO admittenda neceſſario. Cæterum meminiſſe Lectorem volumus, in Janſeniſtico citando libro, editione nos uſos latino-gallica. Quocirca tametſi oratio ſit maxime continens: in paginarum tamen nominatione haud continui ſunt numeri, ſed exempli cauſa 1. 3. 5. vel 2. 4. 6. &c.

PARS I.
De Primatu S. Petri.
FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *Primatum in Eccleſia divino jure inſtitutum adſtruens.*	FEBRONIUS *Primatum hunc deſtruens.* REGULÆ *interpretandi ſcripturam.*	JANSENISTA *Anonymus.*	ANTONIUS DE DOMINIS.
Bini illi textus (*Tu es Petrus* &c. *Paſce agnos meos*) *Matthæi* XVI. & *Joannis* XXI. non obſcure indicant præcipuum aliquid in Petro præ reliquis Apoſtolis. To. I. Cap. 2. §. 1. p. 89.	1. Cum Scripturam ſacram pro ſui & altitudine, & obſcuritate, non uno eodemque ſenſu omnes accipiant, ſed aliter atque aliter alius atque alius itnerpretetur; ob id Ss. Doctores accepimus, quo eorum catholicam & univerſalem intelligentiam, tanquam Eccleſiæ regulam a Deo præſcriptam ſequeremur. *Tom. I. Cap. 1. §. 1. p.* 2. ex VINCENTIO LIRINENSI.		
	2. Ec-	JAN-	AN-

FERONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adſtruens.*	FEBRONIUS *deſtruens.*	JANSENISTA *Anonymus.*	ANTON. DE DOMINIS.
	2. Eccleſiæ ſequantur, neceſſe eſt, Univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. *Ibid. p. 3. N. 2. ex eod.* 3. TRIDENTINUM Seſſ. IV. ad authenticam ſcripturarum interpretationem requirit unanimitatem. *Ibid. pag. 4. N. 4.* TRIDENTINUM ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, ſacram ſcripturam ad ſuos ſenſus contorquens, eandem contra unanimem conſenſum Patrum interpretari audeat. *Cap. I. §. 4. pag. 23.* 4. Cæteris etiam paribus, & ubi multorum & magnorum Magiſtrorum conſentientes ſententiæ haberi non poſſunt; traditio ex diutina & conſtanti multorum ſæculorum obſervantia multo certius eruetur, quam ex nudis verbis ſcriptorum,		
	t 2 maxi-	JANS. *De*	ANT. *Lib. I.*

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*	FEBRONIUS *destruens.*	JANSENISTA *Anonymus.*	ANTON. DE DOMINIS.
	maxime quando ea tam varia sunt, ut alia in hanc, alia in illam sententiam trahi posse videantur. *Cap. I. §. I. p. 4. N. 3.* COROLLARIA. 1. Argumentum igitur ex scripturis certum formari non potest, ubi unanimem ejus interpretationem non suppeditant Patres. 2. Neque ex Patribus potest, ubi verba eorum tam varia sunt, ut alia in hanc, alia in illam sententiam trahi posse videantur:		

Argumentum primum Catholicorum ex textu Matth. XVI.

Tu es PETRUS, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo Claves Regni Cælorum.*

	PROPOSITIO FEBRONIANA. In interpretandis MATTHÆI, JOANNISque textibus Patres infinite absunt ab illa unanimitate, quam	*De Primatu Rom. Pontif. opus, cujus scopus est &c. pag. 4.* CHRISTUS, inquiunt, Primatum honoris & jurisdictionis in cæteros Apostolos &	*Lib 1. de Repub. Eccles. Cap. 6. N. 3.* Nomen *petræ* (*in textu illo* MATTHÆI, *Et super hanc petram*) varias habet interpretationes & explicationes,

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *astruens.*

FEBRONIUS *destruens.*

quam TRIDENTINUM sess. IV. requirit. *Feb. Tom. I. Cap. I. §. I. p. 4. N. 4.*

DEMONSTRATIO FEBRONIANA

Variis modis hunc textum SS. Patres interpretantur.

Primo multi per *petram* hanc intelligunt *fidem*, seu *confessionem*, quam de CHRISTI Divinitate PETRUS fecerat. Hoc agunt HILARIUS &c. In eandem sententiam seu sensum ab eruditis laudantur saltem 35. Patrum & antiquorum graviorum Scriptorum commentarii. *Cap. I. §. II. pag. 13. N. 1.*

Alii per *Petram* intelligunt JESUM CHRISTUM. Facit hoc S. AUGUST. Tract. CXXIV. in JOANNEM, ubi: *Ecclesia fundata est super petram, unde PETRUS nomen accepit. Non*

JANSENISTA *Anonymus.*

& in omnes fideles PETRO dedit, dicens: *Tu es* PETRUS &c. At in hoc argumento supponitur Apostolum PETRUM ipsam esse *petram*, super quam erat ædificanda Ecclesia CHRISTI: Hoc autem NIHIL INCERTIUS, cum plerique Patrum hujus *Petræ* nomine ipsum intellexerint CHRISTUM; (*in margine*) LAUNOIUS 16. numerat Patres sive Ecclesiasticos Auctores sic hunc textum exponentes, aut quod in idem recidit, CHRISTI divinitatis *fidem*, quam modo PETRUS confessus erat. (*In margine*) Idem LAUNOIUS, 44. Patres aut Scriptores Ecclesiasticos hujus interpretationis patronos laudat.

Pag. 6. Immo nonnulli eorum, textum hunc interpretando, ab ejus sensu PETRUM ex-

ANTON. DE DOMINIS.

nes, ex quibus locus totus MAXIME OBSCURUS redditur & PERPLEXUS.

Ibid. Num. IV. Quatuor affert sententias BELLARMINUS, quarum primam dicit esse catholicorum communem; secundam ERASMI; tertiam CALVINI; quartam LUTHERI. - - - ERASMUM sentire, *omnem hominem fidelem* esse hanc petram. - CALVINUM, CHRISTUM ipsum per petram significari - LUTHERUM, CENTURIATORES, aliosque ejusdem Ordinis, *fidem* seu *fidei confessionem* esse petram.

Subin a N. V. ad XXV. ostendere conatur SPALATENSIS, *omnes has expositiones non magis* ERASMO, CALVINO, LUTHEROque, *quam celeberrimis in Ecclesia Patribus tribuendas*

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Febronius *adstruens.*

Febronius *destruens.*

Non enim a Petro *petra, sed* Petrus *a petra &c. &c. Ibid. p. 14. N. 2.*

Communior autem sententia est eorum Patrum, qui verba de Petro quidem accipiunt, sed ita, ut quemadmodum Petrus Domino *omnes* interroganti suo & condiscipulorum suorum nomine respondit; ita & in replica Christi cum Petro intelligantur *reliqui* quoque *Apostoli.* Sic Origenes, Hieronymus, Augustinus, Leo, Theophylactus &c. &c. *Ibid. p. 15. N. 3.*

COROLLARIUM

necessario inferendum.

Igitur ex verbis: *Tu est Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* argumentum certum formari non potest.

Pro-

Jansenista *Anonymus.*

expressis verbis excluserunt. Sic Augustinus: *Et supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: non supra* Petrum, *quod tu es, sed supra petram, quam confessus es.* Hanc autem interpretationem quis hæresis nota audebit inurere? Quæ si catholica fuerit; fide ergo catholica permittitur, & personam Petri & quodcunque ipsi proprium privilegium a sensu verborum istorum excludere.

Pag. 28. Commentitio hujus Apostoli Primatui non magis patrocinantur cæteri Patres, qui Ecclesiam dixerunt super Petrum ædificatam, cum EANDEM PRÆROGATIVAM nulli ejus Collegarum denegent.

Animadersio.

Videt lector, scriptorem hunc tam a Fe-

bro-

Anton. de Dominis.

das esse. Secundam doceri ab Origine, *tertiam ab* Augustino, Hieronymo, Tertulliano, Prospero, Ambrosio, Leone M. &c. &c. *Quartam ab* Hilario, Epiphanio, Victore Antiocheno, Cyrillo, Augustino, *ac fere ab omnibus. Tum ad primam revertitur, quam communem* Bellarminus *dixerat: prolatisque, qui eam tradunt, Patribus, subjungit:*

Cap. 6. N. XXV. His assentio & ipse libentissime, atque hunc sensum Evangelica illa verba posse habere, ita puto, ut tamen temerarium esse censeam, hoc solo sensu retento, duos præcedentes omnino excludere. Hanc itaque interpretationem

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*

FEBRONIUS *destruens.*

PROPOSITIO II. FEBRONIANA.

CHRISTUS ipse est unicum & primarium fundamentum suæ Ecclesiæ; & si sanctus PETRUS dicatur *secundum & ministeriale* fundamentum; debebit & TANTUNDEM asseri de reliquis Apostolis. *§. II. pag. 15 N 3. in contextu.*

Demonstratio eruta ex sensis FEBRONII. Si in interpretationum illa varietate dandum est aliquid Patribus; ii sequendi sunt, quorum communior est sententia & interpretatio. Sed ii, quorum est communior interpretatio, verba ita accipiunt, ut cum PETRO reliqui quoque intelligantur Apostoli. Ergo.

Scholion Febronianum.

Quanquam nonnulli Patres in hunc

U lo-

JANSENISTA *Anonymus.*

BRONIO, *quam a* SPALATENSI *discrepare hac una re, quod ipse de* CHRISTO *malit vocabulum* PETRA *interpretari; isti duo vero fateantur communiorem & consentaneam magis textui esse interpretationem, si de* PETRO *intelligatur. Convenire interim illum cum utroque his in tribus. imo Quod ex varietate expositionum* INCERTUM *putet omnino reddi, an ad personam* PETRI CHRISTI *verba pertineant. 2do Quod saltem non ad solum* PETRUM, *sed ad omnes Apostolos referenda esse contendat. 3tio proin, quod nihil solidæ rei datum* PETRO *præ aliis Apostolis fuisse concludat. Accidentalis igitur & momenti nullius est ista dissensio: revera ad unum scopum tendunt, & via eadem.*

JAN-

ANTON. DE DOMINIS.

nem *petræ* pro ipsomet PETRO, ut fortasse literæ congruentem admitto nunc & probo &c

Post pauca:

Jam vero admissa etiam hac interpretatione, laborandum, ut ostendatur, *solum* PETRUM fuisse hoc Ecclesiæ fundamentum, a Christo destinatum, & primarium lapidem collocatum, adeo ut *aliis Apostolis* hoc neque conveniat, neque a CHRISTO idem fuerit concessum.

Post hæc toto reliquo capite probare nititur; PETRUM *non magis, quam omnes Apostolos fundamentum dici Ecclesiæ debere,* idque Patres sensisse fere omnes catholicæ Ecclesiæ propugtores.

Post longam recensionem Patrum concludit N. L.

Nos

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*

FEBRONIUS *destruens.*

locum Evangelistæ differentes, S. PETRO, figuram sacrorum verborum, quod scriptoribus Ecclesiasticis familiare est, retinentes, eum specialius applicent: inde tamen haud sequitur, quod reliquos Apostolos, horumque successores ab illius *vera significatione* ac *sensu*, & a CHRISTI, Collegium Pastorale instituentis *intentione* excludant. *Ibid. p. 18. N. 5*

COROLLARIUM I. evidenter consequens.

Igitur verbis Christi: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, probari non potest, esse REI quiddam præcipuæ, aut solidum aliquid præ aliis Apostolis collatum PETRO.

Demonstratur. Quod dicitur: *Tu es Petrus*, non *rem* ali-

JANSENISTA *Anonymus.*

JAN-

ANTON. DE DOMINIS.

Nos ut arbitror, clarissime ostendimus ex celeberrimis, quibusque Catholicæ religionis Patribus fundamentum primarium esse CHRISTUM; secundarium vero, id est, proximos lapides fundamentales super vivæ petræ solo, quæ est CHRISTUS, immediate inhærentes esse *omnes Apostolos*, qui primi a Christo instructi in fide, facti sunt fundamentum cæteris fidelibus.

Paulo infra Cap. 6. N. L. Certum igitur & evidens redditur, nihil in hoc singulare supra cæteros PETRUM habuisse, nisi ad summum excellentiam quandam, quatenus in prædicanda fide, indefesso labore, cæteros facile undecim superarit, & multo plures ad fidem converterit, sibique univerit in credendo,

Addit,

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*

FEBRONIUS *destruens.*

aliquam, sed solam nominis significat prærogativam, si secundum se accipiantur verba. Deinde quod subditur: *Et super hanc petram,* nihil aliud significant eæ voces, quam *ædificationem Ecclesiæ supra petram. Res* igitur significata & quidquid *solidi* continetur ista phrasi, non est, nisi *Ecclesiæ supra petram ædificatio.* Sed imprimis incertum est, an ad personam PETRI pertineant, ista verba: *Et super hanc petram,* (per Propos. 1.) Deinde si etiam pertineant; ad omnes *ex æquo* pertinent, & debet TANTUMDEM de reliquis dici Apostolis (per Propol. 2.) & quidem *ex ipsa loci vera significatione, sensu,* INTENTIONE que Christi (per Scholion) Porro tantum datur, quantum ver-

* JANSENISTA *Anonymus.*

ANTON. DE DOMINIS.

Addit, Num. LI. & hanc fortasse causam fuisse nominis mutati, vigorem nempe fidei (scilicet personalem) *idque* TERTULLIANNM *videri sensisse. Cæterum* Respondeo, ait, in sola præcise nominis mutatione me exiguum, aut vix ullum mysterium invenire, si petræ significationem, & fundamenti rationem, ac promissionis illius, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* virtutem separemus.

En corollarium ex FEBRONII *placitis a nobis deductum.*

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Febronius *adstruens.*	Febronius *destruens.*	Jansenista *Anonymus.*	Anton. de Dominis.
	ba significant, estque intentio ac sensus dantis. Nihil igitur REI præ aliis datum est Petro. COROLL. II. perinde evidens. Petrus, quantum probari potest ex verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petram,* nihil accepit, quod ad successorem peculiari quadam ratione transmitteret. *Dem.* Quod enim accepit peculiare, solum nomen est. (per Coroll. præcedens) Sed hoc non transmisit, ut patet. Ergo. J. Q. E. D. Objectio, quam P. Viator a Cocaleo Febronio fecerat, & ab eodem soluta in hunc modum sub nomine Danielis Bertoni. *Tom. III. Tit. I. §. I. pag. 1. 2. 3.* Italus	Jan-	*En*

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*	Π FEBRONIUS *destruens.*	Π. JANSENISTA *Anonymus.*	ANTON. DE DOMINIS.
	Italus noster, sive ergo; ait, pro petra sumatur persona Petri, sive ejus fides, vel objectum propriæ religioni propositum, Christus nempe, perinde est. Hæc enim omnia in persona Petri includebantur.		
	Sed errat vir bonus, si hoc quale quale inventum componendis Patrum sententiis servire posse arbitretur: Quandoquidem horum plures Petrum a sensu per Christum intento directe excludunt. Hoc facit Augustinus Serm. XIII. de verbis Domini. Idem Serm. 270. in die Pent. similiter Ambrosius de Incar. Cap. V. N. 34.	Nonnulli Patrum textum hunc interpretando, ab ejus sensu PETRUM expressis verbis excluserunt. Sic AUGUSTINUS &c. *pag.6.*	Cap. 6. N. N. VIII. & XXV. *Multus est* SPALATENSIS *in* AUGUSTINI *illo loco ostentando, ubi petram* CHRISTUM *interpretatur, non* PETRUM. *Idem tamen, quia &* PETRUM *probabiliter intelligi dixit: concludit* DE DOMINIS, *rem quasi in ancipiti esse.*
	Non diffiteor, verba ista, *supra petram ædificabo Ecclesiam meam*, a quibusdam Patribus ipsi Petro fuisse adscripta. Verum iidem Patres & alii eandem prærogati- vam	Non diffiteor, verba ista, *supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* a quibusdam Patribus PETRO fuisse adscripta *pag. 24.* *Pag. 28. & seqq.* Cæ-	Tex-

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Febronius *adſtruens.*	Π Febronius *deſtruens.*	Π Jansenista *Anonymus.*	Anton. de Dominis.
-	vam nulli ejus collegarum denegant. In hunc cenſum referuntur Origenes in Matthæum Tom. XII. p. 275. Tertull. Lib. IV. contra Marc. n. 39. Hilarius in Pſalm. LXVII. n. 10. Hieronym. in Cap. 2. & 62 Iſaiæ. Cyrillus in Iſaiam Lib. IV. Orat. 2. pag. 4 & 6. Tom. V. Edit. Baſ. S. Cyprian. Epiſ. 27. cujus verba dabimus infra Tit. VI. §. I.	Cæteri Patres, qui dixerunt Eccleſiam ſuper Petrum ædificatam, eandem prærogativam nulli ejus Collegarum denegant. *Si vero*, inquit Origenes, *ſuper unum illum ſolummodo* &c. in Matt. Tom. XII. N. II. Tertull. Lib. IV. adverſus Marc. N. 39. Hilarius in Pſ. LXVII. N. 10. Hierony. L. I. adv. Jovin. & in Cap. 2. & 62. Isaiæ. Cyrillus In Isaiam L. IV. orat. 2. *Horum omnium ipſe verba adſcribit.*	*Textum* Origenis, *item* Tertulliani, Hilarii, Hieronymi, Cyrilli *citat N. N. IV. V. VI. XLV.*
	Sic pariter ſenſit, ſcripſitque Nicolaus PP. III. in ſexto Decret. Tit. de Elect. Cap. 17. Nempe *fundamenta militantis Eccleſiæ in montibus ſanctis &c. &c.*	Ipſe Romanus Epiſcopus Nicolaus III. eandem confitetur veritatem (ad marginem: In 6. Decr. L.I. de Elect. c. 17.) ſequentibus verbis: *Fundamenta militantis Eccesiæ in montibus ſanctis* &c. &c.	
	Tanto majoris momenti eſt hoc teſtimonium, quod a R. Pontifice profectum ſit eo Sæculo, quo tantam Sedes Romana ſibi ſumpſerat auctoritatem.	Magni ſane momenti teſtimonium ab Epiſcopo Romano, &	Nicolaum *quoque N. XLVI.*
	Pon-	eo	An-

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Febronius *adstruens.*	II Febronius *destruens.*	II Jansenista *Anonymus.*	Anton. de Dominis.
	Pontifici jungamus Cardinalem magni nominis Nicolaum de Cusa *Lib. II. de Concordantia Cathol. cap. 13.* Sic loquentem: scimus quod Petrus nihil plus potestatis a Christo recepit aliis Apostolis &c. &c. &c. Eandem veritatem in scripturis sacris manifeste depositam videmus, scilicet imprimis, ut dixit Cusanus Apoc. Cap. XXI. v. 14. deinde ad Ephes. II. v. 20. *Sequitur in textu apud Matth.* Et tibi dabo Claves Regni Cælorum; quodcunque ligaveris super terram &c.	eo sæculo editum, quo tantam Sedes Romana sibi jam sumpserat auctoritatem. Ipsi comitem jungamus virum non inferioris notæ Cardinalem Nicolaum de Cusa (de conord. Cath. L. II. c. 13.) dicentem: Scimus, quod Petrus nihil plus potestatis a Christo recepit aliis Apostolis &c. &c. Eandem autem veritatem in Scripturis sacris manifeste depositam videmus. Scribit enim (Apoc. XXI. 14.) Joannes Apostolus: *Murus civitatis* &c. Paulus vero (Eph. II. 20.) *Superædificati super fundamentum &c.*	Qui hunc alterum Nicolaum, sententiamque continuo subjicit. *ibid.*
	Pro-	Jan-	Ant.

FEBRONIUS SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Febronius *adstruens.*	Febronius *destruens.*	Jansenista *Anonymus.*	Anton. de Dominis.
	Propositio III. FEBRONIANA. Habent Apoſtoli, æque ac Petrus, immediate a Christo Claves Eccleſiæ cum poteſtate gregem Dominicum paſcendi, nec non ligandi atque ſolvendi. *Intelligitur propoſitio non eo tantum ſenſu, quod etiam Apoſtolis ſit alibi poteſtas data remittendi peccata, ut* Joannis *XX. Sed quod his ipſis, quæ ad* Petrum *dicta ſunt: Et tibi dabo Claves, quidquid* Petro, *id & aliis datum ſit. Profertur enim a* Febronio *propoſitio in commentario ad tertiam, eamque communiorem, ut ait, interpretationem verborum* Christi *apud* Matthæum: *Et ſuper hanc petram &c.*		
	Demonſtratur autem hoc modo. Continens eſt oratio		

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*

FEBRONIUS *destruens.*

tio Christi, & ad unum diriguntur omnia: *Tu es* PETRUS, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo Claves Regni Cælorum: quodcunque ligaveris* &c. sed priora illa, *Et super hanc petram* &c. si ad PETRUM ex communiore interpretatione pertineant; pertinent ita, ut non minus ad alios referri debeant, & quidem ex *vera significatione verborum*, deque *sensu & intentione Christi.* Igitur & ista: *Et Tibi dabo Claves*, ad omnes sic pertinent. Habent igitur Apostoli, æque ac PETRUS, immediate a Christo Claves, & quidem per verba: *Tibi dabo Claves regni cælorum.* Q. E. D.

II *Confirmatur ex iis, quæ sub nomine* DANIELIS BERTONI FEBRONIUS disputat

X l.c.

JANSENISTA *Anonymus.*

Pag. 48. 50. 51. 52. 54. 56. 58. II CHRISTUS adloquens PETRUM addit: *Et tibi dabo Claves regni cælorum* &c. Qui putant Episcopos Romanos Jurisdictionem in universam Ecclesiam a PETRO hæreditate accepisse,

hæc

ANTON. DE DOMINIS.

Cap. VII. N. III. Monstri simile fuerit, ad PETRUM solum promissionem hanc, ipsiusque executionem adeo arctare, ut claves Apostolis aliis neque fuerint promissæ a Christo, neque datæ.

Post

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adſtruens.*

FEBRONIUS *deſtruens.*

l. c. p. 4. Revertor, *inquit*, ad Caput XVI. MATTHÆI, ubi Chriſtus PETRUM adloquens, præmiſſis addit: *Et tibi dabo Claves* &c. Qui Episcopos Romanos monarchicam Juriſdictionem in univerſam Eccleſiam a PETRO hæreditate accepiſſe putant, ii cum Italo noſtro in his Salvatoris verbis ſe præcipue fundant. Per me id licet; dummodo non negetur cæteros quoque Apoſtolos eaſdem Claves regni cœlorum non minus accepiſſe. Eas enim ſicut PETRO, ita & aliis traditas fuiſſe teſtantur Patres omnes, ſignanter ORIGENES, CYPRIANUS, HILARIUS, HIERONYMUS, AMBROSIUS, GAUDENTIUS, AUGUSTINUS, BEDA. E multis ſeligamus paucos. *An etiam* (quærit ORIGENES in *Matth.* Tom.

JANSENISTA *Anonymus.*

hæc alia Salvatoris verba tanquam inexpugnabile opinionis ſuæ argumentum obtrudunt. Per me licet: dummodo cæteri Apoſtoli eaſdem Claves regni cœlorum a Chriſto non acceperint. Sed eas ſicut PETRO, ita & aliis traditas fuiſſe teſtantur Patres omnes. CYPRIANUS enim hæc habet: *Loquitur Dominus ad Petrum* &c: *An etiam*, quærit ORIGENES (in MATTHÆUM T. 12. N. II.) *Soli Petro dantur a Domino Claves* &c. HILARIUS omnes Apoſtolos compellans ſic eos adloquitur &c. Eadem eſt omnino HIERONYMI doctrina (L. I. adv. Jov.) *At dicis*, inquit, *ſuper Petrum fundatur Eccleſia* &c. Idem teſtantur AMBROSIUS, GAUDENTIUS, AUGUSTINUS, THEOPHYLACTUS, & BEDA. *Sub-*

ANTON. DE DOMINIS.

Poſt pauca:

Imo jam oſtendo, nihil promitti, aut dari PETRO illis verbis, *Tibi dabo Claves* &c. quod aliis promiſſum non fuerit, & ab ipſomet CHRISTO conceſſum. Hoc enim Patres & animadverterunt, & expreſſerunt.

Recitat eaſdem deinde N. IV. ſententias CYPRIANI, ORIGENIS, HILARII, HIERONYMI, GAUDENTII, AUGUSTINI, AMBROSII, THEOPHYLACTI, & BEDÆ, *quas etiam Janſeniſta Anonymus.*

ANT.

FERONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS

FEBRONIUS *adstruens.*

II FEBRONIUS *destruens.*

Tom. XIII. N. II.) *soli Petro dantur a Domino Claves* &c. Nec aliter Divus HIERONYM. Lib. I. adversus *Jovinianum*, ubi, *at dicis*, inquit, *super Petrum fundatur Ecclesia* &c. Demum ut alios prætermittam, S. AUGUSTINUS sermone 149. de verbis Act. X. & sermon. 295. in Natali Apost. PETRI & PAULI: *Nunquid istas Claves Petrus accepit, & Paulus non accepit?* &c.

II JANSENISTA *Anonymus.*

Subjicit horum sententias, & AUGUSTINI quidem hanc:

AUGUSTINUS sermone 149. de verbis. Act. X., & serm. 295. in Natali Apostolorum Petri & Pauli: *Nunquid istas Claves Petrus accepit, & Paulus non accepit?* &c.

ANTON. DE DOMINIS.

Verum inquit cum suis Romanis Italus noster, si per hæc verba *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, & per illa *Tibi dabo Claves regni cœlorum*; NULLUM SINGULARE PRIVILEGIUM, (PETRO dederit Christus: *hæc subintellige: nam præ exscribendi celeritate omissa sunt*) cur ergo ea proferens, ad PE-

At, inquiunt, si per hæc verba: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; si pariter per ista: *Tibi dabo Claves regni cœlorum*; nullum singulare privilegium PETRO dederit CHRISTUS; cur ergo ea proferens, ad PETRUM sermonem vertit? Id fecit, respondent Patres, ut significaret unitatem Ecclesiæ. Pro-

N. XIV. Restat illud Monarchicis subterfugium, quod præsentibus cæteris Apostolis, cum PETRO solo CHRISTUS loquatur, & soli PETRO dicat: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:*

Cui respondet post longas ambages N. XVII.

Quæramus ex CYPRIANO, HIERONYMO, AU-

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*

II FEBRONIUS *destruens.*

PETRUM sermonem vertit? Respondent Patres, signanter CYPRIANUS, PACIANUS, OPTATUS, AUGUSTINUS, alii, noluisse Dominum de sua Ecclesia & Clavium potestate loqui, nisi uni, ut hujus Ecclesiæ significaret unitatem, & Apostolos moneret, ne singularem Ecclesiam singuli meditarentur fundare. Sed ut in unius ejusdemque Ecclesiæ ædificationem omnes humero uno & in solidum incumberent. *

Adjecit hoc loco, quæ JANSENISTA *alibi posuit*: Antesignano PETRO, quem inter eos Primatem constituit: *de quo additamento statim.*

COROLLARIUM
evidenter consequens.

Igitur & per ea verba: *Tibi dabo Claves regni cælorum, quodcunque ligaveris* &c. NULLUM SINGU-

II JANSENISTA *Anonymus.*

Profert verba CYPRIANI, *ac pergit:*

Id est, noluit Dominus de Ecclesia sua, & Clavium potestate loqui, nisi uni, ut hujus Ecclesiæ significaret unitatem, ne singularem Ecclesiam singuli meditarentur fundare, sed in unius ejusdemque Ecclesiæ ædificationem omnes humero uno & in solidum incumberent.

Subjicit deinde testimonia & verba PACIANI, OPTATI, *&* AUGUSTINI: *ac concludit,*

Fuisse utique prærogativam *aliquam* PETRI, quod a CHRISTO tanquam personam sustinens Ecclesiæ fuerit electus: *sicut &* JOANNIS *quædam fuit*, quod a Christo præ cæteris diligeretur. *Sed* sicut nullam in JOANNE, ita nullam & in PETRO auctoritatem singularem adstrui hac prælatione. *Rationem-*

ANTON. DE DOMINIS.

AUGUSTINO, & similibus, quid ipsi in eo agnoverint mysterii.

Tum CYPRIANI *prolatis verbis iisdem, quæ & Anonymus profert.*

Quodnam igitur, (inquit N. XVIII.) hoc mysterium? Cur CHRISTUS uni PETRO loquitur, ubi de danda potestate regiminis Ecclesiæ verba facit, quam tamen potestatem esset æque omnibus concessurus? *Ut Unitatem,* inquit CYPRIANUS, *manifestaret* &c. Cum uno solo nimirum CHRISTUS loquitur, ut cæteri animadvertant, eos omnes *simul & in solidum* unicam Ecclesiam suis laboribus & fundaturos & recturos: neque divisionem cogitarent, quasi singuli per se suam quisque Eccle-

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Febronius *adstruens.*

Febronius *destruens.*

GULARE PRIVILEGIUM PETRO, nihil solidi, nihil rei alicujus præcipuæ, quæque ad successorem transitura esset peculiari modo quodam à Christo datum est.

Demonstratur ex verbis a FEBRONIO sumptis, concessisque: *Nullum singulare privilegium.* Deinde quidquid *rei* illis verbis conceditur: *Et tibi dabo Claves* &c. æque ad omnes, & ad totam Multitudinem pertinet, & quidem de vero *significatu verborum, deque sensu & intentione Christi.* (Per prop. 3.) Tota, quamobrem ad PETRUM directa sint verba, hæc ratio est, ut hoc symbolo, hac parabola docerentur Apostoli, non quemque suam sed omnes unam debere Ecclesiam ædificare. Nihil igitur rursum PETRO præter,

Jansenista *Anonymus.*

nemque repetit, quod Christus omnibus Ecclesiæ Ministris dixerit, quod uni PETRO dicere VIDEATUR. *Quæ conclusio legitima est; & respondet Corollario nostro, ut patet.*

Antonius de Dominis.

clesiam erecturus esset, & detenturus.

Subdit AUGUS. OPTATI, *aliorumque testimonia.*

CONCLUSIO CAPITALIS.

N. XXI. Itaque PETRUS *præfertur*, dum præteritis aliis, ipse a CHRISTO assumitur, modo explicato, in significationem unitatis unius corporis Senatus Apostolici. *Præfertur*, non *præficitur*; hoc jurisdictionis est, illud tantummodo comparationis: ut si quis dicat aurum præferri argento. - - Quod autem PETRUS ad hoc fuerit assumptus, ut præses esset cæterorum, cui nomine omnium, CHRISTUS soli gravissimum negotium fundandæ, & regendæ Ecclesiæ communicaret, *erat prærogativa valde eminens, sed personalis.*

ANIM-

ANIM-

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*	FEBRONIUS *destruens.*	JANSENISTA *Anonymus.*	ANTON. DE DOMINIS.
	ter nomen relinquitur. Nihil, præterquam quod in symbolum adsumptus sit, aut rectius in materiam, objectumque symboli. Nam ipsum symbolum adlocutio est illa potius unius. Hac igitur sola re præferri omnibus meruit. COROLLARIUM 2. *perinde evidens.* Debent itaque, velit nolit FEBRONIUS, expungi omnino verba, quæ ad JANSENISTAM adsuit, suntque asterisco superius indicata: *Antesignano Petro, quem inter eos Primatem constituit.* Hæc quippe cum suis pugnant: NULLUM SINGULARE PRIVILEGIUM *dedit* PETRO CHRISTUS. Neque adhæc vi ulla, aut quavis arte ex verbis Christi deduci possunt (per Corol. præced.) Ergo Q. E. D.	ANIMADVERSIO. *Admittit Anonymus primatum* ORDINIS *quendam in* PETRO, *sed sine potestate, auctoritateque ulla, minus talem, qui hæreditarius futurus esset. Atque hoc sensu scribit infra, ubi Matthæi illum locum exponit: Primus Simon, qui dicitur* PETRUS. Ipsorum enim antesignanus erat a CHRISTO positus primus, qui Apostolorum choro præesset. *Scilicet ut communi conjunctaque opera, & collatis consiliis, præeunte* PETRO *in ædificationem Ecclesiæ incumberent.*	ANIMADVERSIO. SPALATENSIS *non alio sensu* PETRUM *antesignanum, caput, præsidem adpellari patitur, quam Jansenistam id pati vidimus.*
	Nisi	JAN-	AN-


FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Febronius *adstruens.*	Febronius *destruens.*	Jansenista *Anonymus.*	Anton. de Dominis.
	Nisi forte, Antesignanus *cum dicitur* & Primas, *id eo sensu dicatur, quo* & Spalatensis, & Jansenista Anonymus *haud sunt difficiles, ut* Antesignanum & Primatem *fuisse concedant.*		

ARGUMENTUM ALTERUM CATHOLICORUM
EX TEXTU JOANN. XXI.

Petre amas me &c. Pasce oves meas.



Cap. II. §. I. N. 2. Bini illi textus Matthæi XVI. v. 18. & Joannis XXI non obscure indicant, præcipuum aliquid in Petro præ reliquis Apostolis.	Propositio Februniana. *Tom. I. Cap. I. §. III. pag. 21.* Si Patres Ecclesiæ audiamus, etiam *Joannis XXI.* ubi Petrus de amore Christi ter interrogatus, ter oves ejus pascendas accepit per verba: *Pasce agnos meos, pasce oves meas*; Christi verba in persona Petri ad omnes Pastores Ecclesiæ diriguntur. Ita	*Pag. 74.* Esto voces istæ, *Pasce oves meas*, mandatum exprimant de omnibus ovibus pascendis; quid inde possit inferri non video. Reponent enim Cyprianus, Basilius, Chrysostomus, non soli Petro hoc dictum fuisse, sed omnibus Apostolis, omnibus Presbyteris, quibus eandem hanc potestatem tribuit Chri-	*Cap. VIII. N. III.* Quamvis verissimum sit, verba illa soli Petro fuisse dicta; nihilominus in solo Petro effectum habuisse, dici nullo modo potest. *Citat testimonia* Basilii, Augustini, Chrysostomi, Ambrosii &c.

An-

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adſtruens.*

FEBRONIUS *deſtruens.*

Ita AUGUST. Serm. CVIII. de diverſ. AMBROS. Lib. II. de dignit. Sacerd. Cap. 2. CHRYSOST. Hom. 79. in Matth. BASIL. Conſtitut. monaſt. c. 22. Et multi alii.

COROLL. FEBRONIANUM.

Ibid. Num. I. Igitur ex eo, quod hæc verba ad omnes Apoſtolos & Paſtores pertinentia, a CHRISTO dirigantur ad PETRUM; hujus equidem præeminentia iterum intelligitur: ſed id nullatenus impedit, quo minus eadem præeminentia ſalva, ovium cura & cuſtodia æque immediate & directe reliquis Diſcipulis, Chriſto *tunc* loquenti & committenti *adſtantibus* tradita fuerit.

Nos nunquam cum eo diſputabimus, qui Apoſtolos immediate a Chriſto poteſtatem accepiſſe ſuam adfir-

JANSENISTA *Anonymus.*

Chriſtus. His Patribus comes veniet AUGUSTINUS docens, tunc PETRUM figuram fuiſſe, & perſonam geſſiſſe omnium Paſtorum: quibus omnibus, dum PETRO diceret Dominus, *Amas me? Paſce oves meas,* idem dicebat.

JAN-

ANTON. DE DOMINIS.

AN-

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Febronius *adstruens.*	Febronius *destruens.*	Jansenista *Anonymus.*	Anton. de Dominis.
	adfirmat. Id attendimus modo, velle Febronium *verba*, Tibi dabo *Claves*, æque *immediate*, æque *directe, deque sensu & intentione Christi ad omnes spectasse.*		
	Coroll. *evidenter consequens.* Præeminentia hæc qualiscunque Petri, non nisi honoris fuit intermorituri cum Petro. *Demonstratur.* Non fuit alia, quam quod verba sua ad eum Christus direxerit. Res significata enim iisdem verbis, ad omnes pertinuit (per prop. 4. & Coroll.) Igitur in symbolum ille rursum adsumptus tantum est unitatis figurandæ. (*Per propositi 3.*) Symbolum autem, materiave aut objectum symboli qui tantum est, hujus nulla, præterquam honoris est præ-		*Lib. I. Cap. 8. N. VIII. IX.* Cur igitur, inquies, Petro soli seorsim ab aliis, tamen coram aliis, dicitur, *Pasce oves meas* ? Primum mysterium hujus Christi actionis erit *mysterium unitatis* collegii Apostolici. = = = 2do Adest nobis Augustinus, qui sane instar omnium esse deberet. Ille porro propterea seorsim soli Petro pasturam committi asserit, quia Petrus erat *figura & typus* omnium pastorum, & totam Ecclesiam repræsentabat. Addit duas alias rationes, quas etiam

Y roga- Jan- ad-

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adſtruens.*

FEBRONIUS *deſtruens.*

rogativa, *per Coroll. ibidem.* Præeminentia igitur PETRI honoris tantum fuit, ac per conſequens intermoritura cum PETRO. Q. E. D.

Addet SPALATENSIS, *& juvabit cauſam : quemadmodum qui duodecim ſervos ad vineam mittit, ſpecialius nonnunquam ſeniori, aut ei, quem fideliorem inter cæteros expertus eſt, curam vineæ ſolet committere: ita &* CHRISTUM *in Joannis illo loco feciſſe. Quæ res exiſtimationis tantum eſt bonæ teſtificatio.*

PROPOSITIO 5. FEBRONIANA.

Tom.I.Cap.I.§ III. pag.22.n.2. Diſtinctio, quam aliqui Scholaſtici faciunt inter agnos & oves, quaſi per has Epiſcoporum, per illos cæterorum fidelium

JANSENISTA *Anonymus.*

De hac ovium, agnorumque diſtinctione quid ANONYMUS *ſcribat, vide ſis infra, ubi cum* DANIELE BERTONO *eum componimus.*

JAN-

ANTON. DE DOMINIS.

adoptavit, & ſuas fecit JANSENISTA: ſed quia a FEBRONIO quaſi ſtudio præteritas putamus, heic negligimus. Pergit:

N. XII. Quinta expoſitio eſſe poteſt, ut dicamus, propterea cum ſolo PETRO Dominum loqui, quia ex undecim ſicut ipſe præcipuus erat: ita præcipuam curam prædicationis ipſi committi, qui maxime omnium, qui tunc aderant, debebat in ipſius Domini vinea laborare: Quaſi dicat: quia tu ſupra cæteros & ferventius me amas idcirco tibi etiam maxime fidens, maxime oves meas commendo &c.

N. V.

Febronius adſtruens.

Febronius deſtruens.

lium cura Petro a Christo commiſſa fuerit, ſecus ac aliis Apoſtolis, imaginaria ſubtilitas eſt &c. &c.

п Propositio 6. Febroniana.

Ibid. n. 3. Contineat de reliquo verbum *paſcendi* Petro (ſuppone etiam ſoli) dictum, quantamcunque auctoritatem & poteſtatem: non repugno. Hoc contendo, nullam verbo *paſcendi* ineſſe, quæ non æque, immo amplius contineatur illis Christi dictis ad omnes Apoſtolos: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Item his: *Euntes docete omnes gentes.*

Confirmat utramque propoſitionem ſub nomine Danielis Bertoni. Tom. III. Tit. I. pag. 6. Quocunque ſenſu accipi- an-

Jansenista Anonymus.

Pag. 78. & ſeq. Quovis enim ſenſu intelligantur (verba: *Paſce oves meas*) nihil majus aut latius exprimere poterunt, pote-

y 2

Anton. de Dominis.

п

N. V. Contineat in ſe verbum *paſcendi* quamcunque & quantamcunque auctoritatem, & poteſtatem, non pugno; ſed illud contendo, nullam verbo paſcendi contineri, quæ non melius, & amplius contineatur in illis Chriſti dictis: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*: & illis: *Euntes docete.*

An-

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Febronius adstruens.

II Febronius destruens.

antur hæc verba: *Pasce oves meas, pasce agnos meos*, nihil majus, latiusve potuerunt exprimere potestate illa, quam omnibus simul Apostolis Salvator contulit sive ante, sive post colloquium, quod *Joannis* XXI. cum Petro habuit. Etenim ante dixerat omnibus *Joannis* XX. v. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* His verbis Apostolos constituit, ut ita loquar, juris & loci sui possessores, Missioni, quam ipse a Patre acceperat, æqualem eis conferens, ut scilicet peccata abolerent, ac justitiam inter homines instaurarent, Spiritum sanctum, cujus solius virtute hæc fieri po-

II Jansenista Anonymus.

testate quam omnibus simul Apostolis contulit Christus, sive ante, sive post colloquium cum Petro habitum. Ante dixerat omnibus: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quibus verbis salvator juris & loci sui possessores, ut ita loquar, constituit Apostolos, Missioni quam ipse acceperat a Patre æqualem eis conferens, ut peccata abolerent, ac justitiam inter homines restaurarent, Spiritumque sanctum cujus solius virtute hæc fieri poterant, insufflans eis. Quid tantæ auctoritati adjici aut cujus egere poterat hæc divina Missio, nisi quod immensitas ejus erat explicanda per extensio-

Anton. de Dominis.

An-

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Febronius *adstruens.*

II **Febronius** *destruens.*

poterant, eis insufflans. Nihil tantæ auctoritati adjici, aut cujusquam egere poterat hæc divina Missio, nisi quod immensitas ejus erat explicanda per extensionem ad omnes populos. Hoc autem postea CHRISTUS præstitit, cum jam in cœlos ascensurus adunatis Apostolis suis augusta hæc verba protulit *Matth.* XXVIII. v. 19. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S., docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Et *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Quantam gloriam, quantamque auctoritatem ex hac promissione, præcedentique

y 3 man-

II **Jansenista** *Anonymus.*

sionem ad omnes populos. Hoc autem fecit CHRISTUS, cum jam jam in cœlos ascensurus adunatis Apostolis suis, augusta hæc verba protulit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem sæculi.*

Quantam gloriam, quantamque auctoritatem ex hac promissione, præcedentique mandato sibi sumerent Episcopi Romani, si non omnibus Apostolis sed soli PETRO hæc dicta fuissent! Munus illud pascendarum ovium Christi sibi commissum, vix nunc nominare vellent.

JAN-

Anton. de Dominis.

ANT

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adſtruens.*	FEBRONIUS *deſtruens.*	JANSENISTA *Anonymus.*	ANTON. DE DOMINIS.
	mandato ſibi ſumerent Romani Epiſcopi, ſi non omnibus Apoſtolis, ſed ſoli PETRO hæc dicta fuiſſent. [Vix tunc nominare vellent illud ſibi commiſſum munus paſcendarum ovium CHRISTI, in quo adeo gloriantur.		
	Pag. 7. Nonnulli Romanarum partium videntur myſterium ſibi videre in ordine repetitorum iſtorum verborum: *Paſce oves meas*; & deinde: *Paſce agnos meos*, quæ Chriſtus ad PETRUM direxit; quaſi agnorum nomine ſimplices fideles, ovium vero, Paſtores & ipſi Apoſtoli a Chriſto deſignarentur. Verum in prætenſo hoc myſterio MALDONATUS, Jeſuita Hiſpanus, quamvis Romanæ Monarchiæ addictiſſimus, nil niſi aſpernandum vidit. Non eſt ſubtiliter diſputan- dum,	Nonnulli videre ſibi videntur in ordine verborum iſtorum: *Paſce oves meas*, poſt hæc alia: *Paſce agnos meos*, ad PETRUM ſimiliter paulo ante directa; quaſi agnorum nomine ſimplices fideles, ovium vero, Paſtores & ipſi Apoſtoli a Chriſto deſignarentur? Verum in hoc myſterio Maldonatus ipſe, quamvis Monarchiæ Romanæ addictiſſimus, nihil niſi aſpernandum vidit, ſerioque monuit, ne doctis riſum facerent. Non eſt ſubtiliter diſputandum, inquit, cur	AN-

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*

II FEBRONIUS *destruens.*

dum, inquit, cur CHRISTUS agnos potius, quam oves appellaverit. Quod qui fecerit, videat etiam atque etiam, ne doctis hominibus risum præbeat. Satis enim constat eosdem nunc agnos, & postea oves appellari. Ipsis sane CHRISTI verbis convincimur, nihil de hac vocabulorum varietate curandum esse. Idem ille divinus Servator, qui *Matth.* X. v. 16. Apostolis suis dicit: *Mitto vos sicut oves in medio luporum*, iisdem dixit *Lucæ* X. v. 4. *Mitto vos sicut agnos.* Sed neque sancti Patres in hac verborum varietate quæsierunt aliquid sive mysterii sive argumenti. Quare S. AUGUST. Tract. 47. in Joannem ait: *Petre amas me? hoc simul, hoc iterum, hoc tertio usque ad tristitiam* &c. &c. (Lineas 6. inseruit.) *Ibid.*

II JANSENISTA *Anonymus.*

cur Christus agnos potius, quam oves appellaverit. Quod qui fecerit, videat etiam atque etiam, ne doctis hominibus risum præbeat. Satis enim constat, eosdem nunc agnos, & postea oves appellari. Neque sane in hac nominis mutatione sacri aliquid aut arcani detexit Patrum sagacitas. Noverant, Christum, qui apud Matthæum Apostolis suis dicit: *Mitto vos sicut oves in medio luporum*, iisdem apud Lucam dicere: *Mitto vos sicut agnos.*

Pag.

ANTON. DE DOMINIS.

Myste-

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*

II FEBRONIUS *destruens.*

Ibid. pag. 8. Si tamen inter agnos & oves quædam differentia admittenda sit; nonne per agnos apte designantur neophyti aut debiles Christiani, quibus juxta mentem PAULI lacte adhuc opus est; per oves vero fortiores & doctiores? Cæterum nihil obstat, quo minus fateamur PETRO & reliquis Apostolis munus fuisse demandatum, ipsos etiam pascendi Pastores, quos Ecclesiis præficiebant. Quod & eos feliciter præstitisse, ex eorum epistolis intelligimus. De reliquo PETRUM quidem a PAULO edoctum & correctum prodit Scriptura: id autem a PETRO erga quemvis alium Apostolum nullibi vidimus præstitum.

Pag. 4. Agnoscunt qui-

II JANSENISTA *Anonymus.*

Pag. 84. De cæro si quædam admittenda sit (distinctio) nonne per agnos apte designantur Neophyti aut debiles Christiani, quibus juxta mentem PAULI lacte adhuc opus est; per oves verò fortiores? Quia nihil obstat, quin fateamur, PETRO & cæteris Apostolis munus fuisse demandatum ipsos etiam pascendi Pastores, quos Ecclesiis præficiebant: quod & eos feliciter præstitisse, ex eorum epistolis videmus * -

Post quædam interserta.

PETRUM quidem à PAULO edoctum & correctum prodit Scriptura; id autem à PETRO erga quemvis alium Apostolum nullibi videmus præstitum.

ANIMADVERSIO.

* *Fuit tantillum saltem*

ANTON. DE DOMINIS.

Mysteria, quæ alii venantur in verbis, *pasce agnos* sive oviculas, & oves, a me contemnuntur. - - - Illos tamen probare non possum, qui verbis illis, *Pasce oves meas,* PETRO etiam ipsorum Apostolorum curam censent a CHRISTO fuisse commissam. Ad quid obsecro? fortasse ad ipsorum confessiones audiendas? an ad ipsos docendos & instruendos? an ad corrigendos & puniendos? Ego sane PETRUM a PAULO correctum aut instructum invenio; nullum vero Apostolorum à PETRO erectum, aut correctum aut instructum cerno.

ANIMADVERSIO.

Ad invidiam ista scilicet

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adſtruens.*

FEBRONIUS *deſtruens.*

quidem Romani, Eccleſiæ miniſterium ſicut PETRO, ita & aliis Apoſtolis commiſſum eſſe, ſed his inquiunt, per illum, quippe cui ſoli CHRISTUS dixerit, *Paſce oves meas.* Sed videamus, an doctrina hæc conveniat cum doctrina PAULI. *Chriſtus*, ait vas electionis ad Eph. IV. v. 11-15. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos* &c. &c. &c. Tale eſt ſacri miniſterii opus:

Z ſed

JANSENISTA *Anonymus.*

tem in BERTONO *verecundiæ, ut quæ Anonymus heic interſeruit, præterire maluerit, quam una exſcribere. Quærit enim:* Ut quid cæterorum Apoſtolorum cura fuiſſet PETRO commiſſa, eique data in ipſos juriſdictio? Num ut eorum audiret confeſſiones, aut eis confitentes audiendi licentiam ſeu daret, ſeu retraheret &c.

Pag. 44. 46. 48. Nonne ſicut PETRO ita & aliis Apoſtolis miniſterium commiſſum erat? Erat, inquiunt Romani, ſed per PETRUM, cui ſoli crediderat illud CHRISTUS dicens: *Paſce oves meas.* Videamus, an illa doctrina in Paulinam quadret? CHRISTUS, ait vas Electionis, *ipſe dedit quoſdam quidem Apo-*

ſtolos

ANTON. DE DOMINIS.

licet pertinent conflandam doctrinæ catholicæ. Neque enim tam plumbei ſumus, ut Apoſtolis Correctore fuiſſe opus putemus. Nec propter Apoſtolos, inter quos neque hæreſis, neque ſchiſmatis eſſe periculum poterat, ſed propter Eccleſiam Primatum fuiſſe dicimus inſtitutum.

Cap.

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adſtruens.*

II FEBRONIUS *deſtruens.*

ſed cui mandatum hoc opus? omnibus Apoſtolis, reſpondet PAULUS, omnibus Paſtoribus atque Doctoribus. A quo autem miniſterium ſuum acceperunt iſti? Num a PETRO? nequaquam, ſed a CHRISTO. *Ipſe dedit quoſdam* &c. Ergo CHRISTUS omnes Apoſtolos, omneſque Paſtores poſuit, ſicut & PETRUM, ut ædificent Eccleſiam ſuam. Atque ita quotquot ſunt, tot ſunt hujus ædificii a CHRISTO adſcita fundamenta; quiſque juxta menſuram ſuæ vocationis & proprii laboris. Proinde promiſſio iſta, *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, per eos omnes ſicut per PETRUM impletur: ergo ad eos, ſicut ad PETRUM, ſpectant prædicta verba.

Co-

II JANSENISTA *Anonymus.*

ſtolos &c. Tale eſt ſacri Miniſterii opus. - - Sic fit conſummatio Sanctorum, & ædificatio myſtici Corporis CHRISTI. Sed cui mandatum eſt hoc opus? omnibus Apoſtolis, reſpondet PAULUS, omnibus Paſtoribus, atque Doctoribus. A quo autem miniſterium acceperunt iſti? Num a PETRO? Nequaquam, ſed ab ipſo CHRISTO. *Ipſe dedit quoſdam* &c. Ergo CHRISTUS omnes Apoſtolos, omneſque Paſtores poſuit, ſicut & PETRUM, ut ædificent Eccleſiam ſuam. Ergo quotquot ſunt, tot ſunt hujus ædificii a CHRISTO adſcita fundamenta; quiſque juxta menſuram proprii laboris. Ergo promiſſio iſta: *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, per eos omnes ſicut per PETRUM

ANTON. DE DOMINIS.

Cap. 8. N. III. Nonne ipſemet CHRISTUS dedit quoſdam quidem Apoſtolos, alios Doctores & Paſtores?

CON-

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*	FEBRONIUS *destruens.*	JANSENISTA *Anonymus.*	ANTONIUS DE DOMINIS.
	COROLLARIUM necessario concedendum. Ex textu JOANNIS igitur non magis, quam ex verbis MATTHÆI Primatus probari potest. Nam quidquid in utroque loco conceditur, quidquid rei, quidquid juris, auctoritatis, potestatis; ad omnes pertinet. PETRO nihil relinquitur, quam ut momento vicem umbræ figuræque suppleat.	TRUM adimpletur. Ergo ad eos sicut ad PETRUM spectant prædicta verba. *Conclusio Capitalis* *Pag. 66.* Primatus igitur, qui obtenditur, nihilo magis continetur his verbis: *Pasce oves meas.*	CONCLUSIO CAPITALIS. *Cap. 8. N. VII.* Igitur locus iste, *Pasce oves meas*, nihil singulare PETRO tribuebat, quod non etiam cæteris Apostolis tribueretur, & consequenter Principatus PETRI nullus inde habebatur. Ex eo loco, *Pasce oves meas*, Principatum autoritativum PETRI nemo prudens colliget.

ARGUMENTUM CATHOLICORUM
Ex Textu LUCÆ Cap. XII. v. 32.

Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

PROPOSITIO FEBRONIANA. *Tom. I. Cap. V. §. I. N. 2.* Sensus verborum est: PETRUS equidem negabit Domi-	*P. 96.* Quod spectat ad PETRUM, memorat scriptura peccatum ejus ac resipiscentiam, solicitudinem qua fideles in fide con-	*C. 6. N. XXXIX.* Si velit quis ibi fratres intelligi ipsos Apostolos; sensus erit: Tu qui lapsu tuo plurimum fratres scandaliza-

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Febronius adſtruens.

Febronius deſtruens.

minum & Magiſtrum ſuum: nihilominus poſt agnitum errorem, reſurgens a lapſu, fratres & Coapoſtolos ſuos in fide confirmabit, ipſe futurus in ea ſtabilis. Sic prædictio & promiſſio in *Perſona* Petri impleta eſt. At hæc nihil ad Petri ſucceſſores.

Corollarium neceſſario concedendum.

Ad Primatum igitur, qui perpetuus in Eccleſia futurus eſſet, nihil omnino hic pertinet locus. Immo ne ad Primatum quidem referri poteſt: neque enim aliud quam beneficium gratiamque exhibet miſerentis Chriſti. Etenim *tentatus ad negandum Dominum ſuum Petrus* (Febronii heic rurſum verbis utimur) *ſuccubuit tentationi: Chriſti oratio pro*

Jansenista Anonymus.

converſatione Evangelica confirmabat, ſtabilitatem tandem ejus in Juſtitia; atque hoc totum eſt, quod illis verbis continetur. *Gallice*, c'eſt tout ce qui eſt renfermé dans les paroles du Sauveur. Quæ ſic malè ſunt tranſlata a latino interprete: *Quæ omnia relatis Chriſti verbis ſatis exprimuntur.*

JAN-

Anton. de Dominis.

lizaſti, converſus tua pœnitentia confirma illos &c.

AN-

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Febronius *adstruens.*	Febronius *destruens.*	Jansenista *Anonymus.*	Anton. de Dominis.
	pro eo, operata est illius conversionem; agnovit culpam suam; primus Evangelium prædicavit; fidem constanter defendit; morte sua obsignavit. Febronius *sub nomine* Danielis Bertoni *aliquando aliter sententiam exposuit.* pag. 15. & 16. Imprimis, inquit, hæc Christi pollicitatio juxta sensum literalem scripturæ ad solum tempus Dominicæ passionis extenditur, quo scandalum crucis in universos Domini discipulos, maxime vero in B. Petrum, qui ter Magistrum suum negavit, erat debachaturum. 2. Qui antecedentia & consequentia textus considerat, videbit Petrum, postquam ex titubatione trinæ negationis, quasi ex gravissimo sopore emersit, multo ma-		

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Febronius *adſtruens.*	п Febronius *deſtruens.*	п Jansenista *Anonymus.*	Anton. de Dominis.
	gis idoneum fuiſſe tum ad collegas fluctuantes confirmandos, tum ad fratres diſperſos revocandos, ut reſurrectionem Domini præſtolarentur. Itaque vel eſt textus reſtringendus ad diſcipulos Domini propter ſcandalum crucis titubantes, vel ad facultatem omnium Fidelium confirmandorum: & hoc caſu idem jus non tantum B. Petro, ſed omnibus etiam Apoſtolis atque Epiſcopis proportionatim competit. Sic in ipſa etiam naſcente п Eccleſia non a Petro ſolum, verum ab omnibus Apoſtolis impletum fuiſſe munus, ſeſe invicem ſermonibus & exemplis confirmandi diſcimus ab exemplo Pauli, Petrum ipſum confirmantis in veritate Evangelica, quando apud Antiochiam diſſimulatio- nem	*Pag. 96.* Addere potero, non a Petro ſolum, ſed ab omnibus Apoſtolis impletum fuiſſe munus, ſeſe invicem ſermonibus & exemplis confirmandi. Nonne Petrum titubantem in veritate Evangelica confirmavit Paulus, cum apud Antiochiam diſſimulationem ejus	An-

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adſtruens.*	FEBRONIUS *deſtruens.*	JANSENISTA *Anonymus.*	ANTON. DE DOMINIS.
	nem ejus redarguit. Ex quo tamen nemo infert, PAULO ſupra PETRUM juriſdictionem fuiſſe datam, aut auctoritatem cum infallibilitate inſtruendi.	ejus redarguit? Ex quo tamen quis inferet, PAULO ſupra PETRUM Juriſdictionem fuiſſe datam?	
	COROLLARIUM. Igitur rurſum nihil datum eſt PETRO præ aliis. Solum illud ſignificatur, CHRISTUM, ut a peccato reſipiſceret, nec porro laberetur, ei impetraviſſe; tum ut ſe gratum præberet, monuiſſe, utque lapſum ſuum in occaſionem communis commodi verteret. Quæ cum *perſonalia* ſint; ad Primatum non pertinent.	CONCLUSIO CAPITALIS. *Pag.* 47. Igitur non hic reperitur Primatus, qui obtenditur, ſancti PETRI ſuper alios Apoſtolos. Ad Romanos vero Epiſcopos ut prudenter ea verba transferrentur; deberent & cætera ejuſdem textus ipſis pariter congruere, ita ut omnes pari ſorte ſicut PETRUS caſu gravi proſternendi eſſent &c.	CONCLUSIO CAPITALIS. *Cap. 9. N. XIII.* Igitur oſtendi non ad PETRI exaltationem, ſed depreſſionem potius orationem illam CHRISTI pertinere.

ARGUMENTUM CATHOLICORUM

Ex aliis Scripturæ locis.

Tom. I. Cap. II. §. I. N. 2. Hunc PETRI Primatum	Cui nihil rei præcipuæ, nihil ſolidi præ aliis datum eſt; is ſi forte primus recenſeatur, primus loquatur	*Pag. 98. 100. 192.* Ex variis Scripturæ textibus unus iſte excutiendus ſupereſt: *Pri-*	*Cap. 6. N. III. XIII.* Mihi certum videtur, eo loci poni nomen, *Primus* non tantum numeraliter. Sed primus

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*	FEBRONIUS *destruens.*	JANSENISTA *Anonymus.*	ANTON. DE DOMINIS.
tum annuntiant Evangelistæ, qui dum Apostolos enumerant, non modo semper PETRUM primo loco collocant, sed & primum fuisse affirmant. Sic *Matt.* X. v. 2. *Duodecim autem Apostolorum nomina hæc sunt: Primus Simon, qui dicitur* PETRUS&c	tur &c.; non nisi *honoris* habere Primatum censeri potest. Sed est deductum hactenus ex *Febronianis* sententiis, nihil solidi datum PETRO præ aliis. Ergo ad honoris tantum prærogativam ista pertinent. Non ad Primatum igitur, qui bono Ecclesiæ a CHRISTO institutus sit, & perpetuo manere debeat.	*Primus Simon, qui dicitur* PETRUS. Hic minimè difficilem me præbebo: nam pro unico Primatu, de quo certatur, quinque PETRO facile concedam. Non nego primum fuisse, 1mo ratione ætatis 2do ratione fidei ejus, ardentiorisque in Christum charitatis. 3tio ratione laboris. 4to ratione temporis quoniam, cum ex Discipulis Christus elegit, quos voluit esse Apostolos, primo PETRUM nominavit. 5to ratione ordinis inter Apostolos constituti. Verum ex his Primatibus nullam in Collegas suos auctoritatem PETRUS acquirebat.	mus dicitur inter omnes PETRUS ratione alicujus dignitatis & præeminentiæ. Nimirum ex ætate, ordine vocationis, amoris fervore, & propriis virtutibus. Ex Primatu ordinis vocationis, nec non ætatis simul illud consecutus est PETRUS, ut locum haberet quasi Decani inter Cardinales, & Primogeniti inter fratres - - Solo honore Primogenitus, & fortasse aliqua superintendentia, quantam *ipsi fratres* ei permittunt, in regimine domus solet præcedere, mortuo seu absente Patre, reliquis omnibus in optima ætate constitutis.

ARGUMENTUM CATHOLICORUM ex Ss. Patribus.

Sancti Patres PETRUM Apostolorum sum-	Qui nihil solidi accepit præ aliis, is *princeps, vertex, Coryphæus, os* non nisi latis-	*Pag.* 114. Quod primogenitus est inter fratres, quod peritissimus in arte inter fra-	*In hunc ipse pariter sensum dicta veterum, qui Petrum principem nominarunt,*

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adſtruens.*

ſummum Principem, verticem, Coryphæum, os *nominant.*

Verba recitantur a FEBRONIO *§. cit. N. 6.*

Nominant petram, columnam Eccleſiæ, firmamentum fidei, confeſſionis fundamentum *ibid.*

Affert verba GREGORII NAZIANZENI *ex orat. VII* PETRUS Eccleſiæ columen. *Item ex orat. 26:* Vides, quemadmodum ex Chri-

FEBRONIUS *deſtruens.*

latiſſima ſignificatione dici poteſt: ob ætatem nimirum, electionis aut vocationis ordinem, dexteritatem in agendo, cauſaſque ſimiles. Quæ cum perſonalia rurſum ſint; ad honorem revocantur; ad Eccleſiam vero non ſpectant.

Si uterque GREGORIUS, *Nazianzenus & Nyſſenus,* ſi EPIPHANIUS, ſi CHRYSOSTOMUS his PETRUM nominibus compellarint; fecerunt *ideo,* quia textum Matthæi: *Et ſuper hanc petram* de perſona PETRI intellexerunt. Sed hæc *univerſalis, conſtans, & uniformis* totius

A a Ec-

JANSENISTA *Anonymus.*

fratres alios ejuſdem artis, quod in Capitulo Decanus, hoc inter Collegas ſuos erat PETRUS.

Hoc ſenſu locutos Patres eſſe contendit. ſunt autem perſonalia hæc, neque aliud, quam inter pares honore primum fuiſſe PETRUM *oſtendunt.*

JAN-

ANTON. DE DOMINIS.

runt, abducit, ac concludit pro eo ac debuit: N. XIX.

Totum hunc Primatum PETRI fuiſſe *perſonalem,* ſicut & cauſæ ipſius Primatus, non erant niſi *perſonales,* adeo PETRI propriæ, ut non poſſent ad alterum tranſire.

AN-

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adſtruens.*	FEBRONIUS *deſtruens.*	JANSENISTA *Anonymus.*	ANTON. DE DOMINIS.
Chriſti Diſcipulis magnis utique omnibus & excelſis, hic PETRA vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta in fidem ſuam accipiat. GREGORII *Nyſſeni Serm.* 2.: Dei Eccleſia in ipſo ſolidatur. Hic enim juxta prærogativam ſibi a Domino conceſſam firma & ſolidiſſima eſt petra &c. *Similiter* EPIPH. & CHRYSOS	Eccleſiæ non eſt doctrina; cum multi *Chriſtum*, multi *fidem* intellexerint nomine petræ deſignari. Itaque ut ea deſeri tuto poteſt opinio: ſic infirmum eſt argumentum, quod a Patrum iſtorum auctoritate ſumitur. *Vide Propoſ. I. Febronianam.* p. 150.		
ver-	*Idem*	JAN-	AN-

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens. verbis a* FEBRONIO *citatis.*	п FEBRONIUS *destruens.*	п JANSENISTA *Anonymus.*	ANTON. DE DOMINIS.
Ajunt PETRUM omnibus Apostolis prælatum esse: huic Claves fuisse concreditas: Ecclesiam in eo figuratam tanquam in primo & præcipuo. *ibid.*	Prælatus est sic, ut nihil *rei* acceperit. Sic Claves ei concreditæ sunt, sic Ecclesiam figuravit, nihil ut præter figuram ipse fuerit, subjectumque symboli. *Vid. dicta superius.*		

ARGUMENTUM CATHOLICORUM ex necessitate Capitis.

CHRISTUS Caput suæ Ecclesiæ dedit, sine quo corpus non potuisset non sæpius nutare. FEBR. tom. I. Cap. II. § I. N. 3.	п *Idem sub nomine* DANIELIS BERTONI *Tom. III. Tit. II. § I pag. 28.* Sacra scriptura non fidei modo, sed & eloquii nostri norma non alteri nisi CHRISTO dignitatem Capitis Ecclesiæ tribuit. Sic PAULUS ad Ephesios I. v. 17. 22. 23. *Do-*	п *Pag. 180. & seq.* Nulli alteri nisi CHRISTO dignitatem hanc (Capitis) tribuit Scriptura, non fidei modo, sed & eloquii nostri norma. *Deus*, inquit PAULUS (Eph. I. 17. 22. 23.) *Domini N. J. C. Pater omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum de-*	*Lib. I. Cap. I. N. I. II.* Qui de republica Ecclesiastica, sicut de pure humanis philosophantur, mihi videntur non parum a recto tramite aberrare - - - quia putant, ut in humanis absente Rege, reipublicæ gubernatore, sicut etiam eo ex huma-

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Febronius *adstruens.*

II **Febronius** *destruens.*

Domini N. J. C. Pater omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam. Dein ad Ephesios IV. v. 15. *Crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus.* Porro ad Coloss. I. v. 18. *Ipse est Caput corporis Ecclesiæ - - - Caput ex quo totum Corpus per nexus & conjunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei.* Christianos vero non exceptis Apostolis, eorumque primo, Paulus ad Rom. XII. v. 4. 5. membra vocat Corporis, cujus Caput est Christus. *Sicut enim*, ait, *in uno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum Corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra.* Quibus ultimis verbis se ip-

II **Jansenista** *Anonymus.*

dedit Caput super omnem Ecclesiam (Eph. IV. 15.) *Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus.* Et ad Coloss. (I. 18. II. 19.) *Ipse est caput Corporis Ecclesiæ... Caput ex quo totum Corpus per nexus & conjunctiones subministratum crescit in augmentum Dei.*

Christianos vero non exceptis Apostolis eorumque primo, Paulus membra vocat Corporis, cujus Caput est Christus. *Sicut enim in uno Corpore* &c. Quibus ultimis verbis se ipsum cum omnibus Collegis suis inter membra collocat Apostolus, Christo soli dignitatem Capitis relinquens. Ubi notandum, non dicere Apostolum, *membra* Chri-

Anton. de Dominis.

manis sublato, alium esse eidem subrogandum, qui absentis demortui vices omnino suppleat. Nos vero Christum dicimus, neque inter absentes, neque inter mortuos reputandum - - - *multi unum Corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra.* Nullum ergo aliud Caput agnoscebat Paulus, nisi Christum: & inter membra Christi non secus includit etiam Petrum, quam se & alios Apostolos, ac fideles. *Singuli autem*, inquit, *alter alterius* membra: & non dicit: Christi membra, sed *alter alterius*, ut melius significaret, æque omnibus convenire, ut sint membra ad invicem, & neminem eorum aliam habere relationem ad alios, nisi membri, seu ut ita dicam, commembri, &

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Febronius astruens.

II Febronius destruens.

ipſum cum omnibus collegis ſuis inter membra collocat Apoſtolus, Chriſto ſoli dignitatem Capitis relinquens. Ubi notandum, non dicere Apoſtolum, *membra Chriſti*, quod vere dicere potuiſſet; ſed *alter alterius membra;* ita ut ipſo auctore, Petrus membrum eſſet non ſolum reſpectu Chriſti, ſed & respectu omnium Fidelium.

Hæc etiam ipſa eſt communis Patrum doctrina. Sic centies S. Augustinus Christum dixit Eccleſiæ Caput; Petrum vero nunquam, ſed eum ſicut alios Apoſtolos inter membra reputat. Brevitatis amore hunc unum ipſius locum referam Tract. CVIII. in *Joannem* N. 5. *Sed quoniam per hoc, quod mediator Dei & hominum, homo* Chris-

Aa 3 TUS

II Jansenista Anonymus.

Christi, quod vere dicere potuiſſet; ſed *alter alterius membra;* ita ut ipſo auctore Petrus membrum eſſet non ſolum reſpectu Christi, ſed & respectu omnium fidelium.

Hæc etiam ipſa eſt Patrum doctrina. *Subjicit locum* S Gregorii M. *ex L. V. Epiſ. 18.*

Centies S. Augustinus Christum dicit Eccleſiæ Caput, Petrum vero nunquam, ſed ſicut alios Apoſtolos inter membra reputat. Brevitatis cauſa hunc unum ipſius textum referam (ad marginem Tract. 108. in Joann. n. 5.) *Sed quoniam, per hoc,*

quod

Anton. de Dominis.

& hoc ut excluderetur ab unoquoque eorum ratio & relatio veri capitis quæcunque. Igitur Petrus non modo erat membrum, comparatus ad verum Caput, quod erat Christus, ſed etiam membri parem rationem, comparatus ad alios Apoſtolos & Fideles cum ipſis, ſi Pauli dictis fidem adhibemus, obtinebat.

A Num. III. ad X. uſque citat verba Scripturæ: imprimis locum ex epiſt. ad Epheſ. I. *Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit ſuper omnem Eccleſiam.* Item ad Coloſs. I. *Ipſe eſt Caput Corporis Eccleſiæ.* Et ad Coloſs. II. *Caput ex quo totum Corpus* &c. Ad Epheſ. IV. *Veritatem autem facientes, in charitate,*

creſ-

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Febronius adstruens.	II Febronius destruens.	II Jansenista Anonymus.	Anton. de Dominis.
	TUS JESUS *factus est Caput Ecclesiæ ; illi* (Apostoli) *membra sunt ejus. Ideo ait, quod sequitur : Et pro eis ego sacrifico me ipsum.*	*quod mediator Dei & hominum* &c.	*crescamus in illo per omnia, qui est Caput* CHRISTUS.
	S. LEO serm. LXXX. in *Nativ. Apostolorum Petri & Pauli* Cap. 7. PETRUM & PAULUM inter Ecclesiæ membra ponit, eos tanquam Corporis oculos respiciens, CHRISTO autem Capitis dignitatem servans. *Quos*, ait, *gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ membra provexit, ut eos in Corpore, cui Caput est* CHRISTUS, *quasi geminum constitueret lumen oculorum.* Ad. de S. GREGORII M. L. V. Epis. 18.	LEO Papa nomine primus, PETRUM ac PAULUM inter Ecclesiæ membra ponit, eos tanquam corporis oculos respiciens, CHRISTO vero Capitis dignitatem servans. *Quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia* &c. (ad marg. Leo serm. 80. in Nat. Apos. Petri & Pauli.)	*N. V.* AUGUSTINUS locis pluribus docet, totum CHRISTUM esse caput & membra, neque extra CHRISTUM cognoscit caput ullum, sed omnia membra. *Indicat varia hujus S. Doctoris loca: & idem repetit.* *N. IV.* Certe nullum aliud Caput in Ecclesia agnovisse AUGUSTINUM, præter CHRISTUM, & Apostolos omnes, incluso etiam PETRO, non nisi membra CHRISTI fuisse, prout membrum contradistinguitur a capite, docet ipse passim. Audi illum : *Sed quoniam per hoc, quod mediator Dei & hominum homo* CHRISTUS JESUS *factus est Caput Ecclesiæ : illi* (Apostoli) *membra sunt ejus. Ideo ait, quod*
	Concilium *Toletanum* VIII. Can. 4. apud Hard. Tom. III. Col. 962. Episcopos, ne Romano quidem excepto, oculis corporis iti-	Concilium *Toletanum* octavum Episcopos, ne Romano quidem excepto, oculis corporis iterum assimilat, CHRISTUMque so-	

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*	FEBRONIUS *destruens.*	JANSENISTA *Anonymus.*	ANTON. DE DOMINIS.
	itidem assimilat, CHRISTUMque solum Caput agnoscit. *Cum secundum carnis assumptæ mysterium Ecclesiæ suæ fuerit dignatus Caput existere* CHRISTUS; *merito in membris ejus intentio Episcoporum officia peragere cernitur oculorum. Ipsi enim de sublimiori celsitudine ordinum regunt & disponunt subjectas multitudines plebium*	solum Caput agnoscit. *Cum secundum carnis assumptæ mysterium, Ecclesiæ suæ fuerit dignatus caput existere Christus* &c.	*quod sequitur : & pro eis ego sanctifico me ipsum.* N. *XII.* An fortasse timendum, ne CHRISTUS in cœlis positus, non possit supplere muneri in regenda Ecclesia terrestri.
	Sic loquuntur Scriptura & Patres circa nomen *Caput* Ecclesiæ, huncque loquendi modum tenere fuisset securius, quam talem adhibere elocutionem, quæ sicut quibusdam præbuit ansam superbiendi; ita simplicium mentibus caliginem offundit, ne eorum usurpata tam facile discernere valeant. * Verum, inquiunt, necessarium est Eccle-	Sic loquuntur Scriptura & S. Patres circa nomen hoc, *Caput Ecclesiæ*, huncque loquendi modum multo sane securius, quam novam adhibere elocutionem, quæ sicut Romanis Episcopis ansam præbet superbiendi, sic simplicium mentibus caliginem offundit, ne eorum usurpata, Antichristianaque decreta discernere valeant. Necessarium est, in-	

AN-

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*	FEBRONIUS *destruens.*	JANSENISTA *Anonymus.*	ANTON. DE DOMINIS.
	clesiæ *visibile Caput* Summa præpollens auctoritate, ruitura alioquiEcclesia in exitialem anarchiam. At CHRISTUS, verum Ecclesiæ *Caput*, licet oculis carnis invisibilis, non eo minus oculis fidei præsens esse debet. Non ille minusEcclesiæ suæ, ex quo in cœlis est, invigilat & subvenire potest, quam cum in terris degeret. Non est oblitus sua promissa, se cum ea semper futurum, & adversus eandem non prævalituros hostes ejus. Finaliter divina hæc Respublica cum humanis societatibus nulla ratione comparari potest: tum quod has usque se servaturum Dominus non spoponderit, ideoque eas hominum prudentiæ regendas permiserit: tum quod utriusque Reipublicæ dispar sit omnino conditio. ANIM-	inquiunt, *visibile Caput* summa præpollens auctoritate, ruitura alioquin Ecclesia in exitialem Anarchiam. - - - - Sed CHRISTUS licet oculis carnis invisibilis, num propterea oculis fidei præsens non adest? Num minus Ecclesiæ suæ, ex quo in cœlis est, invigilat, & subvenire potis est, quam cum degeret in terris? oblitus est sua promissa, se cum ea futurum, & adversus eam non prævalituros hostes ejus? Qua igitur ratione divina hæc respublica cum humanis societatibus conferri potest, cum istas usque se servaturum Dominus non spoponderit, ideoque eas hominum prudentia regendas permiserit? JAN-	AN-

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*	FEBRONIUS *destruens.*	JANSENISTA *Anonymus.*	ANTON. DE DOMINIS.
	ANIMADVERSIO. *Interseruntr hoc loco a* FEBRONIO *quæ sequuntur.* " Non ignoro a " Patribus Concilii " Chalcedonensis S. " LEONEM Papam " suum vocari caput. " Scio etiam, qualiter Concilium Florentinum declaraverit, Roman. Pontificem esse Caput " Ecclesiæ. Potuerunt " hæc dare occasionem, & actu multis dederunt, attribuendi Capiti Ecclesiæ *ministeriali,* " quæ tantum debentur essentiali. In fine quidquid dicitur " sive in synodis sive " a Scriptoribus Ecclesiasticis de summo Pontifice tanquam Capite Ecclesiæ, ea omnia significant, illum esse " *primum & principalem inter ministros.*		

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Febronius *adstruens.*	Febronius *destruens.*	Jansenista *Anonymus.*	Anton. de Dominis.
	Audio : sed quo modo primus & principalis est? honore nempe, & inter pares. Nam si AUCTORITATE *quadam* PRÆCIPUA, & INSTITUTA a CHRISTO, NECESSARIA*que ad Ecclesiæ auspicatum regimen, primus est; quid Jansenistam adtinebat exscribere, & vociferari cum illo, Ecclesiam nec habere visibile caput, nec eo egere?*		

ARGUMENTUM CATHOLICORUM ex unitate Ecclesiæ.

T.I.C.II. §. *II.* Fundamentum hujus Primatus est bonum unitatis in Ecclesia. Causa instituendi inter Apostolos & fundan-	¤ *Tom III. Tit. II.* §. *II. pag.34.* §phi titulus: *Papa an & quatenus sit centrum unitatis ?* Unitatem in Ecclesia describit, & multum commendat Apostolus in epistolis suis ad *Eph.* IV. v. 3. 5. nec non I. *Cor.* I. v. 10. *soliciti servare uni-*	¤ *Pag. 222. 224. 226.* Unitatem describit, commendatque PAULUS in epistolis suis, potissimum ad *Corinthios*, & ad *Ephesios*, *soliciti servare unitatem spiritus* &c. Qua autem ratione utriusque hujus unitatis centrum esse possunt Episcopi Romani	*Lib. 2. Cap. I. N. X.* Ecclesia hæc una est magna collectio innumerabilium hominum, unam, eandemque fidem & religionem profitentium, uno, eodemque baptismo ablutorum, una, eademque lege Evangelica ad æternam beatitu- di-

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*

dandi in ECclesia Primatus, est bonum unitatis in eadem servandæ: bonum, sine quo impossibile est Ecclesiam subsistere, aut perdurare.

Tom. III. Tit. II. §. II. pag. 32. sub nomine DANIELIS BERTONI: Ill. BOSSUETUS in expositione doctrinæ Christianæ recte statuit: *Dei filium, dum suam Ecclesiam unam esse, & super unitatem firmiter ædificatam*

FEBRONIUS *destruens.*

unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum Corpus & unus Spiritus, sicut vocati estis &c. Qua autem ratione utriusque hujus Unitatis centrum erunt Romani Pontifices, si ipsi evadant Schismatici; prout fieri posse nemo dubitat. Sane nonnulli ex S. S. Patribus Romanos suæ ætatis Pontifices pro schismaticis habuerunt, seque ab eorum communione segregarunt. Sic S. FIRMILIANUS scripsit STEPHANO Papæ Epis. 75. " Inter *Cyprianicas* " pag. 150. Peccatum vero tibi quam magnum exaggerasti; quando te a tot gregibus scidisti! Noli te fallere, siquidem ille vere schismaticus est, qui se a communione Ecclesiasticæ Unitatis Apostatam fecerit. Dum

b b 2 " enim

II JANSENISTA *Anonymus.*

ni - - - cum ex doctrina Ecclesiæ Gallicanæ, & totius antiquitatis, atque experientia constet, ipsos hæreticos ac schismaticos esse posse?

Nonnulli ex antiquis & sanctis Episcopis, quos hodie tanquam Patres suos veneratur Ecclesia, Romanos ætatis suæ Pontifices pro schismaticis habuerunt, seque ab eorum communione segregarunt. *Peccatum vero tibi quam magnum exaggerasti*, inquiebat S. FIRMILIANUS STEPHANO Papæ, *quando te a tot gregibus scidisti! Exscidisti enim te ipsum, noli te fallere: siquidem ille vere est schismaticus, qui se a communione Ecclesiasticæ unitatis apostatam fecerit. Dum enim putas omnes a te abstineri posse, solum te ab* omni-

ANTON. DE DOMINIS.

dinem directorum. - - - Unitas itaque hæc Ecclesiæ non est Unitas per essentialem subordinationem, quia inter partes hujus magnæ Ecclesiæ integrantes duntaxat, nulla est essentialis subordinatio, nulla dependentia, & consequenter nulla subjectio, nulla prælatio, sed simplex cohærentia & situatio cum sola loci seu situs diversitate.

N. XI. Ecclesia hæc una universa hominibus constat fidelibus, qui omnes sunt unius rationis in ipsamet formalitate hujus Unitatis; quæ est una & eadem fides, una & eadem religio. &c.

L. 4. Cap. 2. N. XXXVI. Ipsam (Romanam Ecclesiam) esse constat perfectissime schismaticam, quæ se a Corpore universalis Ecclesiæ tunc abscidit, quan-

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*

tam vellet, tuendæ ac firmandæ unitatis S. Petri Primatum instituisse, sedemque Apostolicam hujus unitatis CENTRUM *ac radicem esse.*

FEBRONIUS *destruens.*

" enim putas omnes " a te abstineri posse; " solum te ab omni " bus abstinuisti. " En Romanum Episcopum per propriam suam excommunicationem a communione fidelium segregatum. Ecce alium directe & reipsa a S. HILARIO anathemati traditum: " Anathe- " ma tibi a me di- " ctum LIBERI! & " sociis tuis... Iterum " tibi anathema, & " tertio, prævarica- " tor, LIBERI. S. " HILARIUS Frag. VI. " pag. 1337.

Instar horum Patrum idem deinde præstiterunt integræ Ecclesiæ, ipsaque Concilia. Sic *Africæ*, *Illyrii*, & *Dalmatiæ* Episcopi omnes se a communione VIGILII sejunxerunt ob damnata ab eo *tria Capitula.* Non multo post Episcopi *Africæ* in Concilio con-

JANSENISTA *Anonymus.*

omnibus abstinuisti. En Romanus Episcopus per propriam suam excommunicationem a communione fidelium segregatus. Ecce autem eum directe, & reipsa anathemati a S. HILARIO traditum: *Anathema tibi a me dictum* LIBERI, *& sociis tuis* - - - *Iterum tibi anathema*, *& tertio*, *prævaricator* LIBERI! Instar horum Patrum idem deinde præstiterunt integræ Ecclesiæ, ipsaque Concilia. Sic *Africæ*, *Illyrii*, & *Dalmatiæ* Episcopi omnes se a communione VIGILII sejunxerunt ob damnata ab eo *tria Capitula.* Ac paulo post in Concilio congregati *Africæ* Episcopi eundem & eadem ex causa ex Ecclesiæ Corpore segregarunt. (*ad marginem*: FLEURI *L. XXXIII. Ann.* 548.

ANTON. DE DOMINIS.

quando membrum ipsius esse recusavit: & - - - Caput se contra CHRISTUM, qui solus & verum suæ Ecclesiæ caput est, constituit.

Num. XXXVII.

Unitas tenenda est, quis dubitat? Unitas tamen cum illa Ecclesia, quæ est Corpus CHRISTI; non cum illa, quæ cum dedignetur esse membrum, & toti corpori velit præesse; in Corpore CHRISTI non est.

En rem eandem ab ANTONIO DE DOMINIS, *atque aliis tantum verbis propositam.*

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*

II FEBRONIUS *destruens.*

congregati eundem & eadem de causa ab Ecclesiæ Corpore segregarunt. vide FLEURII Hist. Eccles. L. XXXIII.

* *Quæ inserta heic sunt, vide infrà in Coroll.*

Patet insuper per historiam, quantum & pariendis schismatibus, quibus à pluribus sæculis Ecclesia dilacerata est, ipsi Pontifices contulerint. Probavit hoc FEBRONIUS imprimis de schismate Orientalium, qui si ex Episcoporum Romanorum nimio imperio, novisque usurpationibus, atque inexpugnabili eorum repugnantia adversus privilegia Ecclesiæ constantinopolitanæ ad schisma non sunt detrusi; moti saltem & multum inclinati sunt. Illud pariter FEBRONIUS de schismate occidentali, cui

II JANSENISTA *Anonymus.*

548. & 550.) Unde manifestum est, Episcopum Romanum centrum unitatis Christianæ ab eis minime habitum fuisse.

Pag. 206. 208. 210 212. Huic opinioni adversatur experientia, cum per historiam pateat, quantum pariendis schismatibus, quibus a pluribus sæculis dilacerata est Ecclesia, ipsi Pontifices contulerint. Unde enim orta est *Græcorum* in Ecclesiam *Latinam* simultas, nisi ex Episcoporum Romanorum nimio imperio, commentitiis prærogativis, novis usurpationibus, inexpugnabilique eorum repugnantia adversus privilegia Ecclesiæ Constantinopolitanæ concessa? Quibus si *Græci* ad schisma non sunt detrusi, moti saltem & multum inclinati sunt. - - - Unde via *Luthero*

ANTON. DE DOMINIS.

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS FUR ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Febronius *adstruens.*	Febronius *destruens.*	Jansenista *Anonymus.*	Antonius de Dominis.
	per immoderatas indulgentias, & varia impudentia facta (ut alia taceam) proximam occasionem a Romanis Pontificibus datam fuisse constat. Unde ex sopore quasi lethargico excitatus Leo X., ejusque successores, tantum abest, ut congruum remedium malo attulerint, ut ex contrario procurandæ unioni obstacula potius posuerint, tum impediendo ne cogeretur Concilium, tum ne stabilis ac desiderata a Patribus constitueretur Reformatio. Quid Anglorum schismati viam monstravit? Nonne dominatus intolerabilis, quo dudum in eis utebantur Romani Pontifices? Quid autem idem schisma firmavit immutabiliter atque consummavit, nisi modus imprudens & arrogans, quo Romani	*thero* aperta, tempusque datum, tantam Christianæ plebis portionem ab unitate resecandi? Nonne ex indulgentiis, ac simoniis Romanorum Episcoporum, variisq; temerariis ac impudentibus factis? inde vero nonne ex sopore quasi lethargico Leonis X. in afferendis malo remediis, & ex impedimentis ab ipso, successoribusque ejus allatis, tumne cogeretur Concilium, tum ne stabilis ac desiderata a Patribus constitueretur Reformatio? Quid *Anglorum* schismati viam stravit? Nonne dominatus intolerabilis, quo dudum in eos utebantur Rom. Pontifices? Quid autem idem schisma firmavit, immutabiliterque consummavit, nisi modus imprudens & arrogans, quo cum Regina *Elisabeth* egerunt	

An-

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*

FEBRONIUS *destruens.*

mani cum Regina *Elisabetha* egerunt?

JANSENISTA *Anonymus ad suæ hoc loco, id est, Jansenisticæ in Bellgio Ecclesiæ vexationes, quas a summis Pontificibus in hunc diem perpessa sit, deplorandas progreditur. Sed has quidem omittendas heic sibi putavit* FEBRONIUS, *non quod non adprobet, sed brevitatis, ut opinor, causa. Nam alioquin & in* APPENDICE 2. *ad* LIBRUM SINGULAREM EDITIONIS *2dæ pag. 23., & in eo schediasmate, quod* COLONIENSE JUDICIUM ACADEMICUM REFORMATUM *inscribitur, aperte defensionem suscepit causæ* JANSENISTICÆ, *vultque igni & aqua interdici iis, qui porro negotium homi-*

JANSENISTA *Anonymus.*

runt PAULUS IV. & PIUS V.?

Quodsi ad Ecclesiam Catholicam *Batavorum* miserando schismate devastatam oculos deflectamus &c.

Repetit causam a CLEMENTE XI, PAULO V., BENEDICTO XIV, qui posterior Anno 1756. die 16. mensis Octob. Sacramentis Ecclesiæ interdixit omnibus, quos constaret, Constitutioni *Unigenitus* refractarios publice sese præbere. Sed de PAULO V. quæ habet, digna notatu sunt, cumque iis, quæ FEBRONIUS illis substituit, componi debent.

ANTON. DE DOMINIS.

mi- Ec- AN-

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*

FEBRONIUS *destruens.*

minibus istis facessant. Sed de his alibi. Quæ sequuntur, ex ejusdem furfuris auctore exscripta esse vel gallicismus, SENTIMENTA, *prodit. Sic enim pergit:*

Hæc sufficiunt de temporario impedimento Centri unionis, quod a materia & ab occasione schismatis ponitur. Sed quid si viri Sancti, si integræ, eæque insignes Ecclesiæ Romanum Pontificem cum suis, pro fautoribus & confirmatoribus *hæreseos* habeant, qui veritatem neque norunt neque discere amant? An tunc adhuc, & quousque hæc Romanorum Sentimenta durant, virtus centri in illis manifestabitur? Hoc evenit anno 376 cum S. BASILIUS sic scriberet ad EUSEBIUM Episcopum *Samosatenum* &c. *Lo-*

JANSENISTA *Anonymus.*

Unde tandem divisiones, inquit, quibus ab annis centum & sexaginta fœde dilaceratur universalis Eccesia? nonne *ex præsidio* a PAULO V. & successoribus ejus *novis Pelagianis aperte concesso?* *

* JESUITAS *intelligit.*

JAN-

ANTON. DE DOMINIS.

ANT.

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

FEBRONIUS *adstruens.*	FEBRONIUS *destruens.*	JANSENISTA *Anonymus.*	ANTON. DE DOMINIS.
Tom. I. C II. §. II. p 95. Fundamentum hujus Primatus instituendi esse bonum unitatis, apte expressit S OPTATUS *Milevitanus* scriptor sæculi IV. Lib. II. contra *Parmenianum* p. 28. & Lib. VII. p. 104. = HIERONYMUS L. I. adversus *Jovinianum* = AUGUSTINUS Tract. 108 = S. PACIANUS Epist. 3. = S. LEO P. Serm. 3 = S. CYPRIANUS Epist. 59.	*Locum infra referemus, ubi ad singula respondebitur.* *Tom. III. Tit. I. §. I. pag. 5.* Respondent CYPRIANUS, PACIANUS, OPTATUS, AUGUSTINUS, alii, noluisse Dominum de sua Ecclesia, & Clavium potestate loqui, nisi uni, ut hujus Ecclesiæ *significaret* unitatem, & Apostolos moneret, ne singularem Ecclesiam singuli meditarentur fundare, sed ut in unius ejusdemque Ecclesiæ ædificationem omnes humero uno & in solidum incumberent. (Heinc) nullum singulare privilegium PETRO CHRISTUS dedit.	*Pag. 226. 227.* Igitur manifestum est, Episcopum Romanum, ut centrum unitatis Christianæ a Patribus minime habitum fuisse. *Pag.* 212. 214. Quomodo ergo reclamante Ecclesiæ unitate per tot ora, quot plagas ab Episcopis Romanis accepit, sine ipsis tamen stare eam non posse, ejusque centrum ipsos esse arbitrari quis potest? Credat hoc stipes, non ego.	

FEBRONIUS
SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.
COROLLARIUM
necessario concedendum.

Febronius neque unitatis in Ecclesia centrum, neque Caput vult, hoc est, Primatum nullum. Enimvero *sine Capite*, inquit, *Ecclesia non posset non sæpius nutare.* Audio; sed id simul lego, non esse in Ecclesia Caput, præter Christum, nec alio opus esse, fuisseque satius, si id nominis nunquam alteri, quam soli Christo, Majores nostri adtribuissent. *Centrum Unitatis*: vox pulchra, quam probe intelligo. *Fundamentum Primatus Unitas*: audio etiam; sed una lego, Firmilianum, & Episcopos *Africæ*, *Illyrici*, *Dalmatiæ*, tametsi perverse senserint, tametsi errorem, in quo fuerunt, damnarit atque damnet Ecclesia; nihilominus quod a communione Romani Episcopi, utut recte monentis sentientisque, recesserint, laudari, commendari, in exemplum adsumi.

Plus. Qui hominem impugnarunt, eorum princeps fuit hæc ratio; *non posse* UNAM *Ecclesiam sine nexu ac centro cogitari.* His ille responsurus, titulum Paragraphi hunc facit: *Papa an & quatenus sit centrum Unitatis?* Non ergo de peccatis ac vitiis personæ, sed de dogmate erat quæstio. Nihilominus quid agit? unum hoc fere; fuisse causam omnium schismatum Romanos Pontifices. Faciamus vera esse, quæ sunt falsissima (id enim ostendam) quorsum adferuntur ista, quæso, hoc loco? hoc inquam, loco, ubi non illud, quales esse, qui Pontificatum gerunt, oporteat; sed cujus rei causa institutus Primatus in Ecclesia, & cur necessarius idem sit, disputatur? Atqui si non *Romæ*, sed alibi Primatus foret; penes Angelum quidem, ut arbitror, non foret, sed penes hominem. Hominum autem quam quisque sibi, tam omnes omnium sunt similes. Quare quæ nunc ita finguntur, a summis Pontificibus ad Ecclesiarum divortium, scissionesque ac longa dissidia, fuisse perpetrata, ea si vera forent, a quovis alio perpetrari possent. Quorsum adferuntur igitur? Jam id quærebam: quorsum cum de natura ipsa Primatus, institutioneque ejus ac fine est Disputatio?

Causa in promptu est: ut omnes intelligant, inutilem omnino esse Primatum ad conservandam unitatem. Quod autem inutile est, necessarium profecto esse non potest. Quare quod verbis Jansenistæ: *manifestum est, Episcopum Romanum centrum Unitatis Christianæ a Patribus minime habitum fuisse*, Bertonus de suo ista substituit: *Sicut quilibet fidelis pro schis-*

matico

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

matico habendus est, qui PETRI *successorem pro Primate Ecclesiæ, pro suo superiore, pro centro unitatis non recognoscit: ita vicissim successor* PETRI *schismaticus foret, si se Ecclesiæ Catholicæ non vellet subjicere*: quam est verum membrum posterius hujus periodi; tam primum stolidum est, neque profectum ex bono animo. Quis enim concipiat? Quis? cum eodem tempore totisque paginis id agitur, ut nec habitum pro unitatis centro Pontificem Romanum primis sex sæculis, neque esse etiam omnino, sibi omnes persuadeant?

Atque de Primatu hæc quidem hactenus, prout institutus a Domino CHRISTO, & collatus PETRO intelligitur: nisi quod aliqua, cum ita res tulerit, de Romano Pontifice, Ecclesiaque, quæ est Romæ, velut anticipato adscripserimus. Vidimus ajentem FEBRONIUM, vidimus negantem: Catholicum hæreticumque hominem, unum & eundem vidimus: sed ut in amplo fluvio rivulum, sic ab hæresi, quidquid Catholicum præferre animum poterat, absorptum intuebamur. Potuissem autem non modo BATAVUM illum, ANTONIUMQUE DE DOMINIS, sed longe plures, quorum ad omnem hæresin implicati libri apud me sunt, Lutheranarum, Calvinianarumque partium commemorare, si fore opus putavissem. Velut quæ ANTONIUS SADAEL de Christo Capite, dequesententiis, *Tu es Petrus*, *Pasce agnos meos*, atque universe de Primatu S. PETRI contra TURRIANUM, quæque JUNIUS adversus BELLARMINUM, quæ JOANNES HENRICUS ALSTEDIUS, HENRICUS ECKHARDUS, MOLINÆUS, CHAMIERIUS & apud GRETSERUM SUITLIUIUS, SIBRANDUS, DANÆUS, WITAKERUS, atque in *Apparatu* CLAUDIUS SALMASIUS disputarunt. Est enim una horum omnium, eademque, quæ JUSTINI FEBRONII contra Primatum decertandi ratio: (11)

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat:


 Nihil

(11) ANTON. SADAEL Operum Theol. Edit. 4. an. 1614. p. 566. 567. 574. & seqq. 615. JUNIUS Adversion. in BELLAR. Controv. III. Lib. I. p. 667. seqq. ad 686. J. HEN. ALSTEDIUS Theol. Polem. p. IV. Controv. II. pag. 381. 282. HEN. ECKARD. Pandect. Controversiarum religionis anno 1652. Cap. V. Q. 1. 2. 3. a pag. 234. ad 253. MOLINÆUS in Novitate Papismi anno 1632. a pag. 270. ad 281. CHAMIERIUS in panstratia 1626 Lib. XI. a pag. 375. ad 417. Cæteri apud GRETSERUM Tom. IX. opp. in Defens. BELLARM CLAUD. SALMAS. in apparatu præmisso operi de Primatu.

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Nihil diſtat, præterquam vertiginis, ſimulationis, furtorumque infamia. Furtorum, inquam: nam quei tegere iſta porro, vel inficiari, cum in oculis, manifeſtaque ſint, poterit? Neque enim tam erit ineptus, opinor, ut, quod lineolas heinc inde aliquot inſeruit, MIXTIONE feciſſe ſuam ſe credat rem alienam. Id quippe quo ſit JURE conſtitutum non ſcio: veteri non eſt. —— Nec tamen ſunt a me omnia hactenus producta plagia: plura ſunt. Quid, ſi turpiora? ſi infanda? Condonabo id quidem in præſens & meæ & Lectorum meorum nauſeæ, ut ſeponam ea tantiſper; nec niſi ebullientem & diffluentem in ſeſe ipſum FEBRONIUM in Schematis parte altera exhibeam. JANSENISTAM vero & ANTONIUM DE DOMINIS indicabo potius, quam repræſentem utriuſque verbis adſcriptis: id enim & brevius erit, & ad ſtomachi reparationem neceſſaria hæc quaſi vacatio quædam eſſe videtur.



PARS II.

De Primatu Romani Pontificis.

Ergo qui Divo PETRO Primatum abſtulit, an ſervatum tranſmiſſumque ad poſteros tueri poterit? De Primatu loquor, qui divini ſit juris: eſt enim de hoc ſermo, ac profitetur tueri ſe illum FEBRONIUS. Heinc in ſecundi capitis tertio paragrapho: *Ratio unitatis,* inquit, *quæ Chriſtum Dominum in fundatione Eccleſiæ ſuæ movit, ut inter hujus miniſtros unum conſtitueret primum & Corporis moderatorem, ea quoque efficit, ut eundem Primatum in Eccleſia perpetuo voluerit ſubſiſtere.* Atque addit: *Perſonas, quæ poſt futurum* PETRI *deceſſum, primarium hoc in Eccleſia munus geſturæ erant, Salvator non deſignavit.* Quod nos in præſens haud ei inviti condonabimus. De Primatu qui de inſtituto CHRISTI eſſe ſtabilis debeat, quærimus. Quem cum ille defendere ſe quidem profiteatur pro eo ac catholicum decet: nos aut non memorem fuiſſe ſui, cum ſcriberet, aut quod verius, coactique credimus, nunquam ſerio fuiſſe tuitum, rebus

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

bus certis ac neceſſariis adfirmamus. Sunt autem duo potiſſimum comparanda inter ſe capita Libri ſingularis, ſecundum ac tertium, quorum in altero de *Primatu ejuſque Juribus*, in altero de *incrementis* agit *Jurium Primatus:* & ex his ambobus *ajentem negantemque* Febronium repræſentabimus.

MONITUM. Ne moles operis nimium excreſceret, viſum eſt, non in columnas, ut nuper, Schema diſpeſcere, ſed ſcriptionis communi & conſueto ordine ſententias ſententiis ſubjicere.

FEBRONIUS.

Primatum divini juris, in Romana Eccleſia collocatum adſtruens.

" Ratio unitatis, quæ CHRISTUM Dominum in fundatione Eccleſiæ ſuæ movit, ut inter hujus Miniſtros unum conſtitueret primum, & Corporis moderatorem, ea quoque effecit, ut eundem Primatum in Eccleſia perpetuo voluerit ſubſiſtere. *Tom. I. Cap. II. §. III.*

FEBRONIUS.

Eundem hunc deſtruens Primatum, ſeu ſuiſmet verbis ab Acatholico refutandus.

CHRISTUS perpetuo ſubſiſtere in Eccleſia Primatum, bono unitatis, non voluit, qui nec ſancto PETRO, bono unitatis, Primatum contulit. (Id enim poſtulabamus ſub initium Schematis) ſed non contulit CHRISTUS PETRO Primatum bono unitatis. (Quod eſt hactenus demonſtratum ex FEBRONII collatis inter ſeſe, connexiſque ſententiis) Igitur nec ſubſiſtere in Eccleſia talem Primatum CHRISTUS voluit. Quod ſiquis eſt igitur; Eccleſiaſtico is tantum jure inductus fuit, & abrogari poteſt.

FEBR. *adſtruens.*

" Fidem Romani Primatus (ejus ſcilicet, quem inſtituit CHRISTUS, tametſi perſona non deſignata) præprimis faciunt antiquiſſima Concilia. Nicænum I.

 Cano-

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

" Canone VI, qualiter PASCHASINUS in Concilio Chalcedonenſi recitavit: *Ec-*
" *cleſia Romana ſemper habuit Primatum.* In eadem Chalcedonenſi ſynodo:
" *Perpendimus omnem quidem Primatum, & honorem præcipuum ſecundum Cano-*
" *nes, Romæ amantiſſimo Archiepiſcopo conſervari.* Concilium Conſtantinopo-
" litanum decernit: *Conſtantinopolitanæ Civitatis Epiſcopum habere debere Pri-*
" *matus honorem poſt Romanum.* Patres Concilii Aquilejenſis *Romanam Eccleſiam*
" vocant *totius orbis Romani Caput.* FEB. l. c. N. 1.

FEBRON. *deſtruens.*

Patriarchalium ſedium erectio non niſi humani eſt Juris. De hoc & FEBRONIUS nobiſcum, & cum Proteſtantibus Catholici omnes conveniunt. —— Eſt autem in Conciliis, Nicæno, Conſtantinopolitano, Chalcedonenſi de *Patriarchica* tantum dignitate ſermo. En verba FEBRONII Tom. I. Cap. III. §. V. " Quando
" agitur, inquit, de inſtitutione & certis prærogativis Sedium Patriarchalium,
" dubitari nequit, quin ejuſmodi ſedium & jurium eis attributorum inſtitutio pro
" bono Eccleſiæ mutari, ampliari, vel etiam reſtringi poſſit. Hoc agnovit BEL-
" LARMINUS Lib. II. de Conciliis, dicens: Decretum de honore Sedium Patri-
" archalium ſicut a Concilio Nicæno factum fuerat, ita poterat ab alio mutari."
Hæc iſtic Numero V. ſed ſuperius Numero I: " Notus eſt, inquit, Canon.
" XXVIII. Concilii Chalcedonenſis: *Antiquæ Romæ throno, quod urbs illa im-*
" *peraret, Patres haud immerito privilegia tribuerunt. Et eadem conſideratione*
" *moti CL. Dei amantiſſimi Epiſcopi* (Concilii Conſtantinopolitani I.) *novæ Romæ*
" *throno æqualia privilegia tribuerunt.* Fuit hic Canon ſcopulus, ad quem PRO-
" TESTANTES alliſerunt. Videntes hi ex hoc Canone, Romanis Pontificibus
" certa quædam privilegia a Patribus conceſſa, exiſtimarunt, his privilegiis Pri-
" matum ipſum contineri, proinde hunc non eſſe juris divini. Provenit ille er-
" ror ex male intellecto Canone, in quo NON AGITUR DE PRIMATU Pa-
" pæ, ſed de JURE ejus PATRIARCHALI, ut ſolide demonſtrat Dupin."
Hucuſque FEBRONIUS.

Adſumo nunc. Verba, quæ ad firmandum divini juris Primatum FEBRONIUS retulerat: *Perpendimus omnem quidem Primatum & honorem præcipuum ſecundum Canones, Romæ amantiſſimo Archiepiſcopo conſervari,* verba ſunt Judicum, Canonem XXVIII. adprobantium. Igitur nec illa, niſi de Patriarchica intelligenda ſunt dignitate. Igitur *Primatum honoremque præcipuum* conſervant

eum

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

eum duntaxat quem, *quod urbs illa imperaret, non immerito Patres tribuerunt.* Quare & Constantinopolitanum Concilium de eodem tantummodo loquitur Primatu, cum decernit: *Conſtantinopolitanum Epiſcopum habere debere Primatus honorem poſt Romanum.* Hoc enim eſt, quod enuntiatur Can 28. Concilii Chalcedonensis: *Eadem conſideratione moti 150. Epiſcopi, Novæ Romæ throno æqualia privilegia decreverunt.* Æqualia ſcilicet iis, quæ Senioris Romæ Epiſcopo decreverunt Patres: & *eadem conſideratione* moti, quod ut Roma Senior, ſic modo Conſtantinopolis Roma Nova imperaret. Neque vero aliud, quam honor Primatus poſt Romanum Conſtantinopolitano Epiſcopo a CL. Deo amantiſſimis, Conſtantinopoli congregatis Epiſcopis decretus fuit. Quamobrem duo hæc imprimis Concilia deleri volo. Ad Nicænum pergo.

Ex hoc quæ Paschasinus *Chalcedone* hoc modo protulit, *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum*, vel concedit Febronius extitiſſe illa revera in Canone VI. Concilii Nicæni, vel negat, pro eo ac Dupinius facit? ſi negat, nulla vox eſt in Nicæno Concilio, ex qua Primatus, is quidem certe, de quo loquimur, probari poſſit. Canon enim ſic habet: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim; ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & Urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt.* Quodſi concedit; certabo quovis ego cum illo pretio, ut probet, non de eo ſermonem Primatu eſſe, quem, *quod imperaret urbs* illa, merito *Patres* Romano Epiſcopo *tribuerint*, id eſt, de Patriarchico Primatu. Et vero de hoc actum eſſe Nicææ, adſerentem paulo ante Febronium audivimus. De hoc ſolo actum contendit is, ad quem nos vocat, Elias Dupinius. De hoc ſolo, ſi ſcripſit vera Febronius, agi potuit. Cum enim a Christo, quemadmodum demonſtravimus eſſe conſequens ex Febronii dictis, inſtitutus non ſit Primatus aliquis; certe ſi quem habuit ſemper Romana Eccleſia; a *Patribus* habuit: qui, quod imperaret urbs illa & caput Imperii eſſet, non immerito, ut Chalcedone dicitur, privilegia ei tribuerunt. Non poteſt igitur ex hujuſmodi dictis Primatus, de quo loquimur, probari: prorſus a Febronio non poteſt. Ac ne nos quidem ex illis probamus; ſed eo tantum iſta adferimus, ut omnes intelligant, non defendi, non propugnari ab illa larva cauſam Catholicam, ſed contemptui, ſed ludibrio exponi hæreticorum.

Febronius *adſtruens.*

" Concilium Constantiense damnat illam propoſitionem Joannis Wi" glef. *non eſt de neceſſitate ſalutis credere, Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam*

" inter

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

„ *inter alias Ecclesias.* Et hanc Joannis Hus: *Romanus Pontifex non est Caput* „ *Romanæ Ecclesiæ*: FEB. Tom. I. Cap. II. §. III. N. I.

FEBRONIUS *destruens.*

Si de *necessitate salutis* est credere Romanam Ecclesiam esse supremam; certe est a CHRISTO Primatus illius institutus. Non autem instituit CHRISTUS Primatum per demonstrata hactenus ex FEBRONII sententiis. Igitur nec verum est, quod ea Synodus sancivit ═══ Rursum: Scriptura ac Patres solum CHRISTUM vocant *Caput* Ecclesiæ, ac multo hic loquendi modus *securior* est. Non indiget etiam Ecclesia aspectabili Capite; sed CHRISTUS per sese ipsum eam regere non minus absens corpore, quam præsens potest. FEBRONII ista sunt. (12) Quare si non ipse; Concilium errarit necesse est. Quod neque mirum videri potest, siquidem de TRIDENTINO hæc ejus sunt verba: (13) *Falsitas Decretalium Isidori tempore Tridentini Concilii necdum erat aperta. Quare minimè mirandum, si multi Isidorianis principiis tam tenaciter adhæserint, & nonnulla eundem spiritum redolentia in Acta publica Conciliorum etiam generalium irrepserint.* Quæ ille verba ad eum locum non dubitavit effutire, ubi ex XIV. Sessione hanc proximè sententiam Concilii retulerat: *Non est dubitandum, Pontifices Max. pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita, causas aliquas criminum graviores suo posse peculiari judicio reservare.* Quodsi TRIDENTINUM ferre labem hanc potest; CONSTANTIENSE cur eandem non ferat? Atqui magis etiam: nam auctoritatem Isidoro conciliavit, WICLEFFI trigesima octava hac damnata propositione, *Decretales epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt a Christi fide, & Clerici sunt stulti, qui student iis.*

FEBRONIUS *adstruens.*

„ Florentinum sanxit: *Definimus sanctam Apostolicam Sedem & Romanum* „ *Pontificem in universum Orbem tenere Primatum, & ipsum Romanum Ponti-* „ *ficem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum.* L. c.

FEBRONIUS *destruens.*

Immovero addit Synodus: *Et* VERUM *Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ* CA-

(12) Vide supra pag. 187. & seq.
(13) Tom. I. Cap. I. §. VIII. N. 10.

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Caput, *& omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in* B. Petro pascendi, regendi, *& gubernandi universam Ecclesiam* plenam *potestatem traditam esse.* Qui hæc falsa putat, quam ille vim faciet Florentini objecta auctoritate? *Per hoc,* (Febronii sunt iterum verba Capitis tertii octavo paragrapho) *quod Papa sit vicarius* Christi, SIMILI *vicariatu non excluduntur reliqui Episcopi.* Item, *unus tantum in Ecclesia Episcopatus, in quo quilibet Episcopus æqualem universi curam sustineat.* De Dignitate *Capitis* quid sentiat, vidimus. Et ut excusare ista velit: (scio enim, Papam saltem primum inter Vicarios ab eo poni) quid? si ne hoc quidem probare ex Florentino possit? Etenim quidquid datur istic Pontifici, eo datur, quod *in B.* Petro *pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam, potestatem plenam acceperit.* Itaque propterea, quoniam Petro dictum est: *Pasce agnos meos. Tu es Petrus* &c. Sed iis verbis nihil collatum Petro est præ aliis; ac ne hoc quidem, ut esset primus inter Christi Vicarios: id enim superiore parte Schematis non ad opinionem, sed ad evidentiam demonstratum fuit, ex Febronii esse dictis, doctrinaque consequens.

Atque adeo cum Bernardus ista scripsisset ad Papam Eugenium: *Tu es, cui Claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alii cæli Janitores, & gregum Pastores: sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi assignatos sibi greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus, nec modo ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor:* Bernardus cum, inquam, ista scripsisset, quid respondit Febronius? *Ampullata verba esse:* ac *jam ævo hujus sancti Systema falsarum Decretalium prævaluisse: unde minime mirandum, si idem vir sanctus hic & alibi secundum corruptæ hujus œconomiæ ideam non tantum locutus fuerit, sed & quædam Scripturæ loca in eundem sensum traxerit, quæ secundum se spectata illuc nulla ratione pertinere noscuntur.* Hæc in tertii Capitis octavo paragrapho extant, & legi possunt. Volo quemvis autem, qui oculos mentemque habet, Bernardi & Concilii inter se verba componere: fatebitur, si Bernardus magna dixit, non minora, immo siquid ego intelligo, etiam majora Patres Concilii istius dixisse. Quid autem? Quæ ex Bernardi progressa ore, *ampullata* videntur Febronio, nec vera satis, & abducta ab scripturarum interpretatione legitima ac sensu, ea Concilium facere vera potuit? Atqui quod falsum est, reddi verum nulla loquentis potest auctoritate. = Et ut hoc etiam mittamus; quæso, cujus sunt verba hæc: *a Gallis pernegatum fuit, Florentino inter generalia Con-*

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

cilia locum dandum esse: quippe quod ex quibusdam Italis, & quatuor solum Græcis Patribus compositum fuit? Quis magnis literis, ut sententiam manifestaret suam, ista distinxit: *Ex quibusdam Italis, & quatuor solum Græcis Patribus!*

FEBRONIUS *adstruens.*

" Conciliorum Decretis addamus Patrum pro Romano Primatu elogia. S. " IRENÆUS: *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse " est omnem convenire Ecclesiam.* L. c.

FEBRONIUS *destruens.*

Immovero quis præstantissimum IRENÆI locum hunc post JANSENISTAM BATAVUM peculiari paragrapho conatus est Romanæ Ecclesiæ eripere, & Imperatoribus ethnicis, senatuique & Romano populo vindicare? Revelabo id ego dedecus, sed opportune.

FEBRONIUS *adstruens.*

" CYPRIANUS epistola 55. ad CORNELIUM Papam scribit: *Petri cathedra, " Ecclesia principalis, unde unitas sacerdotalis exorta est.* Idem de unitate Ec- " clesiæ: *Qui Petri cathedram deserit, in Ecclesia non est.*

FEBRONIUS *destruens.*

" Communio Ecclesiarum duobus præcipue modis innotescebat. Primum " ex literis communionis, quas ad se scribebant invicem: Secundo ex benigna " susceptione eorum, qui ab externis Ecclesiis veniebant, & concessa eis com- " munione. Quoniam vero fieri vix poterat, ut singulæ Ecclesiæ mutuo commercio " sibi notæ essent, idcirco magnæ quædam Sedes ELIGEBANTUR, per quas " Ecclesiæ inter se communicabant. Sic Ecclesiæ Orientis cum Occidentalibus " communicare censebantur, quando communicabant Antiocheno Patriarchæ, " qui junctus erat communione cum Romano, cui SPECIALIORI nexu adhæ- " rebant OCCIDENTALES. Ita etiam Ægyptii per Alexandrinum communica- " bant cum Romano, & Occidentales omnes cum Orientalibus & Ægyptiis iti- " dem per Romanum, quem S. BASILIUS propterea *Occidentalium Coryphæum* " nominat. — — — Sic Romana Ecclesia erat quidem punctum, in quo

&

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

" & per quod reliquæ Ecclesiæ inter se communicabant: sed vel hæc ipsa Com-
" munionis Jura, & communicandi modi regebantur regulis, non a Romana,
" sed ab universali Ecclesia dictatis. "

Hæc Febronius: qui cum secundi Capitis quintum paragraphum prænotasset his verbis: *Ecclesia, cui Primatus annectitur, per hoc fit centrum unitatis;* Unitatis exinde vim atque indolem in *communicatione* esse positam dicit *Ecclesiarum omnium inter se, per symbola, aut signa ad eam declarandam idonea, & recepta*, literarum scilicet commercium, & Jura hospitii: quæ queis dixi, verbis descripsit Cap. III. §. IV.; quo Lectorem dimiserat. En, quo sit sensu Ecclesia Romana *principalis* adpellata, & *Unitatis exordium*! Eo, in quo præter umbram honoris nihil adpareat: nihil quod arbitrarium non sit, & humano constitutum Jure. Nam id & voces illæ declarant: ELIGEBANTUR; *Occidentales* SPECIALIORI nexu; OCCIDENTALIUM *Coryphæus*; & est aliunde res omnibus nota, Patriarchicas Sedes, majorum urbium habita ratione, ordinatas esse. (14) Pergit:

" Non aliter accipienda sunt illa S. Cypriani: *scripsisti etiam,*
" *ut exemplum earundem literarum ad* Cornelium *Romanum Pontificem mitte-*
" *rem, ut sciret te secum, hoc est, cum catholica Ecclesia communicare.* " Atqui manifestum heic sane est, Cyprianum pro eodem ista duo accipere, *esse cum* Cornelio, *& esse cum Ecclesia catholica.* Id itaque si est eo tantum sensu verum, quod Roma literis destinata fuerit ad Catholicos Episcopos communionis testandæ causa transmittendis; profecto nec in illis: *Qui cathedram Petri deserit*, vis est ulla, nihil magnificum, nihil præstabile. Sed erit sensus, eum qui cum Romano Episcopo consuetudinem literarum non habet, nec cum cæteris habere Catholicis Episcopis: propterea quod tabellarius sit ille aut procurator publicus epistolarum communium. Hem! quam insignis Primatus!

Febronius *adstruens.*

" S. Hieronymus ad Damasum: *Ego nullum primum nisi Christum sequens,*
" *Beatitudini tuæ, id est cathedræ* Petri *communione consocior: super illam pe-*
" *tram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comede-*
dd 2 *rit,*

(14) Vid. Hallier de Hierarch. Ecclesiast. dotibus Lib. IV. Cap. III. Artic. III.

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

" *rit, profanus eſt.* S. Augustinus epiſt. 43. *In Romana Eccleſia Apoſtolicæ*
" *cathedræ ſemper viguit principatus.* Epiſcopi Galliæ ad Leonem I. *Merito*
" *illic principatum Apoſtolicæ Sedis conſtitutum.* S. Bernardus L. 2. de conſid.
" *Non modo ovium, ſed & Paſtorum tu unus omnium Paſtor.* S. Gregorius
" Nazianzenus : *Fides vetuſtæ Romæ recta erat jam antiquitus, & recta per-*
" *ſtat nunc item, nexu pio, quodcunque labens ſol videt, revinciens, ut univerſi*
" *præſidem mundi decet.* S. Prosper : *Sedes Roma* Petri, *quæ Paſtoralis hono-*
" *ris facta caput mundo.* "

Febronius *deſtruens.*

Capitis III. ſphi VIII. hic titulus eſt: *Quæ hinc & inde occurrunt FIGURÆ, aut AMPULLATÆ Patrum locutiones, ſubſtantiam rei non mutant.*

Pro exemplo adducitur idem ille Hieronymi ad Damasum locus ; idem Augustini, cui germana ſunt verba Galliæ Epiſcoporum ad Leonem ; Idem Bernardi: atque concluditur: " Hæc lucem dare poſſunt aliis ſimilibus Patrum " locis, quæ in hanc rem proferuntur a Bellarmino, Perronio, Tournelio, " Orso, neque tamen cauſam, in quam allegantur, ulla ratione evincunt; " ad ſummum vero aliis anſam dare potuerunt, & probabiliter dederunt, ag- " noſcendi aut ſupponendi in Papa auctoritatem, quam neque divino, neque " humano jure obtinet. " Quid heic Perronius? quid Tournelius? Neuter Romanus fuit, ſed Galli ambo: ambo in id unum contulerunt operam ſuam, ut Catholicum de Primatu dogma contra hoſtes Eccleſiæ defenderent. Magni momenti eſt hæc adnotatio: ſed prætermittatur tamen! tenemus hoc, ampullas, ſeu Oratorum ludibria eſſe, quæ Patres illi ſcripſerunt. Quare aut nihil, aut id unum ſignificant, inter Patriarchas *honore* primum fuiſſe Romanum: hic ejus *Primatus*, hi fines dignitatis ac jura. Audiamus de Hieronymi laudatis verbis diſſerentem! " Hæc, inquit, utcunque turgida, aliud non exprimunt, quam com- " munionem cum primaria Sede Romana, de qua egimus paragrapho quarto." Ita eſt: vidimus tabellarium: vox, cum de ſummo Antiſtite dicitur, pudenda & impia, ſed neceſſaria mihi hoc loco, & plane extorta. Eſt enim hæc ſumma: cum omnium ad omnes mitti literæ non poſſent, ſed compendio opus eſſet; electos fuiſſe, qui inter ſeſe, & cæterorum nomine conferrent, præcipuarum quarundam urbium Epiſcopos: qui cum eſſent tres, inter tres autem unum medium eſſe oporteat; id honoris Romano fuiſſe delatum. Proſeqnitur:

Con-

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

" Conſiderandæ inſuper veniunt circumſtantiæ temporum in quibus hæc Hieronymus ſcribebat. == == Alii ſcilicet (ex orientalibus Antiocheno Patriarchatui ſubjectis) tres hypoſtaſes, alii unam duntaxat in Deo eſſe, ac dici debere, contendebant. In hoc conflictu ac ſchiſmate Orientalium == == == cum teſtaretur Hieronymus, velle ſe judicio Damasi Rom. Pontificis adhærere; non ignorabat, cum eo totum Occidentem, Ægyptumque conſpirare. Hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, id eſt, cum Damaso, Petroque condemnent, ſcribit epiſt. 15.: Damaso ſcilicet Romæ, & Petro Alexandriæ Epiſcopo." Tanquam ſi diceret: quoniam unius Patriarchatus Epiſcopi diviſi animis erant; aliorum autem duum de hypoſtaſibus doctrina videbatur conſentiens: ſanam rationem impetraſſe ab Hieronymo, ut his duobus ſe potius, quam ſeparatis diſtractiſque Antiocheni unius Patriarchatus Epiſcopis adjungeret. Quid hæc ad Primatum?

Febronius *adſtruens.*

" S. Chrysostomus ad Innocentium I. *Obſecro, ut ſcribas, quod hæc tam inique geſta non habeant robur: illi autem, qui adeo inique egiſſe deprehenſi ſunt, pœnæ Eccleſiaſticarum legum ſubjaceant.* S. Athanasius ad Felicem Papam; *Ob id vos,* inquit, *Prædeceſſoreſque veſtros, Apoſtolicos videlicet Præſules in Summitatis arce conſtituit, omniumque Eccleſiarum curam habere præcepit, ut nobis ſuccurratis.*

Febronius *deſtruens.*

" Ex mox relatis verbis (Chrysostomi) *obſecro, ut ſcribas* &c. concludunt Romani == == a Chrysostomo Innocentium rogatum, ut Pontificia ſua auctoritate, judicia in Oriente lata irritaret. Verum ſi advertatur, eandem epiſtolam == == a S. Joanne ad Venerium Epiſcopum Mediolanenſem, & ad Chromatium Aquilejæ Epiſcopum pariter ſcriptam eſſe; certo concludetur, Chrysostomum petiiſſe, ut ſinguli ſcribant, quæ ibi facta fuerunt, robur habere non poſſe, tanquam acta adverſus Canones, & formam judiciorum. Proindeque petiit, ut ſibi ab OCCIDENTALIBUS non denegetur communio, ſed ea potius confirmetur. Hæc autem omnia *facere, non ſolum Præſuli Apoſtolico licet, ſed &* cuicunque *Pontifici* (id eſt, Epiſcopo. „ Et ibidem: " Quod ad cauſam S. Athanasii adtinet, cum is citra omnem Judiciorum formam damnatus eſſet; non ſolius Julii Papæ, ſed om-

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS, ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

" omnium Occidentalium ſententia, additis etiam Ægyptiorum & Orientalium " quamplurimorum ſuffragiis ſuæ Sedi reſtitutus eſt. „

Explicatione hæc quidem, ut arbitror, non egent. Eſt enim manifeſtum, CHRYSOSTOMI, ATHANASIIque Sententias eo trahi, nihil ut aliud probent, quam Patriarcham Occidentis Romanum eſſe Pontificem, non Primatem Eccleſiæ univerſalis. Niſi forte id aliquem moveat, quod ad FELICEM ſaltem cum ATHANASIUS ſcriberet, *Arcem ſummitatis* Romanam Eccleſiam adpellaverit? Sed ad *ampullas* hoc pertinet. Id enim diſerte a FEBRONIO cautum cum ſit; nulla locutionum eſt hujuſmodi habenda ratio. (15)

FEBRONIUS *adſtruens.*

S. LEO in anniverſario die aſſumptionis ſuæ: *Celebratur hodierna feſtivitas, ut in perſona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo omnium Paſtorum ſolicitudo cum commendatarum ſibi ovium cuſtodia perſeverat &c.* l. c.

FEBRONIUS *deſtruens.*

Dum hæc ſcribo, videor mihi hinc Catholicorum nonnullos ſubmurmurantes audire, illinc ſectarios utraque applaudentes manu - - - utriſque ſatisfaciam unius CAUSABONI verbis, cui non aſſentiri nec Acatholici audeant, nec debeant hac in re Catholici. Sic igitur vir doctiſſimus, utinam & catholicus: Non ignoramus, quantus hic Leo fuerit ſinceræ fidei defenſor, & pro recta fide quantos labores ſuſtinuerit. Neque vero dubium mihi eſt, tantum illud ſtudium, quod videmus ab eo adhibitum, ut ſedes Romana in majus extenderetur, a bono principio fuiſſe profectum, & ad finem optimum ſpectaſſe. Vaſtabant illa ætate Eccleſias (orientis) perditiſſimi hæretici, qui magnas quotidie ſtrages, ut apri vineam ingreſſi edebant: neque erat, qui progreſſibus eorum ſeſe opponeret, qui quidem cauſam bonam poſſet juvare, præter Romanum Epiſcopum. Nemo autem peritus rerum Eccleſiæ ignorat, opera Rom. Pontificum per multa ſæcula Deum eſſe uſum in conſervanda ſarta tecta fidei doctrina. Hoc intelligens Leo Magnus, & quotidiana experientia edoctus, quantum veræ fidei intereſſet, ut paratum illi ſemper eſſet in ſede Romana præſidium firmiſſimum, modis

(15) Recolantur, quæ ſupra pag. 212. de TOURNELIO adſerentem FEBRONIUM audivimus. ATHANASII enim hic locus inter eos, quos TOURNELIUS laudat, præcipuus eſt.

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

modis omnibus, ut ita esset procuravit. Quod quidem minus videri dubium debet, (*mirum* est apud Causab.) quia sic Ecclesiæ Dei expedire, optimus quisque tum credebat, & erat ita revera illis temporibus. Tom. I. Cap. VIII. §. 3.

FEBRONIUS *adstruens.*

" Cum Romanus Pontifex sit primus; supremo ejus muneri adnexa esse de-
" bet solicitudo, ut per universum orbem observentur Canones, ut fides illiba-
" ta custodiatur &c. Quisquis enim primus est in aliqua societate, is lege na-
" turali tenetur invigilare, ut leges societatis serventur.

FEBRONIUS *destruens.*

Capitis III. §phi II. hic titulus est: " Non omnia, quæ Romani Pontifices
" in aliorum Diœcesibus egerunt, præcise vi universalis Primatus, aut sua aucto-
" ritate perfecisse censendi sunt. " Huic tituli parti in contextu respondent ista:

" Quæ Romanus Pontifex sæpe legitur fecisse extra fines suæ Diœceseos, Provin-
" ciæ, quin & Patriarchatus sui *pro sustinenda fide*, *pro reprimenda hæresi, pro*
" *Canonum universalium* manutentione & executione, ea ex prædictorum nor-
" ma multum absunt, ut in agente specialiorem & proprie dictam, eamque im-
" mediatam jurisdictionem aut supponant aut involvant. "

Hæc sane verba quisquis cum Titulo, cujus explicatio sunt & esse debent, comparaverit, evidenter statim intelliget, quod modo sic dicit: *Jurisdictionem specialiorem & proprie dictam*, respondere iis: *Vi universalis Primatus, aut sua auctoritate.* Non igitur vi Primatus; non auctoritate, quam satis amplam alioquin dixerat huic adnexam esse; sive fidei, ne in exitium ea incumbat; sive hæresibus, ut reprimantur, sive legibus, ut serventur, executionique dentur, solicitudinem suam Pontifices Maximi extra fines Diœceseos, Provinciæ, quin & Patriarchatus sui impendunt. Nolo quam gradatio sit ista futilis, quærere: id enim qui modice secum sunt, statim vident. Quæro, ecquinam *ajo* & *nego* conciliari heic inter se possint? *Habet Primatum: supremum est munus, quo fungitur*: huic *solicitudo adnexa esse debet, ut & Canones serventur per universum orbem, & fides custodiatur.* Quodsi extra fines tamen suæ Diœceseos, extra Provinciam, extra Patriarchatus sui limites procurationem hanc obeat; *non vi Primatus sui* id facit. Monstrum! quis mortalium capiat?

In

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

" In quavis ſocietate ſingulis ejus membris Jure naturali incumbit obligatio " procurandi obſervationem legum communium. Quoniam vero in communibus his obligationibus idem evenire ſolet, quod in communi bonorum ſeu " jurium poſſeſſione, ut ſcilicet hæc communiter negligantur; hinc convenit, " ut in omni ſocietate unus præcipue ferat onus, reliquis ex officio intendendi, " & legum executionem urgendi." Hæc ut Lector intelligat, comparare cum iis debet, quæ ſunt in tertii Capitis primo paragrapho. Cujus ſcopus eſt, *Eccleſiam totam inſtar unius cujuſdam Epiſcopatus eſſe*, cujus adminiſtratio *ad omnes* pertineat *in ſolidum.* Poſt hæc repetamus, & transferamus huc, quæ commemorata ſunt proxime: *Quiſquis primus eſt in aliqua ſocietate, is lege naturali tenetur invigilare, ut leges ſocietatis ſerventur.* Tandem illud: *Non omnia, quæ Romani Pontifices in aliorum Diœceſibus geſſere, præciſe vi univerſalis Primatus egiſſe aut ſua auctoritate perfeciſſe cenſendi ſunt.* Hæc juxta ſe poſita talem ſenſum habent: Quæ in alienis Diœceſibus cauſa fidei ſacrorumque Canonum Pontifices faciunt, non *vi Primatus* cenſendi ſunt facere: Ejus ſcilicet, quem Catholici credunt, quique ut ſtabilis actuoſuſque in Eccleſia perſeveret, a CHRISTO ipſo ſit inſtitutus. Hujuſmodi enim quod ſæpe oſtendimus, CHRISTUS nullum inſtituit ex doctrina FEBRONII: ac ſi inſtituiſſet; functiones utique obligationemque impoſuiſſet ipſe; non, quod modo hariolus fingit, ex *naturali* determinandam lege eam reliquiſſet.

Sed eſt tamen *Primatus* aliquis, cui ſolicitudo iſta Eccleſiarum omnium adnexa ſit? Qualis? Hominem ita intelligo. CHRISTUS Epiſcopos omnes honore, auctoritate, poteſtate, miſſioneque pares fecit: cumque unus ſit Epiſcopatus in ſolidum commiſſus omnibus; voluit omnes omnium, pro eo ac adminiſtrationis iſta ratio poſtulat, Eccleſiarum in ſe curam ſuſcipere. Ita de CHRISTI quidem inſtituto nullus Primatus, nulla ſedium, nulla Epiſcoporum diſtinctio. Sed Eccleſia ſua ſponte Metropolitas, Exarchos, & Patriarchas ſibi quoſdam creavit ad civilis Imperii imitationem: quo factum, ut cum urbs Roma præcipua, faſtigiumque & Caput Imperii eſſet, *honor* primus Romano fuerit relictus. Sic igitur ille jam primus eſt. Cum autem pro eo, atque Epiſcopatus eſt unus, ſolicitudo omnium Eccleſiarum incumbat omnibus: fit, ut tametſi nihil præter honorem atque gradum Romano Eccleſia decreſſet; debitorem vero ſibi non feciſſet pactione expreſſa: ille nihilominus ipſa *naturali* & connata lege teneatur, ſi alii deſint communi in Eccleſiam officio, ſupplere, quantum comiter poteſt, eorum negligentiam, auctoremque & agendi quaſi principium ſe exhibere.

Hæc

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

Hæc ſumma Febroniani ſyſtematis: ſic partes hærent: ſic tanquam ex glareis diſperſiſque fragminibus obeliſcus ille erigitur vaniloquentiæ: habeoque certiſſimum, nec ſi coram adeſſet ipſe Febronius; poſſe aptius concinniuſque collocare.

Ex quo id etiam, quod cuſtodem fidei, tutorem ac vindicem Canonum Pontificem vocat, intelligi utcunque poteſt. Nam in ſecundo quidem capite ubi Primatum ex catholica, ut putat, formula exponendum ſumpſit, aſſeverate dicit, *Romanum Pontificem tutorem ac vindicem Canonum eſſe per univerſam Eccleſiam;* atque ei incumbere, *cum Apoſtolicas Traditiones, tum etiam ſynodalium Canonum ſtatuta ſedulo ſanctèque coli curare.* Sed quo ſenſu? ut moneat peccantes, non ut præcipiat. Sin paulo longius progreſſus fuerit, faciet, quod in poteſtate ſua neutiquam poſitum eſt. Sic fines tranſiliit S. VICTOR, cum Judaizantes in Aſia Epiſcopos communione privare voluit: ſic S. STEPHANUS, cum præcepit, *nequid innovaretur, ſed ſervaretur quod traditum eſſet:* Sic S. CÆLESTINUS cum NESTORIO diem dixit: ſic alii. Ita quam eſt ἀδυνατον, negantem cum ajente, & illum, qui eſt, cum eo quem ſe fingit eſſe, conjungere: tam ſibi hæret, & totus eſt unus, ſi neganti negantem componas, hoc eſt, ſi non Catholicum cuicunque, qui eo minus fuit unquam catholicus. Sed libet verba ut hactenus feci, adſcribere.

FEBRONIUS *adſtruens.*

" Romanus Pontifex eſt tutor & *vindex* Canonum. " Probat teſtimoniis S. CÆLESTINI, SIRICII, GELASII ſummorum Pontificum. Tom. I. Cap. II. §. 7.

FEBRONIUS *deſtruens.*

" Non juſtitiæ tantum, ſed quam maxime *poteſtatis* defectum in STEPHANO
" CYPRIANUS incuſat, dum quærit, quis eum *Epiſcopum Epiſcoporum* conſtitue-
" rit, id eſt, talem, qui valeat Epiſcopis *præcipere.*

" Ante falſas *Decretales* Pontificia authoritas ægre intra fines ſuos contine-
" batur. — — Eo jam ævo inventi ſunt, qui Romanam ſedem de ſtudio au-
" gendæ poteſtatis ſuæ incuſarent. — — Talium augmentorum haud pauca
" ſive attentata, ſive in effectum redacta, hoc ipſo in Tractatu exhibemus. Ex
" Sæculo II. in VICTORE. Sæc. III. in STEPHANO. Sæc. V. in INNOC. I., in Bo-

FEBRONIUS

SECUM CONFLIGENS ET CUM ECCLESIÆ HOSTIBUS SENTIENS.

" nifacio ſeu Zosimo, in Cælestino I., in Gelasio. Sæc VI. in Greg. M. Tom. I. Cap. VIII. §. 2.

FEBRONIUS *adſtruens.*

" Ea quæ ad Eccleſiæ ſtatum attinent, ubivis gerantur, ad Romanum Ponti-
" ficem referenda ſunt. Cap. II. §. VI.

FEBRONIUS *deſtruens.*

" Conſuetudo multorum in difficilioribus negotiis ad Sedem Romanam
" tanquam matrem & magiſtram recurrendi talis erat, ut nullum jus perfectum
" primæ Sedi ad has relationes competierit. — — Non ad ſolum Roma-
" num, ſed alios etiam magnæ auctoritatis Epiſcopos recurſus pro accipiendis
" luminibus & directione ſumebantur. Sic ad S. Cyprianum ſubinde ab ipſa
" Romana Eccleſia ſimiles relationes factæ leguntur, neque ex eo aliqua juris
" prærogativa pro certa Eccleſia deſumi poteſt. Theodosius Imperator tale
" privilegium, quale Rom. Epiſcopus ſibi vindicabat, indulſit Conſtantinopoli-
" tano. Cap. III. §. VII.

Atque ut nihil tandem feciſſe reliquum videri poſſit, quod & Catholicam cauſam peſſumdare, & Sectariorum juvare queat: ſic ſcribit in octavi capitis paragrapho ſeptimo:

" Cum authoritas Papæ in religione fundata ſit (ſcripturarum nimirum ora-
" culis, id quod negari ab eo vidimus) nemo mirabitur, quod ignorantia & fa-
" natiſmus debito legitimoque reſpectui cultum ſuperſtitioſum addiderint, atque
" ita ambitioni immolata ſit libertas, dum credebatur ſacrificari religioni. = =
" Major vis eſt ſuperſtitionis, quàm fortiſſimorum armorum & exercituum.

Nempe huc ventum eſt, Arcem, quam ducentorum ac quinquaginginta jam prope annorum ſpatio contra Lutherum atque Calvinum propugnarunt Majores noſtri, & in qua ſtabilienda ut curam præcipuam Tridentina Synodus poneret, auctor illi Cardinalis Lotharingius fuit, ſpoliatam nunc demum a domeſtico Catholicoque homine, proditam, ac pene traditam eſſe videmus. Nam quid reſtare nobis porro ad tuendam eam, ut par eſt, poterit? Scriptura ſacra erepta; Patres colliſi; Pontifices contempti;

tempti; Conciliorum vel illuſa, vel elevata Decreta. Supererat fidelium pietas, communiſque ſenſus, uſus & diſciplina ſæculorum. ſed reſecantur iſta uno ictu, cum ad *ſuperſtitionem* amandantur: mirarerque ſi *fanatiſmum*, quæ uſitatior hodie eſt multis vox, & ad politum pertinet loquendi genus, non adpellaſſet. Quanquam per me una notio ſit. Quod vereor; niſi modum, quorum curatio eſt illa, ac munus, furori ponant; audiemus in Circulis propediem, quod in parodia de morte inter *Adpellantes* præcipui cujuſdam viri poeta impius cecinit:

Non eſt, quod eſſe ſtulta plebs Papam putat.
Totam potentiam dedit ſuperſtitio,
Credereque mens vulgi facilis —— (16)
O Novator! ſic *non deſinis ſubvertere vias Domini rectas*?

Sed forte injuriam viro optimo facimus. Poſtquam tomis omnino tribus ſanguinem, vitaleſque omnes Spiritus ſuos in evertendo, quem Catholici credimus, Primatu D. Petri, ac ſucceſſorum ejus, Pontificum Romanorum, conſumpſerat; poſtquam Heidelbergenſis Univerſitatis doctiſſimo modeſtiſſimoque viro petulanter illuſerat, propterea, quod, cum ex Matthæi & Joannis ille textibus contra ſe pugnam inſtauraſſet, *argumentis* fuiſſet uſus *vagis*, & *indefinitis*, quorumque vis adeo ſit nulla, ad *prudentem* Acatholicum reducendum, & quæ a totidem, immo pluribus viris doctis & piis ADVERSUS Petri PRIMATUM, quam pro eo interpretationem accipiant: (16) poſtquam ſcripſerat hæc, inquam, iſte, & effutierat; quid agit? Adeſte animis! rem narro portenti ſimilem, immovero majorem, ut quidem arbitror, quovis portento. Idem ille Justinus Febronius ſub finem tertii tomi cum Walchio Lutherano Scriptore congreſſus exemplumque de ſe daturus, quo modo convinci, & ad veram perduci fidem id genus homines poſſint, momento, ac tanquam omnium,

(16) Gallice: Les Papes ne ſont pas ce qu'un vain peuple penſe
Et leur crédulité fait toute leur puiſſance.
In ſcena ultima Mithridatis.

(17) Tom. III. pag. 287. Vellem videre in Cathedra Canonica Univerſitatis mixtæ Religionis profeſſorem liberum, & adſuetum proferre non niſi ſolida & convincentia argumenta circa materias & quæſtiones Juris Eccleſiaſtici, quæ nos a Proteſtantibus ſeparant. Talia certe non ſunt, quæ P. SCHMIDT hoc loco e ſacris Literis profert, quippe quæ a totidem, immo pluribus viris doctis ac piis adverſus Petri Primatum, quam pro eo interpretationem accipiunt. Tam vagis utens argumentis nullum prudentem Acatholicum ad veram fidem perducet.

quæ egerat, immemor, ſtylum ſumit Catholicum; *Primatum*, de quo interrogaverat WALCHIUS, probare inſtituit. Et quibus argumentis? Ipſis illis *Matthæi* verbis: *Tu es Petrus*; ipſis, quæ apud *Joannem* extant, *Paſce oves meas*. (18) Quid dicam? quid cogitem? Poſſumne, quantumvis velim, inferamque vim mihi, hominem ſobrium putare? Quorum pondus nuper detraxerat; quæ vaga, quæ indefinita, quæ inepta ad convincendum prudentem virum, quæque adeo aptiora ad evertendum Primatum PETRI, quam ad firmandum ante folia erant non plura octo ac decem; ea & definita nunc illi ſunt ac minime vaga, & ad convincendum non in ruſticorum Caſis præconem aliquem, ſed ad WALCHIUM, ſed ad virum, qui, ut ipſe loquitur, *in celebri* Goettingenſium *Univerſitate Evangelicam Religionem cum laude docet*, (19) ſubigendum, reducendumque aptiſſima.

Quanquam crederem ego fortaſſis, rediſſe ad ſe illum, cum ita WALCHIO reſpondit; niſi eodem ipſo in loco perverti rurſum, corrumpique omnia viderem. Etenim ingreſſurus in argumentum ex laudatis textibus, ait, Primatum ex iis probari adſeruiſſe THEODORUM ſuum a PALUDE Cap. I. §. 2., & BERTONUM, alterum item ſuum Titulo I. §. 2. Adeo utrumque. Sed priorem quidem ex inſtituto non modo non probare ex iis verbis Primatum aliquem, ſed ne ferre quidem, ut probetur video. (20) Alter in

(18) Tom. III. pag. 322. & ſeqq. *Poſtulatum tertium* (Cl. WALCHII) *Petitur demonſtrari, quod ad ſervandam unitatem viſibili Capite opus ſit?*
Reſpondet: *Textibus ſacræ Scripturæ Matthæi XVI. Joannis XXI.* - - - PETRI *Primatum probari, aſſeruere* JUST. FEBRONIUS *Cap. I.* §. THEODORUS *a* PALUDE *Cap. I.* §. 2. DANIEL BERTONUS *Tit. I.* §. 2. *Ex iiſdem Scripturæ locis eundum Primatum* - - *colligit ac firmat* CYPRIANUS. - - - - Recitat locum, ac pergit: *ſane verbis* CHRISTI, *Tu es Petrus, & quæ ſequuntur &c ſi mature ponderentur, aliqua prærogativa ſignificatur, quæ nullatenus fuit cæteris Apoſtolis communis.* Atque ita deinceps adcurate & more Catholicorum, planeque, ut iidem ipſi, a quibus impugnatus hactenus fuerat.

(19) FEB. Tom. III. pag. 313.

(20) Tom. II. pag. 354. P. ZACCARIAS iterum in rem ſuam producit ſexcenties ab utraque parte excuſſos textus Matthæi XVI. & Joann. XXI. - - - Dum ſacras literas ſcrutamur; invenimus tribus vicibus inter Chriſti Diſcipulos fuiſſe de Majoritate contentionem - - ſane de hac re toties non cotendiſſent Apoſtoli, ſi per verba, *Tu es Petrus* &c. *Tibi dabo Claves* &c. ſoli PETRO, aut ſaltem ei tanquam Manarchæ, regendæ univerſalis Eccleſiæ auctoritas principaliter fuiſſet tradita. Attamen eadem hæc verba, & in his fundata (ut minimum dicam) *incerta* atque *dubia* Romanorum Præſulum poſtulata, (quod non defectui divinæ Providentiæ, ſed malitiæ ambitioſorum hominum adſcribendum eſt) tot bella, tot cædes, tot vaſtationes cauſaverunt, quantum non ullæ ſæcularium poteſtatum prætenſiones armis vindicatæ: *En omnia, quæ de his textibus Theodorus. Pergit:* In Actis Apoſtolorum quotquot PETRI præſidium & Primatum indicant, tot &c. Heic ex incidenti Primatum adſignat *Petro*; ſed *honoris*, ut patet, ac qualem nec *Janſeniſta*, nec *Antonius de Dominis*, nec hæreticorum credo alius unquam negavit.

in RICHERII vindicanda opinione de Clavibus Ecclesiæ Universitati datis, & de missione individua LXX. Discipulorum cum Apostolis, totus est in illo paragrapho: de Primatu nec agit, nec eum probat; quamvis vocem Primatus eamque semel tantum, & ex incidenti, & inclusam parenthesi immisceat. De hujusmodi homine quis esse animus viro Catholico debet? (21)

ARTICULUS II.

DE PRIMATU S. PETRI GENERATIM: QUIN DEFINIATUR, IN QUO ILLE CONSISTAT. OSTENDITUR AUTEM PRIMATUM EUM HABUISSE NON QUALEMCUNQUE, SED PRÆSTANTEM ATQUE EXIMIUM.

§. I.

Ostenditur primo, Scripturæ loco illo, qui est Matthæi XVI., ipsum PETRUM Ecclesiæ *petram* a CHRISTO constitutum. JANSENISTÆ, FEBRONII corrivalis insigne mendacium refutatum &c.

I. Volo dispicere nunc, quam in scripturarum, sanctorumque Patrum enucleandis sententiis MAGISTER acutus fuerit. Nisi sic tamen dicendum esse potius videatur, quam incautus ac præceps fuerit in aliorum converrendis & resorbendis sordibus: quoniam sunt pleraque, atque etiam illa, quorum examen nunc adeo, ex ELIA DUPINIO transcripta, suppletave ex JOANNE LAUNOIO. (1.) Qua in re non possum, quin proterviæ exscriptoris tam miseri vehementer succenseam. Qui cum non modo, quod domi natum suæ, nihil adtulerit, verum id etiam, quod ab aliis clepsit, inquinatius reddiderit: erigere tamen se & explicare cristas minime est veritus, Theologorumque universum agmen sophistarum propudioso nomine oneravit.

(21) Ut sim brevis; quemadmodum promisi, comparet Lector destruentis FEBRONII operam cum JANSENISTA *Anonymo* a p. 364. & ANT. DE DOMINIS Lib. IV. Cap. 8. 9. 10. per totum.

(1) Comparet Lector FEBRONII Tom. I. Cap. I. §phum 2. cum DUPINII Dissert. IV. Cap. I. §. I. & LAUNOII epist. ad VOELLUM quæ est in V. parte Epistolarum.

Sed eſt talis ſcilicet *via mulieris adulteræ*, ut ait Salomon, *quæ comedit & tergens os ſuum, dicit: non ſum operata malum.* Nam revera poſt hominum memoriam ſophiſta turpior illo non fuit: nullus qui experimento magis ſuo, quam illud verum ſit, comprobarit, quod de ſimilibus Theologiæ criminatoribus Magnus PETAVIUS dixit. " Equidem, inquit (nam deſcribendus omnino locus eſſe videtur) dum eos intueor " & contemplor, qui in ſcholaſticam Theologiam acerbiore odio ferun" tur, quod a Philoſophia & Dialectica aliquid opis acquirat; multum a " verbis abhorrere ipſorum facta ſentio. Quas enim artes indignas judi" dicant commercio Theologiæ, eas ipſi tum maxime in auxilium evo" cant, dum pro Decretis ſuis, quæ mera eſſe Dei reſponſa volunt, cer" tamen ſuſcipiunt: uti malæ ac deploratæ cauſæ ſubſidium inde aliquod " comparent. Nam quæ falſa & propter novitatem ſuſpecta eſt opinio, " ea magno artificio & calliditate opus habet, ut lucem hominum & con" ſpectum ſuſtinere poſſit. Et ut in Phæniſſis ait Euripides ὁ δε ἀδικος " λογος νοσων ἐν ἀυτῳ φαρμακων δειται σοφων. *Sermo omnis injuſtus " cum in ſeſe ipſo æger ſit, ſolertibus medicamentis indiget.* Quocirca qui " a communi & Eccleſiaſtica Doctrina quomodocunque diſſentiunt, cu" juſmodi homines ſcholaſticam ſubtilitatem atrocius inſectari ſolent, er" rores ſuos tanquam meritricium vultum fuco ac ceruſſa, ita illi ſophiſ" matum captionibus & præſtigiis obducunt. (2.)

II. Atqui nos quidem ſubtile & acutum genus diſputandi nunquam hactenus adhibuimus, neque poſthac conſectabimur: ſed expoſitione plana ac ſimplici ſcripturarum, ſanctorumque Patrum, quæ ſola opus eſt nobis, utemur. At FEBRONII ſingularis eſt ea labes, quod cum *ſophiſta* ſit maximus, idem minime ſit tamen ſubtilis, ſed ita pinguis & craſſus, ut a quovis propemodum cæco apprehendi, jugularique queat. Talem enim ubivis ſe exhibet, atque in initio ſtatim, ubi Matthæi illam ſententiam examinat: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Cujus vim ut ſolicitet, & obſcuret, ſi poſſit, claritatem ejus ac lucem; argumentum hoc, ut dixi, modo inſtituit. Interpretationem iſtius loci non uniuſmodi a veteribus Patribus frequentatam eſſe: quippe alios *fidem* in CHRISTUM, alios *perſonam* ipſam CHRISTI *petræ* nomine ſignificatam putare: tum vero alios tametſi ad PETRUM referant; exiſtimare tamen, nihil penitus conceſſum PETRO fuiſſe, quod non & omnibus datum ſit. Quamobrem

(2) Tom. I. Theolog. Dog. in proleg.

obrem infert, ſegregandum ſibi omnino locum illum videri, neque in auctoritatem, ad quam vulgo ſumitur, porro ſumendum: ſiquidem id ſolum catholicum ſit, quod ſemper, quod ubique, quod ab omnibus ſit creditum: ſeu ut ex VINCENTIO LIRINENSI loquitur, *univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem* ſequendam eſſe.

III. In quo non tam argumento, quam tralatitio ſtrepitu ſophiſmata inſunt prorſus duo. Primo enim cum fontes geminos, ex quibus certitudo dogmatum hauriatur, Eccleſiæ ſuæ reliquerit CHRISTUS, ſcripturam atque traditionem: hos in unum commiſcet, confunditque ille ſic, tanquam nunquam ſibi ſcriptura ipſa ſufficiat, ſed adjuvari identidem, ſuſcitarique interpretamentis aliorum debeat. Quod minime verum eſt. Sunt enim quædam res, quarum adeo plena & perſpicua fit in ſacris literis mentio, nihil ut eis neceſſe ſit addi; ſed explicatum & interpretationem omnem divinus jam ipſe ſpiritus præverterit.

Atque hujuſmodi eſt is, in quo verſamur, MATTHÆI locus. Quid enim illo diſertius? quid dilucidius? Loquitur, atque ſolus loquitur Apoſtolus, cui, quamprimum intuitus eum erat Chriſtus, diſcipulumque fecerat, mutationem nominis promiſerat his verbis: *Tu es Simon filius Jonæ, tu vocaberis* CEPHAS. Quod quidem non occaſione factum fortuita; nec ad virtutem affectionemve aliquam ſignificandam, quam de ſe SIMON prodiderit; nec ut fluxa ac tranſiens adpellatio ea foret, atque iſti qua *Boanerges tonitrui filios* JOANNEM & JACOBUM nominavit, ſimilis: ſed ut perpetua propriaque futura eſſet SIMONIS, inque nomen conſtanter ei hærens tranſitura: Jam id quis adeo improbus fuerit, ut ſine cauſa feciſſe CHRISTUM ſibi perſuadeat? Itaque & implendum aliquando promiſſum hoc erat, & vis rationque nominis aperienda. Quod nuſquam, præterquam MATTHÆI in illo loco factum eſt. Ibi enim gentilitio primum nomine, ut prius, SIMONEM *filium Jonæ* vocat CHRISTUS. Dein ſtatim, *Tu es*, inquit, *Cephas*, ſeu, *Petrus*: & poteſtatem exponens nominis, *ſuper hanc petram*, ait, *ædificabo Eccleſiam meam.* Quare idem ſignificatus ſit oportet *Petri ac petræ*, & perſona una: ſiquidem non ob aliam cauſam nomen *Petri* SIMONI impoſitum fuit, quam quod *petra* futurus eſſet ædificandæ ſuper eum Eccleſiæ, quam contra portæ inferi prævaliturae non ſint. Atque in hunc nos intellectum verborum CHRISTI tametſi ſponte, naturæque & ſanæ rationis velut impetu quodam abripimur: fit tamen illuſtrior idem, ſi reciprocationem & ἀντίδοσιν in colloquio illo Domini cum PETRO attenderimus. Dixerat PETRUS: *Tu es Chriſtus*, id eſt, *Meſſias*: quod appellati-

vum

vum erat. Dein significatum addiderat, complexumque nominis: *filius Dei vivi.* CHRISTUS itaque ut vicem reddat. *Et ego*, inquit, *dico tibi quia tu es Petrus.* Ac significatum reciproce vimque ipsam & caussam istius nominis exponens subjungit: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: ubi *Et*, quæ copulationis apud nos est particula, ex ingenio linguæ qua usus est, & quotidiana scripturæ phrasi vim causalis obtinet, rationemque, quare *Petrus* sit dictus SIMON, significat.

Et vero certe nisi ita res sit; garritum & gryphum inconditum divinæ menti adfingimus. Quid enim restat alioquin in tota sententia, cum quo anologiam ac similitudinem aliquam habeat Petri nomen, nisi Ecclesiæ sit ipsa super eundem velut supra petram ædificatio? Aut quid absurdius, indignumque magis divina sapientia quam inconstans & male ominatum loquendi genus hoc: *Tibi*, tibi, inquam, *dico*, *quia TU es Petrus*, *& super hanc petram*, *quæ sum* EGO, *aut quæ est confessio a quocunque demum facta meæ divinitatis*, *ædificabo Ecclesiam meam*: *&* TIBI *dabo claves regni cælorum?* Quodsi hoc modo dixisset: *Tu es Petrus*, *& ego super petram ædificabo Ecclesiam meam*; posset locus esse fortassis dubitationi. Verum non ita dixit. *Tu es Petrus*, inquit, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ & *super ipsam hanc petram*: quæ demonstratio ad eundem referri necessario debet, cujus proxime erat mentio facta. Tandem ut hoc etiam addamus, ne legi quidem locus *Matthæi* potest, quin statim adpareat, gratificari CHRISTUM *Petro* voluisse: ad eum modum, quo olim ABRÆ Deus, cum *Abrahami* nomen illi imposuit. Id autem explicavit ipse statim, ac rationem ejus sic reddidit: *quia patrem multarum gentium constitui te.* Et sunt hæc, quæ ante annos jam centum ac quinquaginta Cardinalis PERRONIUS JACOBO Angliæ Regi respondit, cum is eadem, quæ FEBRONIUS hodie nobis, adversus Primatum successorum Divi PETRI objecisset. (3.) Quæ quidem ipsa Cardinalis responsa ut latina mallemus facere, quam ex penu nostra aliquid promere; non ea solum nos ratio impulit, quod præclara sint atque evidentia; verum ista præcipue, ut pudere nunc demum Jurisconsultum cum suis incipiat, quod quæ ante tot annos sunt explosa prorsus ac refutata, pro oraculis etiamnum obtrudere, & quæ explicata nitidissime & meridiana in luce sunt posita, obscurare nunc iterum suis vitilitigiis & inquinare minime veritus sit.

IV. Quid enim adferre contra isthæc solidi aliquando potest? Quid adtulerunt,

(3) Replique à la reponse du Roy Cap. LVI.

tulerunt, quorum in vestigia, cæcorum ipse cæcus ingressus est? Quid fraterculus BATAVUS? Nihil. Atque hic quidem multum ridendum se præbuit, cum hebraice volebat doctus videri; cujus linguæ neque elementa novit neque literas. Scribit ita: *Aberrare a textu, quem perpendimus, nihil nos cogit, ut probemus personam* PETRI *a petra, cui insidet Ecclesia, esse accurate distinguendam; cum in linguis hebraica, græca & latina aperta fiat hæc distinctio discrepantibus vocabulis, quibus res utraque designatur. Hebraice* CEPHAS *proprium est Apostoli nomen, sicut græce* PETROS *& latine* PETRUS; *cum e contra lapis Ecclesiæ fundamentalis vocabulo isto,* CIPH *hebraice exprimatur, & Græce ac latine ista voce reddatur,* PETRA. *Non sic apparet hæc distinctio Gallico sermone, quia proprium nomen Apostolum designans, & nomen appellativum lapidem significans iisdem exarantur literis, eodemque modo pronuntiantur, ista scilicet voce,* PIERRE. *Cum tamen Galli hæc verba legunt:* TU ES PIERRE, *aut ista* SIMON PIERRE, *certum est, eos in mente non habere lapidem, sed virum singularem, qui vocatur* PIERRE. (4.)

V. Omnia male, omnia inscite. Primo quis hominem docuit, perinde in Hebraica atque in græca lingua non idem adhiberi vocabulum, quo & nomen *Petri* & ipsa *petra* designetur? Negat HIERONYMUS; negant ipse BEZA & JACOBUS CASAUBONUS; negant omnes, Troes Rutilive, si rudimenta modo istius linguæ gustarint. Quis eum docuit, fundamentalem Ecclesiæ lapidem hebraice vocari *Ciph?* Nam *Matthæi* quidem Evangelium ut hebraice ab illo est scriptum, in natura rerum non amplius est. Quod autem MÜNSTERUS pro genuino edidit, non *Ciph*, sed *Cepha* habet, & est una vox: *Tu es Cepha, & super hanc Cepha.* Tum nec alibi in scriptura tota ostendi locus aliquis potest, in quo CHRISTUS aut fundamentalis Ecclesiæ lapis *Ciph* aut *Ceph* nominetur. Quod enim prima ad *Corinthios* scribit PAULUS: *Bibebant de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus*, ex *Numerorum* vigesimo sumptum est, ubi non *Ciph* neque *Ceph*, sed *Selah* ponitur. Quodque sic ad Ephesios: *Ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa*; ab Isaia prænuntiatum hoc est hujusmodi verbis: *Hæc dicit Dominus: Ecce ego mittam in fundamentis sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum:* ubi iterum non *Ceph*, neque *Ciph*, sed *Eben* dicitur hebraice. Quid? quod usitata nequidem Hebræis vox est *Ceph* aut *Ciph*; sed in plurali *Ce-*

 phim

(4) De la Primauté du Pape pag. 8. seq.

phim duntaxat ponunt; velut apud Jeremiam, *Ubcephim alu*, & *in petras ascenderunt*: neque hujus etiam usus exempla plura, quam duo sunt in tota sacra scriptura. Tandem quis eum docuit, hebraicam esse vocem *Cephas*, cum ne *Ceph* quidem sit? Sed sunt Chaldaicæ; flectiturque *Cephas* a *Cepha*, quod Chaldæi ac syri *petram* dicunt. Non itaque qui hæc ignorabat, peregrinis ac variis linguis ostentare se debuit. Sed forte venia dignus est. Legerit ille quid nescio in quodam interprete, occasione vocabuli istius *Cephas* de ascititio illo hebræorum *Cipb:* quod cum neque caperet, neque posset præ ignoratione capere; asportavit bona fide: ut Jam Aristophanicum illud in Eleusiniis possit vere de se dicere:

Νὴ τὸν Δί' ἐγὼ γ' ὄνος ἄγων μυστήρια

Sic est per Jovem, sum ego asinus portans mysteria.

Quod inferre debui, CHRISTUS utrimque, ut dialectus tum erat post populi a captivitate reditum, *Tu es Cepha*, dixit, & *super hoc Cepha*. Cephas græcæ autem, non hebraicæ, neque syriacæ aut chaldaicæ est terminationis: sicut ιωαννης, quod hebraice *Jochannan*, & Zacharias, quod *Zeccariah* legi debet.

VI. Quam autem libenter nos bono viro concedimus, Gallos, cum *Pierre* vocant SIMONEM, non sibi lapidem mente proponere, sed virum, cui nomen istud a CHRISTO impositum sit? Prorsus ita: Non lapidem, sed hominem sibi proponunt; verum hominem, cui sit ideo a petra lapide hoc nomen impositum, quod super eum, tanquam supra petram Ecclesiam suam Christus ædificarit. Quemadmodum si ab fortitudine, *Leonis* alicui nomen adhæsit; qui *Leonem* nominari hunc audit, non utique bestiam informat animo, sed hominem; verum talem, qui a fortitudine hoc est nomen sortitus. Et ut in scriptura hæream; qui illud genesis capite X. legit: *Nati sunt Heber filii duo, nomen uni Phaleg*; non divisionem cogitat, quamvis *phaleg* ipsa vox divisionem sonet: verum hominem: qualem? non cui hoc temere injectum nomen sit, sed qui *Phaleg* sit dictus, *quoniam*, ut scriptura loquitur, in *diebus ejus divisa est terra*. Ita igitur etiam Galli, cum *Pierre* SIMONEM vocant. Quod si de aliorum mihi pronuntianti cogitatione ac sensu, habendam fidem non putat JANSENISTA BATAVUS; interroget sane, quos novit, Theologos atque Episcopos istius regni: audiet ex illis, quam notionem, quamque imaginem ομονυμῳ in sua lingua vocabulo ipsi subjiciant. Adscribam unum ei, quem quin vel invitus legerit, dubitare non possum. Is est SARLATENSIS Episcopus in *Pastorali*

epistola

epistola versa latine & *Augustæ Vindelicorum* ac *Friburgi* edita anno MDCCLXVI. (5.) cujus quæ occasio fuerit, non est necesse me dicere: novit Jansenista: novit & Febronius, atque utrique, siquidem auctoritatem revereri Episcopalem, eruditionemque una ac pietatem possent, fatalis foret. " Est Jam illud porro, inquit, & amoris mei erga vos, filios " in Christo meos, & observantiæ erga summum Pontificem, commu. " nem orthodoxorum parentem, ut si unquam; hoc certe tempore institutam vos de vestro erga hoc conspicuum Ecclesiæ caput officio: hoc " tempore, quo maxime contra ipsius auctoritatem videtur conjuratum; " hoc tempore, quo modis omnibus elaboratur, ut ea in suspiciones vestras, immo & odia adducatur; hoc denique tempore, quo siquis profitetur, velle se in fide atque amicitia antiquissima manere cum principe " omnis consensionis atque unanimitatis, is continuo ab hac ipsa recedere, " ac propemodum sejungi, aut ut minimum, animos ad dissociandam " concordiam solicitare videatur. Quandoquidem de summo Ecclesiæ " capite tam maligne cogitant, ut nihil ei tribuant, nisi adpellationem precariam Capitis, ut ajunt, *ministerialis*. Quæ quidem loquendi formula " sine invidia & periculo substitui non potest iis, quas Ecclesia consecravit, ab eo edocta, qui est *via, veritas & vita*; quæque non solum in " scriptis extant sanctorum Ecclesiæ Doctorum, sed & in omnibus passim " Christianæ doctrinæ institutionibus. An igitur Divinus Magister noster " cum *Barjonæ* nomen illud *Cephæ*, quod caput significat, eo tantum commutavit, ut huic Apostolorum Capiti imaginariam ferme auctoritatem " adjungeret? An cum de illo dixisset, *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ludere duntaxat verborum conflictu quo- " dam & geminatione instituit?

VII. Liberales erimus. Faciamus græca terminatione dixisse Christum, *Tu es Cephas, aut* πετρος: non eo minus stabit dogma catholicum; nec eo minus supra Petrum tanquam in petra Ecclesia ipsa stabit. Enimvero si ἑλληνιζων Angelus parenti diceret, nomen filii tui erit Zacharias, quoniam *Dei memoria est*, & in illo populi sui *Deus recordabitur*: adeone amens quis sit, ut non eundem esse illum existimet, quem Zachariam vocari Angelus Dei Jussu præceperit, & in quo populi sui recordaturus sit Deus? Quod itaque *Cephas* interpres græcus *Matthæi*, & Evangelistæ

(5) Edita est Gallice anno MDCCLXV.

atque Apostoli, cum græce scriberent, posuerunt; pro ingenio fecerunt græcæ linguæ, in qua nomina virorum masculino genere efferuntur, & in Consonantem desinunt. De cætero quæcunque sit lingua, qua quis loquitur, si ab re aliqua nomen sumat, & imponat homini, quem honorare ista ratione vult; analogiam intercedere necesse est, & proprietatem esse unam amborum: quæ nisi sit, constitui debet: alioquin qui ita loquitur, pueriliter & inepte loquitur.

VIII. Sed habet aliud JANSENISTA, quod obstrepat. *Non*, inquit, *semper ut in votis esset, verbi divini sensus ita planus nobis ac liquidus est.* Fatemur: atque utinam saltem, cum planus ac liquidus est, acquiescerent inquieti homines, nec tricas necterent! *Cum* CHRISTUS *in templo* (ita pergit) *Hierosolymæ dixit Judæis*, SOLVITE TEMPLUM HOC, ET IN TRIBUS DIEBUS EXCITABO ILLUD, *naturalis sane judicii erat, sermonem hunc non de proprio corpore, cujus nil meminerat, intelligere, sed de templo in quo versabatur, ex quo vendentes ejecerat, & de quo interrogantes Judæi modo dixerant:* QUOD SIGNUM OSTENDIS NOBIS, QUIA HÆC FACIS? *De uno tamen templo corporis sui loquebatur* CHRISTUS. (6.)

Ad hanc ratiunculam, in qua ille mirum sibi placuerit, tametsi vetus sit, parata & in promptu est responsio duplex. Primum si CHRISTUS ita dixisset: *templum Corpus meum est, solvite hoc*; potuissetne, nisi de corpore suo id ab eo dictum intelligi? Aut si ita: *hoc templum Salomonis, reparatum a Zerobabele, solvite*; interpretarine nisi de eodem illo templo Evangelista potuisset? Hujusmodi autem, *Matthæi* est locus. *Simon Barjona*, ait, *beatus es, quia non caro & sanguis revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Deinde quam ille luscus sit, qui discrimen ingens inter utrumque locum non videat? CHRISTUS tot jam prodigiis Deum ac Dominum se esse monstraverat, & etiamnum interrogatur, quo Jure pro templi Domino se gerat. Quare, quemadmodum recte a MALDONATO est observatum, sic eis respondet, quo modo & nos iis solemus, qui malo animo interrogant; ut nec omnino nihil dicamus, ne nihil posse aut velle respondere videamur, nec ita dicamus, ut intelligamur. Respondet igitur, se ut corporis

(6) Pag. 14.

poris ſui, quod inhabitantis Dei velut templum erat, ita ædificii quoque iſtius eſſe dominum: atque ut illud, poſtquam Judæi diſſolverint, reſuſcitaturus eſſet, ita molem quoque iſtam reſuſcitaturum, ſi diſſolviſſent. Quare neutiquam verum eſt, quod Jansenista ſumit, Chriſtum de ſolo corpore ſuo locutum eſſe. Immovero ita de corpore ſuo locutus eſt, ut ex obliquo de ædificii vellet mole, in qua ſtabat, & de qua interrogabatur, idem intelligi, & utrovis modo intellexiſſent judæi, erat verum, quod Christus dicebat.

Eſtne ſimile quiddam in re præſenti? Non eſt. Nam quis animo malo eum interrogaverat? Quis auctor, præterquam ipſe, totius colloquii? quis dubitabat, utrum Eccleſiæ ſuæ ipſe princeps, Rex, Dominus, fundamentum futurus eſſet, ut inculcare jam illud neceſſe fuerit? Quod magis atque iterum quæro, eſtne ſapientis illa ratio, novum nomen pridem ante alicui promittere; tum data occaſione idem imponere, analogiamque & poteſtatem iſtius nominis ſtatim ſubjicere, ſermonis totius ſeriem ad unum dirigere, verbis ampliſſimis quidquid magnum eſt, ei addicere: nihilominus ſic velut ex inſidiis, quodque divinare nemo hominum poſſit, retracto & incurvato ut ita dicam impetu, ſiſtere intelligentiam; & quod naturalis, ut de ſe ille dictum putet, judicii ratio ſuadet, quod pleno curſu tanquam ſuum cogitando mens jam tota perſequitur, id eripere ei nihil cogitanti? Sic Christus egiſſet, ſi *Janſeniſtæ* habenda fides foret. *Tu vocaberis Cephas*, inquit, id eſt Petrus apud Joannem. Tum poſtea, *Beatus es ſimon Barjona* (repetam enim) *quia non caro & ſanguis revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt: & Ego dico Tibi, quia Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: & Tibi dabo claves regni cælorum: quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Contra hoc ſiquid limatum, ſiquid prudens, ſiquid communi dignum ſenſu & humano commercio Jansenista habet, hoc proferat, cætera quæ pridem reſpuimus, ſuis mulierculis oſtentet. Sed jam nos ſibi tantiſper & curationi capitis ſui hunc hominem relinquamus. Alliſit enim ad *Cipb* & *Cepha*; & eget tempore, ut obnubat vulnus.

IX. S. Augustinus nobis objicitur, qui quam in *pſalmis* ſecutus fuerat interpretationem, eam deſeruit, ſubſtituitque aliam, ac de Christo nomen *petræ* explicavit. Ita quidem certe; magnum nobis Augustini nomen, tantique, quanti alius quisquam, virum maximum facimus. Sed quod præ linguarum imperitia in novam inductus opinionem ac ſingula-

rem fuit, præjudicare opinor evidentiæ non poteſt. Nam ille neſcio quid reconditioris arcanique ſenſus in variatione ea ſuſpicatus erat: *σu εἰ πετρος, και ἐπι ταυτῃ τῃ πετρᾳ*, quaſi quod primo dictum eſt, *πετρος*, velut *πετραιος* derivatum quoddam eſſet *ἀπο του πετρα. Non enim a Petro,* inquit, *petra, ſed petrus a petra, ſicut non Chriſtus a Chriſtiano, ſed Chriſtianus a Chriſto vocatur.* Verum non ita res habet. Differunt quantum Ιωαννης & *Jechonan*: & eſt utrumque primitivûm atque eodem recidit, *πετραν* an *πετρον* dicas. primum *κοινως* & in ſermone obvio adhibetur; alterum Atticis eſt familiare. Unde Homerus: *ἑτερηφι δε λαζετο πετρον μαρμαρινον ὀκριοεντα*: & Xenophon, *ἐπι λοιπους δε ἐπεκυλινδουν πετρους.* Illud quoque quod Febronii intereſt ſcire quamvis vulgatum, *προς ςαθμην πετρος τιθεται, πετρα μη περι ςαθμη* id eſt, *regulæ lapidem,* non *lapidi regulam accommodabis,* contra atque ii faciunt, qui ſcripturam ſacram ſuis inſomniis & Eccleſiæ Patres ſuis deliriis ſervire volunt.

Itaque nihil erat, quamobrem primam eamque neceſſariam & naturalem interpretationem Augustinus deſereret: minus qui eum ſecuti ſunt, Latinorum trium aut quatuor ducenda ratio eſt. Præſertim quoniam nec illi, neque Augustinus, in quem oculos intenderunt, inficiati unquam ſunt, Petrum, quoad captus humanæ indolis ferat, fundamentum Eccleſiæ, hoc eſt, primum atque præcipuum poſt Christum eſſe. Quin conſtanter hunc principatum S. Augustinus confeſſus fuit (7.) ac vel hoc ipſo quod de Simone ſit prius Matthæi locum interpretatus; ad Christum vero tum primum deflexerit, poſteaquam Donatiſtarum implicatus certamini ſubvereri ſibi quid neſcio ab iis cæpit, niſi ad Christum traduceret: ſatis oſtenditur, priorem ex verbis ipſis prognatam atque naturalem, obviamque ideo & communi tritam uſu expoſitionem fuiſſe. Non itaque in hanc alteram velut ingreſſus Augustinus fuit, ſed novam ingenio ſuo excogitavit. Quod cum ſubin ipſe adverteret, diffideretque ſibi; lectorem pro ſua ſapientia de eo monuit in primo *Retractationum* libro, & ejus judicio, quod probabilius ipſe cenſeret, definiendum reliquit.

Sed eſt profecto non ea Vincentii Lirinensis a Febronio oſtentata regula; ut ſit ſola illa ſcripturarum interpretatio admittenda, in quam omnes

(7) Confer quæ hujus Art. §. 2. 3. dicturi ſumus.

nes excepto prorſus nemine conſpirant. Quod ſi verum foret; dogma nullum in Eccleſia, quod divina fide credi poſſet, extaret. Verum huc illa recidit, & his verbis ab auctore ſuo complexa eſt: *ſequemur univerſitatem, ſi hanc unam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia. Antiquitatem vero ita: ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos S. Majores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt. Conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium, vel certe* PENE OMNIUM *ſacerdotum pariter ac magiſtrorum definitiones ſententiaſque ſectemur.*

X. Quare alterum hoc eſt *ſophisma* FEBRONII, idemque graviſſimum: & in eo latet, quod ubi ſunt Patrum interpretationes non omnes uniusmodi, ſed diverſæ; argumentum ex ſcripturis ſacris informari dicat non poſſe. Attendendum enim eſt, quem ad modum diverſæ ſint. Nam ſi fluctuent revera Patres, *negentque* ac *rejiciant multi*, quod alii ponunt & admittunt; tolerari poteſt regula, quoad Eccleſiæ definientis ac determinantis auctoritas interpoſita nondum fuerit. Quodſi rem vero eandem ex diverſa velut facie intuiti Patres modo ſic, modo aliter exprimant; nihil falſius eſt iſto canone, qui ſi in auctoritatem adſumeretur, ſus deque miſceri omnia neceſſe foret. Quis enim eſt uſpiam ſcripturæ locus, cujus non multiplex in veterum libris interpretatio commonſtrari poſſit?

Atque ita in præſenti res eſt. Quod ut intelligat ſophiſtarum ille dux ac princeps; non ecce ſic recte colligo: *Chriſtus eſt fundamentum Eccleſiæ, fides in Chriſtum eſt fundamentum Eccleſiæ: igitur PETRUS eſt fundamentum Eccleſiæ.* At viciſſim neceſſaria hæc eſt collectio: PETRUS *eſt fundamentum Eccleſiæ; igitur fides in Chriſtum, igitur ipſe Chriſtus eſt fundamentum Eccleſiæ.* Neque enim nos ita ab humano ſenſu deſerti ſumus, ut ſuper carnem & oſſa Eccleſiam ſtare CHRISTI putemus. Nec qualis de Atlante poetarum eſt fabula, ſuis humeris, ſuis viribus Eccleſiam PETRUS ſuſtentat. Abſit: nihil indignius Chriſtianis auribus atque animis dici poſſit. Sed fundamentum ille ob eam rationem & eatenus tantum eſt atque dicitur, quatenus *fidem* in CHRISTUM, qua Eccleſia vivit & ſpirat, quæque fundamentum eſt ipſa cæterorum omnium in Eccleſia dogmatum atque ornamentorum, inſtar rupis cujusdam immotæ fulcit, æternumque, & quoad ſtabit CHRISTI nomen ac regnum, fulcire & ſuſtentare non deſinet. Id quod ab S. HILARIO in eodem ipſo de *Trinitate* libro obſervatum fuit, quem Adverſarius objicit. In eo enim poſtquam dixerat ante, *poſt ſacramenti confeſſionem beatum ſimonem ædificationi Eccleſiæ ſubjacuiſſe* (quod fundamenti eſt utique:) *& claves regni cælorum accepiſſe*, mul-

taque

tàque alia ad commendationem & præstantiam istius Apostoli; pergit, distinguitque quam PETRUS confessus est *fidem*, & *virtutem* in sustinenda ea porro fulciendaque fide: in utraque vero Ecclesiam fundari his adserit verbis: *si hæc sola fides confessa Christum Dei filium omnium beatitudinum gloriam meruit in Petro; necesse est, ut quæ creaturam potius ex nihilo Dei filium confitebitur, claves regni cælorum non adepta, & extra* FIDEM *ac* VIRTUTEM APOSTOLICAM *constituta, nec Ecclesia sit ulla, nec Christus.* (8)

Atque hanc quidem virtutem Petrus soliditatemque fidei non suis acceptam viribus referre potest, sed a Christo accepit, qui est petra princeps & ἀσειώδης, ut BASILIUS docet, aut quisquis is demum auctor Homiliæ de Pœnitentia, antiquus scriptor. *Dixerat* PETRUS, inquit, *& benedictionem consecutus fuerat: Dixerat, filius es Dei altissimi, cumque audisset,* PETRA ES, *præconio nobilitatus est. Si enim & petra; non ut* CHRISTUS *petra; ut Petrus petra.* CHRISTUS *est enim petra immobilis, Petrus autem per petram. Donat enim JESUS suas dignitates, non exhauriens se, sed retinens, quæ dat. Lumen est. Vos estis lux mundi. Sacerdos est, sacerdotes facit. Petra est, petram efficit. Et propria donat servis.* (9)

Quamobrem ut quod volo, id modo constituam; ii igitur inprimis sancti Patres, qui *petram* PETRUM esse, & Ecclesiam super hunc extructam adfirmaverunt, certissime non sine respectu ad *fidem*, CHRISTUMque ipsum ita censuerunt, Quodsi & eos igitur vicissim, qui PETRAM CHRISTUM aut *fidem* confessionemve fidei interpretantur: tametsi minime ex natura rei sit consequens, ut etiam PETRUS petra sit, verborum tamen, quibus CHRISTUS est usus, convictos evidentia, etiam de PETRO interpretatos esse locum illum ostendero; jacebit profecto ibitque in fumum tota illa pompa circensis. Nam inde quidem constabit, consensionem summam esse inter utrosque: summam atque tantam, quanta, si quis alius forte fusius diceret hoc modo: CHRISTUS, *qui fundamentum Ecclesiæ est, postquam divinitatem ejus* PETRUS *confessus fuerat, in præmium hujus confessionis petram ac fundamentum illum ejusdem fidei constituit, cui fidei Ecclesia tota innititur.* Ego sic vero paucis: *Petrus fundamentum est & petra Ecclesiæ.*

Hujus

(8) Edit. Colon. pag. 36.

(9) Tom. II. opp. S. BASILII Edit. Paris. Congreg. S. MAURI pag. 606. N. IV.

Hujus ratiocinii, quod ad leges exactum est, vis omnis ex adsumptione, quæ *minor* dicitur, pendet. Age! demonstrare igitur nunc volo (nam ad garrulitatem revincendam hominis hoc pertinet, quamvis non sit necesse) eosdem ipsos, quos objicit, ac dissentientes inter sese & a nobis facit, atque adeo omnes omnium temporum locorumque orthodoxos Patres supra SIMONEM Jonæ filium ædificatam Ecclesiam putavisse.

Faciam, inquam, quamvis non sit necesse. Nam quid ille hiscere contra Cardinalem PERRONIUM poterit? cum quo quisquis eum contenderit, næ is muscam cum elephante, aut cum gygante nanum componendum putet. Est autem observatum ab hoc summo viro, (10) Patres omnes, qui Ecclesiæ primis sæculis ad Arianam usque hæresin floruerunt, nunquam nisi de PETRO Matthæi locum fuisse interpretatos. Id vero indicio est, naturalem ac citimum hunc esse significatum. Quod autem, ex quo divinitatem CHRISTO detrahere Ariani connisi sunt, de fide aut confessione fidei explicari verba cæperunt; tametsi vera, paulo remotior tamen est interpretatio, istique ad *Pamachium* HIERONYMI locutioni persimilis: non PETRUM *sed* FIDEM *Petri ambulasse super aquas*. Atqui ambulavit certe PETRUS super aquas: Ecquid negatur igitur? immo non negatur, sed id solum significatur, non agilitate, aut naturæ viribus consecutum PETRUM, ut calcare aquas posset, sed *fide*. Quare ad eundem plane modum, quoniam confitendo, cum ita diceret: *Tu es Christus filius Dei vivi*, hoc est, fide ipsa Divinitatis obtinuit PETRUS, ut *beatus* a Domino prædicaretur; & *Petrus* nominaretur, atque *petra*, supra quam Ecclesia ædificanda esset, diceretur: immovero quoniam ratio ipsa, ac quasi forma, cur PETRUS *petra* sit, fides est divinitatis: heinc metonymicως ipsa fides adpellari petra cæpit. Nam illud intererat scilicet Patrum, ostendere, fundamentum, structuramque totam Ecclesiæ ab Arianis labefactari.

Hæc nos, inquam, si reponeremus; quid obgannire posset? Immo quid adtulit, quid opposuit, quid vel in mentem, ut responderet, admisit, cum a ZACCARIA ista sibi dicerentur? Nihil, prorsus nihil. *Flores sparsi, Jesuita, vaniloquium, Evangelium Curiæ*, tota responsio. An digna viro? *Quantum distat Bibliothecarius iste*, exclamat, *a magno* MURATORIO! Clamavit; abite, peroratum est. Quasi non sic ego vicissim exclamare possim: *quantum distat iste blatero a viro gravi, quantum a sobrio*!

10) Replique a la response Cap. LVI. pag. 522. & seqq.

Diſtat certe: diſtat longius, decuplo longius, quam a magno Muratorio magnus Theologus. Nam illud quidem ſobrii profecto non fuit, quod, cum tria propemodum folia impleſſet, ut doceret, haud fuiſſe unam de eo loco, *Tu es Petrus*, antiquorum Patrum ſententiam, nec proin argumentum ex eo inſtrui poſſe idoneum: *continuo* tanquam circæo ebrius poculo, immemorque omnium, quæ tam fuſe garriſſet, demum ita ſubjungit: *Hæ Patrum doctrinæ in ſpeciem diverſæ, in* SUBSTANTIA *tamen* NON DISCORDANTES. (11) Si diſcordantes non ſunt; nonne operam perdidit? ſi diſcordantes non ſunt; quomodo verum, *nihil minus heic inveniri, quam unanimem, aut etiam plurimorum Patrum conſenſum in ejus textus interpretatione*? (12) ſi diſcordantes non ſunt, quomodo, qui hoc ipſum reſpondit, non eſſe diſcordantes, *inventum quale quale* dicitur adferre? *inventum*, ſed quod *ſervire ad componendas ſententias Patrum non poſſit*? (13) Et ſunt tamen iſta *Febronii*: ſunt, alterum Zaccariæ, alterum Viatori a Cocaleo objectum. Sed hæc quidem mittantur: de re ipſa videamus, doceamusque, quam ſit turpiter *qualis qualis* ille *Theologus*, immo ne *qualis qualis* quidem hoc in genere, deceptus.

§. II.

(11) Tom. I. Cap. I. §. 2. N. 5. pag. 18.

(12) Tom. II. in *floribus ſparſis* Cap. I. §. II. pag. 345. P. Zaccarias Romanos Scriptores, ipſe Italus & Jeſuita fideliter imitatus, iterum in rem ſuam producit ſexcenties ab utraque parte excuſſos textus Matthæi XVI. & Joannis XXI. *Tum paulo infra*: Inter illos (præceptores Febronii) plane convenit, nihil minus hic inveniri, quam unanimem, aut etiam plurimorum Patrum conſenſum in horum textuum interpretatione, Romanorum poſtulatis favente. *Poſtulatum Romanorum quale ſit, omnibus conſtat: nempe per nomen* Petræ *perſonam* Petri *ſignificari.*

(13) Tom. III. Tit. I. §. I. pag. 1. Italus noſter ſive ergo, ait, pro petra ſumatur perſona Petri, ſive ejus fides, aut confeſſio, vel objectum propriæ religioni propoſitum, nempe Christus, perinde eſt: hæc enim omnia in perſona Petri includebantur &c. Sed errat vir bonus, ſi hoc quale quale inventum componendis Patrum ſententiis ſervire poſſe arbitretur.



§. II.

Demonſtratur, eosdem Patres, quos FEBRONIUS objicit, prorſus adverſantes illum habere: totum proin ejus conatum vanum ac futilem eſſe.

I. Sunt quos partim de *fide* in CHRISTUM, partim de ipſo Domino CHRISTO nomen *petræ* interpretatos adſerit, Patres hi. Imprimis HILARIUS, tum GREGORIUS *Nyſſenus*, deinde CHRYSOSTOMUS, AMBROSIUS, GREGORIUS M., THEODORETUS, Pontificesque S. LEO, ADRIANUS I., NICOLAUS I., STEPHANUS VI., INNOCENTIUS II. & URBANUS II. tandem & AUGUSTINUS cum HIERONYMO & HILDEBERTO Turonenſi. Monet autem, illorum, qui primam expoſitionem ſecuti ſint, triginta quinque ut minus partim ſanctos Patres, partim commentarios antiquiorum ab eruditis laudari. Qui quales ſint commentarii, nihil eſt opus diu diſpicere, cum ab LAUNOIO recenſeantur, ex quo, ut ab initio monui, ſupplere ſuum DUPINIUM ſolet. Atque ſunt illi præter eos, quos ipſe indicavit, CYRILLUS *Alexandrinus*, ODO *Cluniacenſis*, RUPERTUS *Tuitienſis*, THEODORUS ABUCARA, JOANNES DAMASCENUS, ANASTASIUS *Antiochenus*, THEOPHANES CERAMEUS, DRUTHMARUS, STEPHANUS *Pariſienſis*, PETRUS CHRYSOLOGUS, EUSEBIUS *Alexandrinus*, v. BEDA, HINCMARUS REMENSIS. Et inter Pontifices INNOCENTIUS III., HADRIANUS VI., URBANUS III., JOANNES VIII., STEPHANUS v. FELIX II., HORMISDAS. Atque iterum præter Patres utriusque Concilii, FOROJULIENSIS & TROSLEJANI, JUVENALIS Hieroſolymitanus, ACACIUS *Melitenus*, JONAS Aurelianenſis, CÆSARIUS *Ciſtercienſis*, ANONYMUS in catena. Tum ex nuperrimis, qui contra *Lutherum* ſcripſerunt, JOANNES ECKIUS, RENATUS BENEDICTUS, JODOCUS CLICTOVÆUS. Ut nihil diſſimulemus; qui *petram* CHRISTUM intellexere, producuntur ab LAUNOIO præter eos, quos commemoravit FEBRONIUS, nonnullosque ex iis, qui etiam *fidem*, aut confeſſionem ſunt interpretati, PAULINUS *Aquilejenſis*, DUNGALUS, JOANNES *Sarisbergenſis*, GOFFRIDUS *Viterbienſis*, CÆLESTINUS III., MAGISTER, S. THOMAS, & PIUS II. Sed ego ſi iſtorum omnium conglomerare ſententias in hunc paragraphum vellem; non ſine moleſtia magna lectoris facerem, cum ex ſeſe quid neſcio habere tetricum ſoleat iſtiusmodi recenſio: præterea quem conſtitutum apud me ordinem habeo, obſervare non poſſem. Itaque hanc potius inire rationem placuit, ut quorum liceret heic commode, eorum in præſens ſententias atque decreta repræſentarem: de cæteris meam fidem in momenta aliquot interponerem.

 II. Ita-

II. Itaque Hilarius in eodem, qui objicitur, de Trinitate libro, *Beatus*, inquit, *ſimon ædificationi Eccleſiæ ſubjacens, & claves regni cæleſtis accipiens.* Eſt autem ædificationi ſubjacere, fundamentum eſſe. Atque idem in Pſal. CXXXI., *Petrus primus filii Dei confeſſor, Eccleſiæ fundamentum.* Et in caput XVI. Matt. *O in nuncupatione novi nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ inferorum leges diſſolveret.* Ubi fundamentum ac petra is, qui nomen *Petri* ſortitus eſt. (14.)

Gregorius Nyſſenus in Sermone, qui eſt ſecundus de *S. Stephano*, quem citat ipſe ſui jam immemor Adverſarius: *Celebratur*, inquit, Petri *memoria, qui Apoſtolorum eſt caput, & una quidem cum ipſo cætera Eccleſiæ membra glorificantur: Dei vero Eccleſia in* ipso *ſolidatur. Hic enim juxta prærogativam ſibi a Domino conceſſam firma & ſolidiſſima petra eſt, ſuper quam ſalvator Eccleſiam fundavit.* Itaque tametſi quemadmodum communitati expenſum id fertur quod Capiti datur, ſic glorificatio illa quidem Petri ad omnes, qui in Eccleſia ſunt, pertineat: proprium tamen eſt Petri, & prærogativa quædam illius, quod petra ſit, & Eccleſiæ molem ſuſtineat.

Jam Chrysostomi, quem Gregorio ſubnectit, quot ſunt dicta in hunc ſenſum præclare atque magnifice? Sic in homilia IV. de *Eſaiæ* verbis, Petrum *Eccleſiæ baſin* vocat. Atque homilia II. ſuper Pſalmum L. Petrus, inquit, *columna Eccleſiæ, fundamentum fidei.* Inque nona homilia de Pœnitentia: Petrum *cum dico; petram nomino, quæ frangi non poſſit, crepidinem immobilem.* Tum in ſermone de negatione Petri: *Nonne ego te omnium primus agnovi? quamobrem & meo teſtimonio commendato, beatam me prædicaſti, ac* Petram *Eccleſiæ nuncupaſti, dicens, Tu es Petrus & ſuper hanc petram* &c. *Ergone te ego negabo princeps Apoſtolorum, columna Eccleſiæ?* (15.)

Sequitur Ambrosius & obmovetur locus ex libri de *Incarnatione* Cap. V., ubi ait, *non de carne* Petri, *ſed de fide dictum eſſe; portas mortis non ei prævalituras.* Atqui eſt idem ille Ambrosius, cui Augustino teſte, debet hymnum illum Eccleſia: *hoc ipſa petra Eccleſiæ canente culpam diluit.* (16.) Quod autem Ambrosio miſcet ſcriptorem, qui commentarios in *Lucam*

(14) Edit. Col. anni MDCVII. paginis 32. 305. 170.

(15) Edit. Fronto-Ducæ Tom. III. pag. 869. ibid. pag. 1004. Tom. I. pag. 706. Tom. VI. pag. 630.

(16) Aug. Lib. I. Retract. Cap. 21. Tom. I. opp. pag. 23.

Lucam edidit, imperite facit FEBRONIUS, & præcipitantem heic suum DUPINIUM secutus est oscitans. Non enim sunt Commentarii ii AMBROSII, sed alterius, quamvis synchroni. Ille tamen quisquis est, in eodem libro qui objicitur, postquam *petram* esse CHRISTUM dixisset secundum illud Apostoli: *Bibebant de spiritali sequente eos petra, petra autem erat Christus:* subjunxit: *Etiam Discipulo hujus vocabuli gratiam non negavit, ut sit ipse Petrus, quod de petra habeat soliditatem constantiæ & fidei firmitatem.* (17.) Ubi idem omnino dicit, quod verus Ambrosius, *non de carne Petri sed de fide dictum esse, portas mortis non ei prævalituras.* Id autem quid aliud est, quam de PETRO scripturæ verba illa interpretari: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam?* Neque enim quod monui, inculcoque, ac repeto, tam nos absurde aliquando obbrutuimus, uti PETRUM, qua is homo est & *Jonæ* filius, fundamentum Ecclesiæ esse existimaremus. Sed ex adverso de *filio Jonæ* qua est *Petrus*, ista dicimus. *Petrus* autem non sine comparatione nominatus est ad ipsam fidem, & eodem recidit; sive PETRUM communis *fidei*, sive FIDEM *Petri* Ecclesiæ fundamentum voces. Atque est illud ipsum, quod nos omnes omnium temporum locorumque Patres censuisse dicimus, ut mirari ac plane ridere jam subeat, potuisse tam cæcum esse cum suis FEBRONIUM, grande ut se vulnus illaturum crederet, si triginta & quinque qui supra FIDEM *Petri* ædificatam Ecclesiam dicant, indicare non sine pompa & ostentatione posset. Immovero non illos tantum sed omnes ita volumus censuisse. Et ut aliquibus velut in transitu juvemus inopiam; primo modo PHILIPPUS legatus in Ephesina synodo *columnam fidei* appellavit S. PETRUM. (18.) ASTERIUS item Amasenus *fidei petram ac basin Dei Ecclesiæ.* (19.) Atque auctor sermonis septuagesimi noni, qui in appendice operum AUGUSTINI extat, *confessionis Christi crepidinem, immobilis fidei fundamentum.* (20.) Sed secundo modo sic vere *Missale Gothicum* perantiquum de hoc Apostolo: *Fide prælatus est, & per hanc Petri petram basis Ecclesiæ fixus est.* (21.) Quique in aciem contra nos est eductus, JOANNES Damascenus in Parallelis. *super* TUAM, *instar petræ fir-*

(17) Tom. III. opp. s. Amb. Edit. Col. pag. 56.
(18) Act. III. Tom. I. Concilior. Edit. Hard. Col. 1478.
(19) Serm. in Ss. *Petrum & Paul.* pag. 843. Edit. Raynaudi.
(20) Opp. Aug. Edit. Antv. Tom. V. Col. 201.
(21) Balleri. de vi Primat. pag. 73.

firmam fidem ædificabo Ecclesiam meam. (22.) Cum enim sit anima Ecclesiæ ipsa fides, eaque dempta, neque Ecclesia sit ulla, neque CHRISTUS, ut BASILIUS docet: (23.) Certe qui Ecclesiam continet atque fulcit, is fidei & habeat ipse, & contineat fulciatque firmitatem, necesse est. Illud autem quemadmodum in PETRUM & successores ejus conveniat, nondum hujus est loci dicere. Dicemus alibi, non ex scholæ, cui adsuevimus, sed ex catholicorum unanimi & indubitata sententia. Nunc reliqua prosequamur.

III. Et Pontificibus quidem, quorum infra adferemus verba, & quos prudens haud quispiam credat FEBRONIANOS esse, tantisper omissis; hæc sunt THEODORETI, qui objicitur, verba in epistola septuagesima septima: *Quin hac etiam de causa Christus Dominus noster Apostolorum principem, cujus confessionem velut basim quandam & fundamentum Ecclesiæ defixerat, fluctuare ac errare permisit, duo eadem opera docens, nec fidere se ipsis, & fluctuantes firmare.* (24.) Heic sane perspicuum est, fidem, non ut *abstracta*, quemadmodum ajunt, concipitur; sed ut PETRI & Apostolorum principis fides fuit, a THEODORETO Ecclesiæ basin ac fundamentum defixam dici. Alioquin inepta sententia foret, neque vim haberet illam, ad quam adsumitur.

AUGUSTINI tritus est locus in psalmo contra partem Donati: *Numerate sacerdotes ab ipsa Petri sede: ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Sed de hoc quidem jam supra & alias pluribus. HIERONYMUS in caput XVI. Matthæi: *Simoni*, ait, *qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen. Ac secundum metaphoram Petræ recte dicitur ei, ædificabo Ecclesiam meam* SUPER TE. In Commentario quoque super Abdiam: ipsa petra Petro donavit, ut petra sit. Et in *Isaiam*: super unum montium, inquit, Christus fundat Ecclesiam, & loquitur ad eum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Atque in libro I. adversus Pelagianos: *Quid Platoni & Petro? ut ille princeps Philosophorum, ita hic Apostolorum fuit, super quem Ecclesia stabili mole fundata est.* (25.)

CYRILLI

(22) Lib. II. fol. 112. Edit. Paris. an. 1577.
(23) Loc. sup. cit.
(24) Ad Eulalium, Tom. III. Edit. Sirmondi pag. 945.
(25) Tom. IV. Edit. Cong. S. Mauri, Col. 74. Tom. III. Col. 1468. ibid. Col. 23. Tom. IV. Col. 491.

Cyrilli Alexandrini quid evidentius illis: *Nec* SIMON *fore jam nomen illi, sed* Petrus, *prædixit, vocabulo ipso commode significans, quod in eo, tanquam in petra, lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam?* (26)

Tum vero his sancti Leonis: *Cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque* PETRA *es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.* (27,)

Sunt autem germana his, immo transcripta ex S. Leone, quæ Odo *Cluniacensis* apud Launoium commentatus est. (28.)

Ruperti *Tuitiensis* vero tam explicata & definita est sententia, ut siquid etiam ab aliis obscurius fuisset positum, posset sola ea caliginem & tenebras omnes dispellere. *Claret ergo*, inquit, *quia Christus super se ipsum, videlicet firmam petram, suam ædificaturus Ecclesiam, ubi vidit, immo intuitus est, ut ait Evangelista, id est, diligenter respexit illum, quem* POST SE *volebat ejusdem esse* FUNDAMENTUM ECCLESIÆ: *hac de causa* PETRUM *a se ipso petra prima denominavit, utpote in quo* POST SE IPSUM TOTA CONSTITUTA ERAT FABRICA SPIRITUALIS ÆDIFICII. (29.)

Theodorus Abucara in epistola orthodoxæ fidei, quæ apud Gretserum extat tomo XV. operum: *Christus*, ait, *Dominus ac Deus noster Apostolorum suorum principi dixit: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc verba dixit Dominus Petro, cum Petrus Domino, qui se appellaverat filium hominis, dixit: Tu es Christus filius Dei vivi. Quandoquidem igitur ita se res habet; agite, omnes simul ad fidem quam dixi, petræ hujus* ἀκλινους, *id est, quæ distorqueri & inflecti non potest, Petri scilicet ducis Apostolorum accurramus, credamusque Christum esse Deum & hominem.* Græce, nequid ambiguum putetur, προσδραμωμεν τῃ προειρημενῃ πιστει της ἀκλινους ταυτης πετρας του των Αποστολων προηγητορος. Ubi eundem esse *Petrum* ac *petram*, & utroque nomine Apostolorum principem atque ducem vides intelligi.

Jam

(26) In Joann. L. II. Cap. 12. C. 73. Edit. Basil.
(27) Serm. III. in Anniv. assumpt. Edit. Ray. p. 3.
(28) Tom. X. Bib. PP. p. 224.
(29) Lib. 2. in Joann. Cap. 2. pag. 229.

Jam JOANNIS DAMASCENI præclarum supra attigimus locum ex *Parallelis*: eum nunc integrum repræsentare libet. Tametsi EUSEBII enim sit: tamen suum eum fecit sanctus Doctor. Ita autem ibi CHRISTUS ad PETRUM loquens inducitur: *Ne metuas Petre, quod enim tibi pollicitus sum, præstabo. Super* TUAM *petræ instar firmam fidem ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Tu oves meas pasces, tu agnis meis pabulum porriges, tu ad dexteram meam tanquam* TRIBUNUS *stabis.* (30.) In eodem capite sancti CHRYSOSTOMI adoptat illa: *Petrus Apostolorum Coryphæus, firmum fundamentum, infrangilis petra.* (31.) Quin & in ipsa illa oratione, eodemque in loco, quem LAUNOIUS obmovet, *Petrum*, inquit, *qui primus vocatus, ac primus secutus fuerat, quem pro sua præscientia dignum Ecclesiæ suæ Antistitem prædestinarat* (προεδρον græce) *hunc afflat, ac per eum loquitur.* Et commemorata confessione PETRI apud Matthæum capite XVI. *Hæc firma illa & immota fides, supra quam tanquam petram Ecclesia fundata est, cujus tu merito cognomentum geris. Hanc suo quidem ipse cruore comparavit; sed tibi tanquam fidissimo famulo in fidem custodiamque tradit.* Hoc enim est græce σοι δε ὡς πιςοτατῳ ἐγχειριζει θεραποντι. (32.)

Porro ANASTASIUS, *Antiochenus* ille aut *Sinaites* quid scribit? Dicat LAUNOIUS. Hexameron Moysis versans, & ἀναγωγικως exponens locum illum, FIAT FIRMAMENTUM ET DIVIDAT AQUAS AB AQUIS, *nonnulli*, inquit, *hoc etiam referunt ad duos populos, ad eos, qui firmi sumus ac stabiles super Petri fundamentum &* ILLIUS *immobilem fidei constantiam, & ad Judæos qui ceciderunt.* (33.) Heic ille sane Ecclesiam cum Synagoga componit, atque istam super fundamentum PETRI firmam esse ac stabilem dicit: fundamentum vero non *abstracte*, quod ajunt, acceptam fidem, sed constantiam immobilem PETRI *in ea fide*, hoc est, PETRUM ipsum vocat. Non enim est *Petrus* ipse, aut petra nisi propter fidem.

Id eleganter, utque optabamus, expressit THEOPHANES CERAMEUS: *Ego vero dico tibi, quia Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam*

(30) Parall. Lib. 2. fol. 112. Edit. Parisiens. an. 1577.
(31) Ibid. fol. 209.
(32) Folio 360.
(33) L. II. Anagog. Contemp. in Hexameron Tom. VI. Biblioth. Patrum. Edit. Colon. P. I. pag. 636.

clesiam meam. Tu, *inquit*, *qui Petrus es*, PETRA *fies fidei verbi*, *& Ecclesiæ fundatæ fundamentum.* πετρος ὢν, πετρα γενησει της κατα λογον πιϛεως, και της εδραζομενης ἐκκλησιας ὁ θεμελιος. (34.)

Neque DRUTHMARI eſt locus adeo tetricus, ut ſponſionis pœnitere nos debeat. Sic enim exponit παραφραϛικως; *Dixiſti*, *Tu es Chriſtus*, *& Ego dico tibi*, *quia Tu es Petrus. Quia ego ſum Chriſtus inunctus oleo inviſibili a Patre*, *Rex* CHRISTIANORUM: *&* TU FUNDAMENTUM EORUM. *Beatus es ſimon*, *quia* PETRUS, *id eſt firmus*, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: ſuper hanc firmitatem fidei*, *quam confeſſus es*, ÆDIFICABO TE *cum omni Eccleſia mea.* (35.) His ſane verbis quid ad cauſam noſtram illuſtrius optari poſſit, nihil video. Sunt enim omnia quæ hactenus poſui, explicata perſpicue. Nam & beatus dicitur PETRUS, non quia hic eſt & *Jonæ* filius, ſed quia PETRUS: *Petrus* autem a firmitate nominatus eſt fidei: ſubque illa ipſa ratione fundamentum eſt Chriſtianorum, & hæc ei firmitas & in ipſo toti Eccleſiæ deſpondetur.

EUSEBII ALEXANDRINI, nam adpellavit ſic eum LAUNOIUS: (36.) non heic repetam verba, quoniam recitavi in JOANNE DAMASCENO. Illud miror, JUVENALEM *Hieroſolymitanum*, cujus nihil præter unicam epiſtolam extat, ſcriptam contra NESTORIUM de divinitate Chriſti, ab LAUNOIO in pugnam contra nos, catholicamque cauſam potuiſſe evocari. Nam in ea quid ille dicit? *Cum ſummus & primus Apoſtolorum* PETRUS *dixiſſet*, *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*; *Dominus intulit*, *Beatus es.* Ac ſubdit: *ſuper hanc confeſſionem roborata eſt Eccleſia Dei.* Quod ſane verum eſt, & omnes credimus. Etenim confeſſione iſta PETRUS factus eſt petra, neque Eccleſiæ eſt petra, niſi quatenus fidei eſt, & confeſſionis. Quod quia non negat JUVENALIS, neque intererat ejus ad ſcopum, diſerte dicere: quis niſi tetricus dubitet, quin ille idem revera ſenſerit, quod alii omnes, quodque verba Evangelica ſua ſponte intelligentiæ noſtræ obtrudunt?

H h CÆSA-

(34) In ſerm. de Ss. Apoſt. pag. 375. Edit. Paris. opera F. SCORSI S. J.
(35) In expoſit. Matth. C. 35. Tom. IX. B. PP. P. I. p. 907.
(36) LAUNOIUS ſententiam EUSEBII apud COCCIUM legiſſe ſe dicit, Auctorem vero nunquam vidiſſe. Lepidum, & tamen continuo Laodicenſem eum Epiſcopum facit: de quo nihil apud COCCIUM, interim ex verbis patet, eundem eſſe, quem Joannes Damaſcenus adoptavit.

CÆSARIUS Cistercienſis, quod ei ſermo eſſet inſtitutus de PETRO, explicatius id ipſum dixit. *Super hanc petram, id eſt, ſuper fidei tuæ firmitatem, a qua cognominaris, ſeu* PETRUS *dictus es, ædificabo Eccleſiam meam.* (37) Non ſuper fidem igitur præciſe; ſed ſuper firmitatem fidei, nec illam qualemcunque, ſed propriam PETRI, & a qua cognomentum hoc ipſe ſortitus fuit, Eccleſiam ſuam ædificavit CHRISTUS. Id autem *ſupra Petrum* eſt ædificaſſe, quod volebamus.

IV. Ad Pontifices veniamus. Sed horum quidem cum ſint alibi adcuratius deſcribenda a me verba; dicam in præſens non niſi quod ſatis eſt. Volo ſic autem habere FEBRONIUM: cum præter LEONEM, de quo reſponſum jam fuit, adferantur FELIX III., HORMISDAS, GREGORIUS Magnus, HADRIANUS, NICOLAUS, JOANNES VIII., STEPHANUS V., INNOCENTIUS II., URBANUS, CÆLESTINUS, INNOCENTIUS, tertius quiſque ſuo iſto nomine; videri mihi, qui contra Evangelii armare ſententiam eos audent, aut legiſſe nunquam, quas citant, Pontificum iſtorum epiſtolas; aut ſi dormientes non legerint; (dicam aperte, quod ſentio) malitioſe, comparatiſque non ad fidem, ſed ad perfidiam animis eam legiſſe. Quis enim intueri illas poteſt, quin ſtatim intelligat, promiſcue & pro eodem a Pontificibus Romanis haberi conſueſſe, ſive PETRUM, ſive *Sedem Romanam*, ſive *confeſſionem* PETRI, ſive *conſortium*, *communionemque* PETRI nominarent? Dabo exemplum in una GELASII, qui quinto floruit ſæculo, ad EUPHEMIUM *Conſtantinopolitanum* Patriarcham epiſtola. Scripſerat hic Antiſtes GELASIO recens creato Pontifici, primum id conqueri viſus, quod nullis literis electionem ſuam, ut mos eſſet, ſibi ſignificaſſet. Deinde ut ACACII diſſimulato nomine in ſacris diptychis, pacem Eccleſiis redderet, obſecrabat: neque enim concitato, & in furorem acto Conſtantinopolitano populo, expungi illud poſſe. Aſperiores hac in cauſa Romanos ſibi videri, quam ferat temporis ratio: & quæ his ſimilia. Quorum ad primum reſpondit Pontifex: fuiſſe veterem quidem hanc regulam, *ſed inter eos, quibus una Catholica, Apoſtolicaque communio ab omni prævaricatorum libera pollutione conſtabat. Nunc autem*, inquit, *cum ſocietatem præferre malitis extraneam, quam ad Beati* PETRI *purum redire, & illibatum conſortium.* (38) Ubi *conſortium* PETRI, idem eſt, ac *Apoſtolicæ Sedis:* quemadmodum in proxima, quæ eſt ad FAUSTUM epiſtola, ſeu Commo-

nitorio

(37) Hom. de Cathed. PETRI.

(38) Hard. Tom. II. Col. 879.

nitorio de ANDROMACHO ſcribit, *inſtructum hunc fuiſſe, ut cohortaretur* ACACIUM, *ad Sedis Apoſtolicæ remeare conſortium.* (39) Ac cum EUPHEMIUS ſcripſiſſet, fuiſſe ſibi in votis, GELASIUM coram audire; reſpondit ille: *Lege ſententiam; Auditus autem per verbum Dei: illud ſcilicet verbum, quod Confeſſioni B. Apoſtoli* PETRI *portas inferi nunquam prævalituras eſſe promiſit.* (40) Ubi *Confeſſionem* PETRI confeſſionem Romanæ Eccleſiæ intelligit, hancque ut EUPHEMIUS, & CONSTANTINOPOLITANI audiant, hortatur. Demum in fine epiſtolæ ad tribunal CHRISTI provocat: ibi enim comprobatum iri, *utrum B.* PETRI *glorioſa confeſſio cuiquam eorum, quos regendos accepit, quicquam ſubtraxerit ad ſalutem. Utrum aſper, nimis durus, difficiliſque* GELASIUS *fuerit.* (41) Quid exploratius, quam *Confeſſionis* heic iterum nomine, ipſum PETRUM aut Romanam Eccleſiam, Sedemque PETRI ſignificari? Atque idem in *Commonitorio ad* FAUSTUM: nihil vereri ſe ait, ne in ACACIUM lata Romæ a FELICE Deceſſore ſuo ſententia aboleri aliquando poſſit: *non* enim *ſuperfluam eſſe* CHRISTI *vocem, quæ* CONFESSIONI B. PETRI *Apoſtoli inferni portas nunquam prævalituras adſeruit.* (42)

V. Jam quod de GELASIO, idem de omnibus dici Romanis Pontificibus debet. Et ut in iis, quorum objectæ ſunt nobis ſententiæ, ſolis hæreamus; FELICIS quidem, HORMISDÆ, GREGORII, HADRIANI, NICOLAI, JOANNIS ac STEPHANI epiſtolæ hoc omnes argumentum habent, & in hoc verſantur, qui eas ſcribunt, ut ii, ad quos ſcribunt, hæreticis, ſchiſmaticis, aut etiam Græcis, quorum propenſa ad omnem hæreſin eſt indoles, dimiſſis, uni Romanæ ſe conjungant Eccleſiæ, hanc ſequantur, huic obaudiant, hujuſque fidem ac traditionem ſectentur. Quod ut efficiant FELIX, HORMISDAS cæterique; rationem ex pollicitatione Chriſti facta PETRO depromunt: ſupra PETRI enim *confeſſionem* ac *fidem* Eccleſiam ſuam Chriſtum ædificaſſe; hujus fidei, hujus confeſſioni portas inferi non prævalituras. (43) Hoc, inquam, argumentum literarum eſt. Adeat eas, qui volet: ſi neget, vera me dicere; neſcio, annon idem in mundo præter ſe homi-

(39) Col. 886.
(40) Col. 879.
(41) Col. 883.
(42) Col. 886.

(43) FELICIS III. literæ apud Hard. Tom. II. Col. 827. ad ZENONEM Imperatorem, ut a PETRI CNAPHEI ſynodali judicio damnati communione abſtineat. — HORMISD. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, ne in communionem ſuam Orientalium quempiam admittant, niſi

nes, & humanos oculos, humanasque mentes esse, sit negaturus. Quid sequitur? istud certe, Pontifices, dum supra *fidem*, aut *Confessionem* PETRI extructam Ecclesiam dicunt, non fidem vagam, non abstractam, Sed fidem PETRI, fidem Apostoli, qui Romæ sedit, fidem ejus, cujus successores Romani sunt Episcopi, vel ut simplicius dicam, fidem SIMONIS, quatenus PETRUS est, & ut verbo, PETRUM ipsum intelligere. Alioquin ne concipi animo quidem potest, quid PETRI fides conferat, ut ad Romanam potius, quam ad quamvis aliam adhærere Ecclesiam Christiani debeant. Rem tam facilem ignorasse FEBRONIUM? Quid? quod significanter iidem Pontifices, cum supra *fidem* PETRI ædificatam esse Ecclesiam scribunt, de *soliditate* id continuo ipsius PETRI & firmitate exponant? (44) Quid? quod non fidem simpliciter, sed *Apostolorum principis* adpellent fidem? (45) Quod fidem, pro qua, ne deficere unquam possit, *specialiter* CHRISTUS preces fuderit? (46) Mirum, si quid aliud ista omnia significent, quam supra PETRUM Ecclesiam fuisse a JESU CHRISTO ædificatam. Quodsi antiquiorum ea Pontificum de Matthæi illo loco fuit sententia; de recentioribus, INNOCENTIIS, CÆLESTINO, URBANO dubitari profecto non potest, quin a Majorum suorum mente nequaquam deflexerint.

Im-

qui in formulam fidei a se missam juraverit. Exordium formulæ: *Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire. . Et quia non potest Domini nostri J. C. prætermitti sententia: Tu es Petrus, & super hanc patram ædificabo Ecclesiam meam; hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apostolica extra maculam semper est catholica servata Religio.* Hard. Tom. II. Col. 1022. GREG. M. ad THEODELINDAM reginam, ne schismaticis ob tria Capitula damnata se jungat, sed *in petra, hoc est, in confessione B. Petri Apostolorum Principis*, sive in communione Ecclesiæ Romanæ persistat. L. 4. Epist. 38. NICOLAUS I. ad MICHAELEM Imperatorem de schismatico PHOTIO: apud Hard. T. V. Col. 802. HADRIANUS ad CONSTANTINUM & IRENEN Augustos contra Iconomachos. Hard. T. IV. Col. 79. JOANN. VIII. ad PETRUM Comitem, ut MICHAELEM Regem Bulgarorum ad Romanæ Ecclesiæ gremium reducat. Hard. T. VI. p. 1. Col. 18. STEPHANUS V. Orientales, causa schismatis PHOTIANI. Ibid. Col.

(44) NICOLAUS I. ad MICH. Imp. l. c. *Principatum divinæ potestatis super solidam fidem Apostolorum principis, Petri videlicet soliditatem constituens.*

(45) GREG. M. l. cit. item ad Eulogium Epist. XL. Regis. LVII. Tom. II. opp. Edit. S. MAURI Col. 888. *Quis enim nesciat, S. Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam mentis traxit in nomine.*

(46) JOANN. VIII. l. cit. *Si pro fide Petri oratum singulariter est a filio Dei, ne deficeret.* Sic cæteri passim. Fallor, nisi legens commemorari sic a me ista FEBRONIUS, jam me *infallibilitatem* putet RR. PP. suscepisse defendendam. Sed errat. Quod dogmatis est, tueor: super fidem PETRI, super PETRUM extructam esse Ecclesiam, demonstrare volo; tum istud insuper, quam sive perfide, sive incaute Pontificum armentur contra nos scripta!

Immo non deflexerunt: ſcit FEBRONIUS; ſciunt contubernales ejus; ad fucum, quod ajunt, pertinet; ad fucum tantum. Nolo plura: ſum enim alibi Pontificum ſententias adſcripturus, ut dixi. De *Troslejano* nunc Concilio videamus; de *Forojulienſi* enim poſtea.

VI. Atque prius quidem illud, neſcio quibus ſit oculis ab iis lectum, qui FEBRONIO præivere. Adſerunt Patres illi, cum Eccleſiæ toti commune ſit, quod *ſupra petram, id eſt, confeſſionem Petri ab ipſo Capite ſuo Chriſto fundata* ſit; tum ſibi tamen, qui in occidente exiſtant, inſuper hoc proprium eſſe ad gloriam, oportereque ſtimulo eſſe ad tuendam fidem, quod ſuæ Eccleſiæ ab nullo alio, quam a S. PETRO, aut hujus Succeſſoribus ſint inſtitutæ: (47) Quod ita cum adſerunt, quis niſi talpa non videt, confeſſionem eos non avulſam, ſed PETRI, quatenus PETRI eſt, intelligere, hancque *petræ* nomine deſignare? Alioquin futilis, nec in humanum cadens uſum loquendi iſta ratio fuiſſet. Eſt autem perinde, quod identidem moneo, ſive Confeſſionem PETRI, quatenus PETRI eſt, ſive PETRUM ipſum eſſe *petram* dicas. Atque id continuo ſic iidem Patres oſtendunt: *Et quoniam Eccleſia*, inquiunt, *in noſtris quoque partibus, ut dictum eſt, ſuper hanc petræ ſoliditatem non tantum fundata, ſed ab EO, EJUSque eſt ſucceſſoribus etiam edocta: cum Dei gratia, ipſius B.* PETRI *ſuffragantibus meritis, firmitatem fidei, quam primo percepit, hactenus inconcuſſam ſervare ſtuduit.* Vides petram? Is ſcilicet petra eſt, a quo, & a cujus ſucceſſoribus ſe edoctos *Troslejani* Patres gloriantur. ſic ſane omnes, qui latine ſciunt, verba accipient.

Atque eſt ſancti PETRI CHRYSOLOGI Ravennatum Epiſcopi haud, puto, diſpar ſententia. Ait enim: *Petrus a petra nomen adeptus eſt, quia primus meruit Eccleſiam fidei firmitate fundare.* (48) Quæ verba non torquenda temere; ſed componenda cum iis ſunt, quæ ad EUTYCHEN ſcripſit S. Præſul, *Beatum* PETRUM *in propria Sede etiamnum & vivere & præſi-*

 dere,

(47) *Apud Hard Tom. VI. p. 1. Can. XV. Col.* 543. Quæ (S. Eccleſia Catholica) cum generaliter ab ipſo ſuo Capite Chriſto ſuper Petram, id eſt ſuper confeſſionem PETRI ſit ædificata: manifeſtum tamen eſt, in omnem Italiam, Galliam & Hiſpaniam nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis PETRUS, aut ejus ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes.

(48) Serm. CLIV. pag. 135. Edit. an. 1633.

dere, & præstare quærentibus fidei veritatem. (49) Petrum igitur a firmitate dictum, CHRYSOLOGUS censet, ac fundasse hac illum firmitate Ecclesiam, non eo solum, quod initium prædicandi fecerit, sed quod vivat etiamnum, præsideat, doceat præsidendo, & *obedientiam*, ut ibidem dicitur, sibi deposcat: quod quid est, nisi Ecclesiam supra PETRUM suo modo incumbere?

VII. Sequunturii, qui *petram* CHRISTUM interpretati esse dicuntur. Ex his autem expungi imprimis volo, imperoque pro jure meo, ut expungantur PIUS II., S. THOMAS, MAGISTER *sententiarum*, JOANNES *Sarisbergensis*, & GOFFRIDUS *Viterbiensis*. Quid enim obmoventur, qui mentionem nequidem faciunt verborum, *Tu es Petrus*; sed vel ad alterum illum respiciunt locum, qui est in VII Capite *Matthæi*, ubi Ecclesia *domui supra petram ædificatæ* esse similis dicitur, vel istud Apostoli exponunt: *fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est*; aut demum simpliciter CHRISTUM primum & maximum esse fundamentum scribunt. (50) Atqui de illa nos sententia quærimus, *Tu es Petrus*. Est autem stolidum, propterea, quod sit alicubi in scriptura *Petra* CHRISTUS adpellatus, nunquam alteri tributum hoc nomen, ac ne pro captu quidem humanæ indolis communicatum esse putare. Nam & *Lux mundi* adpellatur CHRISTUS *Joannis VIII*: idem tamen etiam Discipulis suis dixit: *Vos estis Lux mundi*. Cumque ad *Corinthios* scribens PAULUS, fundamentum neget posse aliud poni, præter id quod positum est; idem Apostolos tamen atque Prophetas fundamenti nomine designavit. Ex quo Augustini illud verissimum fit, Ecclesiam super CHRISTUM tanquam *fundamentum fundamentorum* esse ædificatam.

Nec de PAULINO *Aquilejensi* patiar aliter judicari. Is enim utrumque permiscens locum, alterum Matthæi VII, alterum XVI. capite, primum in libro contra FELICEM *Urgelitanum*, Adversario exprobrat, quod *ipsius primi Apostolorum, primique Pastoris Ecclesiæ, Petri scilicet Apostoli fidei soliditatem avellere nitatur, quam supra firmam petram, quæ* CHRISTUS *est, firmiter a fidelibus non ambigitur fundasse.* (51) Cum quibus

(49) Locum alibi totum adscribo.

(50) Legantur ipsæ sententiæ, prout a LAUNOIO descriptæ: patebit, evidenter vera me dicere.

(51) *Edit. Paris. an. MDCXVII. Col.* 1800.

quibus componenda omnino sunt, quæ in adhortatione ad *Forojuliensem* synodum dixit, *illius fide regi & gubernari omnem Ecclesiam, cui specialiter, quasi primo Pastori dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* (52) Quæ si vera sunt, si apte concinneque posita; profecto & CHRISTUS PETRI, & PETRUS Ecclesiæ fundamentum petraque sit oportet. Tantum interest, quibus non oculis, sed animis scripta veterum legantur.

Jam BEDAM, RHABANUM, vulgatum ANSELMUM, ISIDORUM (si tamen est hujus liber Originum septimus) DUNGALUM, HERIBERTUMque, sex numero, fateor AUGUSTINI ea verba transcripsisse: *Petrus a petra, sicut Christianus a Christo:* quid autem tum? Transcripserunt: & DUNGALUS quidem ex incidenti, ac prout implicata cum aliis longissima Oratione ab AUGUSTINO fusis, quin vel probare vel improbare ea se diceret. (53) Et probaverint sane reliqui: quid? error manifestus an pro præjudicio erit? Est enim *Petrus* non vox latina deflexa a *petra*; sed græca *Petros*, in latinam terminationem formata. Πετρος autem ἀπο τȣ πετρα derivatum non esse, vel ea sola demonstrare ratio potest, quod Græcorum, qui præ Latinis ingenium linguæ suæ optime noverant, nunquam in mentem venerit vocabulorum ea deflexio. Præterea habemus non ISIDORI nos modo, BEDÆ, & HINCMARI *Remensis*, sed & ANSELMI, quisquis is demum, & RHABANI, & JOANNIS *Sarisbergensis*, & GOFFRIDI *Viterbiensis* perspicuas, manifestasque sententias, quibus Caput Ecclesiæ PETRUM fuisse, communionisque ac fidei totius nexum in eo collocatum, cum adfirmant, tum ex Matthæi illis verbis, *Tu es Petrus*, sive sumunt, sive demonstrant. Re igitur dicunt, quod grammaticam dum sectantur & origines vocum, non satis exprimunt. (54)

Quid autem ECKIUS? quid RENATUS BENEDICTUS? CLICTOVÆUS, recentiores illi & proximorum temporum scriptores? Nihil de his dicam præ-

(52) *Acta Concil. Hard. Tom. IV. Col.* 851.: Si ergo - - sancta Ecclesia inviolabiliter fundata super eam persistit petram, quam B. PETRUS - - - confessus est: & illius fide regitur & gubernatur omnis Ecclesia, cuique specialiter quasi primo Pastori dictum est: *Tu es Petrus super hanc petram:* ubi est, inquam, illa regula Trinitatis, quam generaliter suis post resurrectionem Dominus Apostolis commendavit, quorumque principatum idem B. gerebat PETRUS Apostolus? CUIQUE & QUORUMCUNQUE, *pro* CUI & QUORUM *sunt posita. Quod, ut ne fraudi alicui sit ea locutio, adnotari debuit.*

(53) Biblioth. PP. Colon. Edit. Tom.

(54) Referuntur horum sententiæ inferius in hoc tomo Cap. III. Art. II. §. I.

præter unum hoc; fuiſſe non animo bono ab LAUNOIO laudatos. Sunt enim manifeſte in hac illi ſententia, PETRUM ipſum non minus, quam fidem PETRI fundamentum apud *Matthæum* a CHRISTO conſtitui. (55)

VIII. Quare cum præter DUNGALUM, qui, ut ajebam, rem minime diſcutit, & HILDEBERTUM, cujus ad manum mihi non ſunt ſcripta, nullus reſtet,

(55) Videatur ſane ECKII Opus *de Primatu* S. PETRI: & in quo ſuccinctius iſta pertractat, *Encheiridion Locorum communium* adverſus LUTHERUM. Pag. 38. Recitatis CHRISTI verbis apud *Matth.* ſubjungit: *Patet, quomodo ſignare voluit Perſonam* PETRI, *quia poſuit nomen antiquum*, SIMON, *Nomen novum* PETRUS, *nomen Patris* BARJONA, *& demonſtrat proprie*, TU ES: & ſuper hanc petram: *exponit* HIERONYM. *id eſt*, ſuper te. *Per illa verba promiſſum* PETRO *Primatum teſtantur S. Patres*, *& ſuper* PETRO *ædificandam Eccleſiam* CYPRIANUS &c. &c. Pag. 43. argumenta hæreticorum proponit, ac diſſolvit pag. 44. Quare quod ſic LUTHERO, de fide PETRI Evangelicum teſtimonium explicanti, reſpondet lib. I. de Primatu Capit. 13. *Quis ei in hoc repugnat, quis negat? quis inficiatur? ille prodat, nominet quem hujus diſſenſorem*: facit idem, quod JONAS *Aurelianenſis* (nam etiam ille objicitur) in eo, quem contra CLAUDIUM *Tauronenſem* ſcripſit, libro. Hic hoſtis imaginum cum eſſet, & peregrinationum, quæ Romam ſuſcipiebantur a Fidelibus ad S. PETRI honorandas exuvias; criminabatur, ex Evangelii non intellectis verbis eam oriri religionem; non eſſe autem ſupra PETRI perſonam, ſed ſupra *fidem* PETRI Eccleſiam extructam. Quod quidem ridens argumentum JONAS, reſpondet, non fuiſſe, cur hoc moneret: *multos namque & pene omnes petram, ſupra quam ædificatur Eccleſia, fidem intelligere* B. PETRI, *atque hanc communem eſſe totius Eccleſiæ. Quis eſt enim*, inquit, *vel exigui intellectus, qui hanc fidem non teneat, & dicat: Credo in Deum Patrem* &c.? Apte. Fides PETRI fides Eccleſiæ: eſtque idem, ſupra PETRUM, & ſupra FIDEM PETRI Eccleſiam ſtare. Hoc multi, hoc pene omnes, hoc Pontifices ipſi, LEO, FELIX, GELASIUS, GREGORIUS JONAM, & poſtea ECKIUM docuerant.

Non minus RENATO, quam ECKIO injuriam LAUNOIUS fecit. Hic ex inſtituto, ac data opera refellit eos hæreticos, qui loco Matthæi *male intellecto abutuntur*, colliguntque (loquor verbis ejus) *primum Eccleſiæ Chriſti miniſtrum male dici caput ſeu fundamentum Eccleſiæ*, & ex eo probant, quod Chriſtus dixerit, *ſuam Eccleſiam fundandam ſupra ſeſe, qui eſt petra.* Quibus reſpondet: *manifeſtum eſt ex litera ipſa, Chriſtum promiſiſſe* B. PETRO *privilegium & officium excellens in ſua Eccleſia.* Quod deinde officium eo modo exponit, quo omnes Catholici: atque tandem concludit: *Habeto ex hoc loco*, B. PETRUM *appellari* PETRAM *propter firmitatem & conſtantiam, ſive etiam permanentiam veræ fidei in Eccleſia ab ipſo fundata.*

CLICTOVÆI non eſt ad manum mihi compendium veritatum Catholicarum adverſus Lutherum, quod LAUNOIUS nominat. Quodſi eſſet; non dubito, quin perinde malæ fidei poſſem hominem accuſare: Eam fiduciam vel ipſe operis titulus mihi injicit. Cæterum verba a LAUNOIO citata, ſunt: *ſuper hanc petram ſoliditatem ſcilicet & firmitatem confeſſionis* A TE *prolatæ ædificabo Eccleſiam meam.*

ſtet, de quo demonſtrandum eſſe, quod volui, videatur; horum quidem, ut arbitror, ſupplere locum poſſunt, TERTULLIANUS inprimis, qui in libro de Præſcriptione, *latuit*, inquit, *aliquid* PETRUM, *ædificandæ Ecclesiæ petram dictum*? Tum CYPRIANUS, qui in libro de Unitate: *ſuper illum unum ædificavit Eccleſiam.* BASILIUS item, qui in II. Libro adverſus Eunomium: *Cum audimus*, inquit, *Petrum*, *intelligimus Joannis filium*, εφ' ἑαυτον την οἰκοδομην της ἐκκλησιας δεξαμενον, *Eccleſiæ ædificationem in ſeſe ipſum accipientem.* (56) ET EPIPHANIUS, qui rem omnem exhauriens, *ſummus*, ait, *Apoſtolorum*, *qui factus eſt nobis vera firma petra*, θεμελιȣσα την πιςιν τȣ κυριȣ, *fundans Domini fidem*, *in qua ædificata eſt modis omnibus Eccleſia: inprimis quidem, quod confeſſus eſt Chriſtum filium Dei viventis*, *audivitque:* ὁτι ἐπι τῃ πετρᾳ ταυτῃ της ἀσφαλης πιςεως οἰκοδομησω μȣ την ἐκκλησιαν, *quoniam ſupra hanc ſolidæ fidei petram ædificabo Eccleſiam meam:* (57) ZENO quoque Veronenſis: *Non ſine ratione & Simoni, ſuper quem ædificavit* Eccleſiam, Petrus *nomen impoſuit.* (58) Ac NICETAS Paphlagon: *ſalve Petre*, *cui Claves regni cœlorum creditæ ſunt*, *ſuper quem Chriſtus firmavit Eccleſiam ſuam.* (59) IGNATIUS item Conſtantinopolitanus Patriarcha ac Martyr apud eundem Nicetam: κλειδȣχε της βασιλειας των οὐρανων, και πετρα, ἐν ᾗ χριςος ὁ θεος την αὐτȣ ἐκκλησιαν ἐςηριξατο, *o Claviger regni cœlorum*, *& petra*, *in qua Chriſtus Deus ſuam Eccleſiam firmavit.* (60) Denique ſcriptor antiquus, quem ſub nomine ASTERII THEOPHILUS RAYNAUDUS edidit, & ORIGENES, & FIRMILIANUS, & MAXIMUS *Tauronenſis*, & PSELLUS, & EPHREM: quos quoniam concedit nobis LAUNOIUS, non eſt neceſſe, adſcriptis verbis eorum, jacturam temporis & chartæ facere.

Ad hæc autem omnia quid JURISCONSULTUS? Tandemne ſatis? Etiamnum vaga, indefinita, incerta, dubia, inepta, quæcunque proferimus? Bene eſt: habeo vadem, quem reſpuere nec ego velim, nec ipſe poſſit: Febronium, inquam. Nam ille precationis hanc formulam obmovet: *ut nullis nos ſinas perturbationibus concuti*, *quos in Apoſtolicæ confeſſionis petra*

 ſoli-

(56) TERT. Lib. de Præſcrip. Cap. 22. CYPR. de unit. Edit. Pam. pag. 254. BASIL. Edit. Pariſ. Tom. I. pag. 240.
(57) Epiph. ad hæreſ. L. Edit. Petav. Tom. I. pag. 500.
(58) Lib. I. Tract. 13. N. VIII.
(59) Orat. de Ss. Petro & Paulo apud Combefis. pag. 317.
(60) Hard. Tom. V. Col. 979.

ſolidaſti. atque ſubjungit: " Cui nullatenus repugnat Oratio ad diem de-
" cimam octavam Januarii: *Deus, qui B. Petro Apoſtolo tuo collatis clavi-
" bus*, ac quæ ſequuntur. Itaque cum non aliter credat, & aliter oret
" Eccleſia (*legem enim credendi lex ſtatuit ſupplicandi*) videtur hæc eſſe
" doctrina Eccleſiæ, ut hæc ipſa ſupra confeſſionem S. Petri fundata cre-
" datur. (61)

Plane ſic, eruditiſſime virorum! Doctrina Eccleſiæ eſt. Sed ſine me etiam in rem liturgicam ingredi. Eſt, ut a Græcis ordiar, qui cum communione ſint a nobis disjuncti; niſi traditione cogerentur & evidentia veritatis; nunquam committerent, ut adſtipulari Latinorum de Primatu dogmati, & adprobare illud publicis precibus, rituumque & officiorum divinorum libris poſſent videri. Eſt oratio, inquam, apud illos hujusmodi in Euchologio: *Deus, qui principi tuorum diſcipulorum & Apoſtolorum Petro Eccleſiam tuam inædificaſti.* Sic enim vertenda ſunt, *πετρῳ την σην οἰκοδομησας ἐκκλησιαν*, non ut mendoſe alias: *Deus qui Petro in ædificanda tua Eccleſia:* cum ſtatim ſequatur, *και τας κλεις ἀυτῳ δȣς*, *& qui claves ei dediſti.* (62) Quorum ſimillima ſunt, quæ a METHODIO Conſtantinopolitano Patriarcha acceperunt; *Domine Deus noſter, qui regni tui clavibus Petro Apoſtolorum tuorum principi creditis, ſanctaque tua Eccleſia ſuper eum ædificata*, *ἐπ᾽ ἀυτῳ οἰκοδομησας.* (63) De Latinæ autem Eccleſiæ monumentis quid? Mittam pleraque, quæ adferri poſſunt, præſertim quod eſt infra de illis ſermo rediturus: nunc Gallicano Sacramentario ero contentus, quod MABILLONIUS evulgavit Tomo primo Muſæi Italici. Ibi in CONTESTATIONE: *Ex quibus B.* PETRUM *in fundamentum Eccleſiæ catholicæ collocaſti.* Ac rurſum: *in cujus confeſſione eſt fundamentum Eccleſiæ Catholicæ, nec adverſus hanc petram portæ inferi prævalent.* (64) En ſane & PETRUM & *confeſſionem* PETRI fundamentum ac petram. Hæc doctrina Eccleſiæ eſt: ſic illa ſecum, ſic nobiſcum conſentit. Sed hæc ſatis in præſens.

§. III.

(61) Feb. Tom. I. Cap. I. §.

(62) Apud Goarium pag. 546.

(63) Ibidem pag. 690.

(64) Tomo I. pag. 343. 297.

§. III.

An Petro nihil præcipuum, præſtans, excellens præ aliis datum ſit, deciditur primo ex collatis inter ſe ſcripturæ ſententiis.

I. Proximum modo eſt, ut illud quæramus, an nihil peculiare, ſolidum atque eminens datum Petro, iidem illi Eccleſiæ Patres cenſuerint? hæc enim altera eſt labes Febronianæ vertiginis.

Atque ſcripturam quidem ſi conſulere libet; puto ſi in ſchola Febroniana adoleviſſem, foremque hoſtis, quantus eſt ipſe, Romanorum Pontificum; non me ſerio tamen atque ex animo rem ſolis ſcriptam radiis & evidentem negare poſſe. Radix in hoc mali eſt, & origo tota ineptiſſimæ digladiationis, quod qua parte ſibi pugnandum eſſet nihil attenderit. Sicut nec Launoius, atque Dupinius, miſerrimum hominum genus, & Anonymus iſte Febronii frater ac corrivalis, qui ſe neſcio quid putabant ad vindictam, communeque odium feciſſe egregii, ſi ſcripturæ ſententias duas aut tres ludificationibus quibusdam ſuis, ſeorſim & avulſas a complexu cæterarum vexaſſent. Quod ipſum præterquam quod, ut vidimus, infeliciter imperiteque fecerint; non id erat, in quo ſtyli acies obtundi debuit. Eſt in conjunctione vis. Itaque tota geſtorum Chriſti & Apoſtolicæ narrationis ſeries intuenda fuerat: quemadmodum cum ex Prophetarum oraculis Meſſiam eſſe JESUM Christum probamus; nullum is fructum operæ faciet, qui in ſingulis tenebras captat: quoniam robur in collectione ſitum eſt, atque ut nexa ſunt invicem, & in Christum univerſa tandem conſpirant; ſic ad evidentiſſimæ demonſtrationis lucem pertingunt.

II. Itaque quod jam tum monuimus, ſimul atque conſpectum Domini Petrus ſubierat, mutationem nominis ei deſpondet. Poſt hæc coram cæteris diſcipulis fidem liberat, & unum adloquens. *Et ego*, inquit, *dico tibi, quia Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quodſi in commune ſubin omnibus ligandi ſolvendique poteſtatem dedit: non modo præſente, recenſitoque cum iis Petro eam dedit: verum ſoli etiam huic ac prius: *Quodcunque ligaveris*, inquit, *ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Et quo nuſpiam ad cæteros eſt uſus loquendi genere: *Tibi dabo claves*, ait, *regni cælorum.* Si item omnibus & in commune juſſit, *irent & docerent omnes gentes*; qua emphaſi, quo apparatu nomina-

tim Petro procurationem ovium demandavit? Semel iterum, tertioque interrogat: *diligeret ſe plus aliis Apoſtolis?* tum adfirmanti, *Paſce agnos*, inquit, *meos*, *paſce agnos meos*; ac demum omnia complexus, *Paſce oves meas.* Si rurſum omnibus dixit: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos; Ecce vobiſcum ſum usque ad conſummationem ſæculi*: pertinent illa quidem ad Petrum non minus, quam ad reliquos. Sed ſingulare hoc iterum ac proprium Petri, quod cum de omnibus pronuntiaſſet Christus, *expetitos fuiſſe a ſathana, ut cribrarentur ſicut triticum*; de uno Petro ſubjunxerit: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Pro te*, inquit, quem nuper *Petrum* nominabam, *petramque* feci. Et ut verum ſit, cum omnibus me futurum usque ad conſummationem ſæculi: *Tu tamen converſus confirma fratres tuos.* Poſt reſurrectionem item cum omnibus Apoſtolis renuntiari eam mandaret: *Dicite*, ait, *Diſcipulis & Petro.* Heinc quotiescunque Apoſtolorum in Evangeliis recenſitio fit; primus ſemper Petrus nominatur: velut *Matthæi* X. *Marci* III. *Lucæ* VI. quod ſiquis non rebus certis, ſed temere factum eſſe arbitretur, rationem velim is reddat, quamobrem Judas loco poſtremo conſignetur.

III. Atque poſt aſcenſionem etiam Christi, ubi prima quaſi incunabula Eccleſiæ naſcentis deſcribit Lucas, Petrus prior eſt rurſum inter Apoſtolos. Primus electionem Mathiæ ordinat: primus novi Teſtamenti promulgationem, quo in Eccleſia negotium gravius nunquam fuit, inſtar Moyſis ſuſcipit: primus eam defendit; in foro, in templo, in conſeſſu principum ſolus loquitur. Eccleſiam deinde Jeroſolymitanam ex pluribus hominum millibus cum collegiſſet; præſcribit leges, & in prævaricantes Ananiam, & Saphiram præſenti ſupplicio animadvertit. Poſt hæc Samariam procurans, Simonem magum anathemati ſubjicit; tum Eccleſias univerſas luſtrat: perinde, ut ait Chryſoſtomus, velut *dux in exercitu legiones omnes obambulat.* Tandem cum jam tempus inſtaret quo quod erat præcipuum in molitione Eccleſiæ, perficiendum foret, iſtud ſcilicet, ut *habitaret lupus cum agno, pardus cum hædo accubaret; vitulus & leo & ovis ſimul morarentur; vitulus & urſus paſcerentur ſimul, & leo quaſi bos comederet paleas*: quid? annon Petrus rurſum ille, cui præ omnibus procuratio ea demandata divinitus fuit? Heinc in Concilio Hieroſolymitano: *Viri fratres*, ait, *vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per* os meum *audire gentes verbum Evangelii & credere.* Atque ut de Concilio ipſo & quas in eo partes Petrus obierit, nihil in præſens dicam: Paulus certe ne cui ſuſpectus eſſet, Jeroſolymam abiit ἱςορῆσαι πέτρον, quod eſt, *percontandi conferendique* cum eo cauſa: idemque quoties

ties cum ſummis ſeſe Apoſtolis comparat, Petri nominatim facit mentionem.

Hæc inquam omnia in unum colligata filum ſi attendantur, non avellantur vero ab ſeſe invicem, nec diſſipentur; puto qui pervicaciſſimus non eſſe voluerit, luctari porro tricarique deſiturum. Nam mutemus tantiſper, quam in Evangelio Christus adhibuit parabolam de rege. Peregre profecturus hic Miniſtros ſibi ex multis ſeligat, eademque qua Christus forma ac modo in adminiſtrationem regni ſui vicariam eos immittat: dein unum vero præ omnibus ac coram cæteris ſic adloquatur, ut Christus Petrum; idemque unus eodem quo Petrus loco in inſtrumentis publicis recenſeatur: unus in adminiſtratione regni ſimilia ac Petrus faciat: num dubitaret quiſpiam, quin eximium in hunc atque eminens ſit quiddam collatum a Rege, in cujus ſocietatem perinde alii admiſſi non fuerint? *

Faceſſant nunc igitur nugæ cavillæque putidæ hæ atque ſimiles Jurisconsulti: Eſſe Apoſtolos itidem fundamenta Eccleſiæ: eſſe his etiam ligandi ſolvendique datam poteſtatem: etiam iſtos paſtores orbis a Chriſto poſitos. Quis enim neget? Non de hoc diſceptatio nobis tecum, Ferroni, eſt, nec cum tuis gregalibus: quod tu cum minime opus eſſet, pluribus teſtimoniis probare voluiſti, ut aliquid in vulgus dicere videreris. Non, inquam, hoc negamus, nec hoc contendimus. Sed illud: ſic eſſe fundamenta Apoſtolos; ſic paſtores item, & ligandi ſolvendique auctoritate præditos, ut in *eodem ipſo* tamen *genere* peculiare ſit quiddam ac præſtans conceſſum Petro, neque titivillitiis illud tuis conſtans ſolummodo, ſed ſolidum, eminens, atque tale, quale inficiari præter te ac ſimiles tui, nemo volet. Aut an tu putas, ad honoris qualemcunque umbram referre me apparatum illum poſſe dictorum Christi, cujus cupiditatem in Diſcipulis ſuis ipſe toties repreſſerat? Putas tanti qualiacunque illa tua, quæ Petro reliqua facis, me pendere, uti digna arbitrer quorum cauſa cum prædicenda ei primum fuerit impoſitio novi nominis *Cephæ*, tum imponendum hoc &, cum majeſtate quidem iſta verborum: *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam?* Tanti, uti hoc etiam addendum fuiſſe videatur, ædificatum ſic iri ſuper hanc petram, ut portæ inferi nunquam ei prævaleant? Dicam diſertius. Scripſiſti (puto enim te memorem fore) tantum neque plus aliquid conceſſum in Eccleſia eſſe Petro, quam Primati alicujus provinciæ, velut in Africa Cypriano. Hujus autem hoc uno auctoritatem finiſti, quod honore ac loco præiverit, atque & convocare cæteros, cum opus eſſet, potuerit, & amice officii ſui commone-

* V. Diſſ. Theol. P. Clem. Becker S. J. Monaſt. Weſtph. Tom. I. pag. 95.

monere; credo, ad eum modum, quo in piis ſodalitatibus, quas *confraternitates* vocamus, monitores quidam eligi conſueverunt, ac præfecti, quorum nulla alioquin poteſtas, nulla Juriſdictio eſſe ſolet. Cedo autem! Si aut CYPRIANUS de ſe, aut de eo alius quivis ad officium hujuſmodi reſpectans, neque aliorſum aliquo intendens oculos, hoc modo dixiſſet: *Hunc Claves habere Regni Cælorum, hunc Petrum eſſe, hoc tanquam immobili petra Eccleſiam Africanam ſtare*, atque ſtare ſic, ut *inferorum pertimeſcere vim nullam debeat*: qui audiſſet tumorem illum ac pompam, an ſine riſu audiſſet? Mihi quidem non ea minus jocularis eſſe videtur, atque Poetarum illa trivialium, qui cum laudare aliquem volunt, quantumvis tenuem, ſyderibus ſolent comparare lunamque aut etiam ſolem illum facere.

IV. Et ut de eo, quemadmodum facis, altercari deſinas, quid *Clavium* nomine ſignificaverit CHRISTUS, dum ita dixit: *Tibi dabo Claves regni cœlorum*: mea hæc quidem ſententia eſt, quam nullo clamore tuo mihi eripies, non eſſe ligandi ſolum, ſolvendique, hoc eſt, peccatorum remittendorum aut retinendorum poteſtatem, ad quæ duo ſubin uſus metaphoram tranſtulit, ſignificata: ſed diffuſius quiddam & multo illuſtrius: idque ex receptiſſima locutione ſacræ Scripturæ, qua cui Claves dantur civitatis ac regni, is principatum aut rectionem præcipuam habere dicitur. Neque *regnum cœlorum* in illo commate beatorum Sedem, ſed militantem heic in terris Eccleſiam ſignificat: ſic enim identidem a CHRISTO nominatur. Atque ita hujus Eccleſiæ principatum S. PETRUS obtinuit. (65) Sed nolo, ut dixi, tricari tecum. Id dabis atque iſtud fatebere, quando Diſcipulis Dominus ajebat, *quæcunque alligaveritis*, adfuiſſe una cum reliquis PETRUM: tum rurſum quando inſufflando ad eos dixit: *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, adfuiſſe PETRUM: Atqui non his contentus, ſignificanter præterea non modo ligandi, ſolvendique jus, unum adloquens PETRUM, huic conceſſit verbis hujuſmodi: *quodcunque ſolveris, quodcunque ligaveris*; ſed *Claves* inſuper adjecit: *Et tibi dabo Claves*, qua nuſquam alibi eſt uſus majeſtate verborum. Et vero quod identidem inculcare opus eſt, facit tum, quando beatum adpellavit SIMONEM, nomenque *Petri* aut *petræ* impoſuit, & ſuper hanc petram Eccleſiam moliri ſe dixit, quam contra robur Sathanæ & apparatus omnis prævalere non poſſit.

aut

(65) Vide Apologeticon Doctiſſ. KAUFFMANS. Diſſ. I. §. II. cujus demonſtrationem luce clariorem merito P. SCHMIDT vocat Inſtitut. Juris Eccleſ. Tom. I. pag. 172. — Cl. Held, quem una cum eo laudat, nondum vidi opus.

Aut ſapientiæ igitur detrahe divini Verbi, aut fatere atque conclude, non rem eſſe eandem in Apoſtolos collatam cæteros, quæ eſt in PETRUM; aut ſi res una eſt, hanc eandem præſtantiore ſaltem & excellentiore quodam modo in PETRUM collatam eſſe. Qui quidem qualis ſit modus, ex traditione Majorum & præceptionibus catholicæ fidei nos loco ſuo explanabimus. Habe interim hoc tibi, quod a Genevenſium ſanctiſſimo Præſule, FRANCISCO SALESIO commendatum eſt literis: *Hæreticorum miniſtri*, inquit ille, *omnem lapidem movent, ut quantum poſſunt, inquinent fontem Evangelii; ne Petrus ibi reperiat Claves ſuas. Nihil intentatum relinquunt, ut nos avertant ab obedientia, quæ debetur Vicario Chriſti. Quid autem fecerunt? Dixerunt S. Petro promiſſionem a Domino factam nomine totius Eccleſiæ, ſic, ut nullum privilegium peculiare conceſſum fuerit ipſius perſonæ. Si igitur hoc interpretandi modo non pervertatur Scriptura, nunquam ab alio in alienum ſenſum detorquebitur. Nonne enim Petro locutus eſt Dominus? & quomodo clarius mentem ſuam exprimere potuit, quam his verbis: Et ego dico* TIBI? *cum enim immediate antea locutus fuiſſet de Eccleſia, dum ait*: PORTÆ INFERI NON PRÆVALEBUNT ADVERSUS EAM: *quidnam obſtat, quo minus adjunxiſſet: Et dabo* ILLI *Claves regni, ſi illas immediate dare voluiſſet Eccleſiæ. Non dixit* ILLI, *ſed* DABO TIBI. *Quodſi liceat explicare loca clara, nihil omnino in Scriptura reperietur, quod in omnem ſenſum detorqueri non poſſit.* (66) Hæc ſane velim attendas, hæc meditere. Sed erro. Jam enim objectam tibi eam ſententiam cum video; ſimul, quo illam loco habendam putes, intelligo. *Fuit*, inquis, *vir hic ſanctiſſimus magnus Aſceta, an in ſtudio critico Canonum & Conciliorum peræque expeditus, dubitare licet.* (67) Apte. Habeo vehementer cur SALESIO gratuler, quod inter mercenarios Romanæ Curiæ & adulatores cum vulgo reliquorum Theologorum non ſit a te poſitus: tum & KAUFFMANSIO eruditiſſimo viro ago magnas gratias, quod quantus Aſceta vir hic ſanctiſſimus fuerit, opportuno te exemplo docuerit. (68) Sed quod de *Studio critico*

mur-

(66) Serm. 32. *de Eccleſia*, qui in Bibliotheca Chiſiana Romæ adſervatur.

(67) Objecerat poſt *Excell. Comitem de* GALLENBERG hunc ei locum Cl. P. Schmidt in Inſtitutionibus Juris Eccleſ. doctiſſimis: Cui ipſe Tomo III. pag. 287. eo quo dixi modo reſpondit, ac nihil præterea.

(68) *Febronianus* eſt floſculus Tom. II. pag. 269. FLEURII, *cujus ipſe* (KAUFFMANS) *non eſt dignus ſolvere corrigiam calceamenti.* Reſpondit hic præfat. ad ſecundam edit. Apologetici pag. 27. *Acerbe pro verbi divini reverentia* S. FRANCIS. SALESIUS *æger medicum corripuit, dum eum ſibi pharmacum parantem interrogans, quid faceret, reſponſum accipit: Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea. Quid vero dixiſſet, ſiquem Adverſario ſuo intorquentem audiviſſet verba, quibus divinam Chriſti ſublimitatem per hebraicam phraſin expreſſit S. Præcurſor?*

murmuras, velim audire aliquanto a te clarius. Quid ergo vis? Jurisconſultum non fuiſſe FRANCISCUM SALESIUM? at magiſterio donatus fuit utriuſque Juris. *Decretalibus* ISIDORI fuiſſe deceptum? atqui non nititur ISIDORO: mentionem ejus non facit; in ſola CHRISTI hæret ſententia; hanc ex verbis, quibus contexta, prolataque eſt, explicat, manifeſtamque eſſe dicit ex ſeſe, probat, oſtendit, demonſtrat; ſolis, quæ nobiſcum natæ ſunt, hermeneutices regulis, ſolo hominum communi ſenſu, mente, uſu, intelligentia pugnat; GRATIANUM, cum diceret iſta ad populum, non cogitavit. —— Sed enim vidiſti tu forſan in genuinis Canonibus, quod conciliari cum Oratione illa SALESII non poſſit? Age Doctor! quoniam tamen ſic ornas eos, qui te impugnarunt, vide quam ſim *audax* ego & *præſumptuoſus*! Oſtende ullum tu mihi Canonem, ullum Concilium, ullam vocem, literamve alicujus Concilii aut Canonis, quibus, quod eſt Scripturam hoc modo interpretatus SALESIUS, haud eſſe recte interpretatum, non ad probabilitatem dico oſtendas, ſed ad ſpeciem, ad umbram (fingam voces, quoniam cogor) vel ad ſomnium probabilitatis. Non potes; certus ſum, omnino non potes. Quid ergo garris? Cæterum ſic habeto: a me, ſi quem hominem intuear, cujus tanquam mare incitatum, perpetuis fluctibus agitatur animus, nec unquam loco conſiſtit; qui quemadmodum ſpoliis diteſcat turpiſſimis, quemadmodum oculis fideique publicæ illudat, conſtanter quærit; cujus una dos eſt, contemnere, deſpicere, ridere omnes, audire neminem; tumultu, æſtu, furore, incendiis vincere; hujuſmodi, inquam, a me hominem ineptiſſimum ad Scripturæ ſacræ comparandam ſcientiam putari. Nam illud Scriptura ipſa me docuit: ſic quippe ab Apoſtolo JACOBO eſt traditum: *Quodſi Zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris; nolite gloriari, & mendaces eſſe adverſus veritatem: non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis* (non addam tertium, ne te nimium offendam) *Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuaſibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis, non judicans, ſine ſimulatione. Fructus autem juſtitiæ in pace ſeminatur, facientibus pacem.* (69) Redi ad te ipſum vero nunc, ac ſive ad ea, quæ in *Præluſione*, ubi modeſtiæ & urbanitatis tuæ exhibui ſpecimen, ſive ad illa, quæ per decurſum hujus demonſtravi operis: tum

ſtatu

(69) Epiſt. S. Jacobi Cap. III. v. 14. ſeq.

ſtatue apud te, tibi, an FRANCISCO SALESIO ſit deferendum? Quodſi ex fructibus diſceptanda res ſit; a SALESIO quidem duo ac ſeptuaginta hominum millia ad catholicam reducta fidem fuiſſe accepimus; interque eos, doctrina & generis nobilitate multos conſpicuos: tu quem ſtabularium, tametſi in omnes linguas ſit liber tuus translatus, converteris; cui vel animum redeundi, toto, quo es in armis, decennio, injeceris, neminem noſti, neminem oſtendes: neque vero qui vel oblatis a te conditionibus ſponderet reditum, ullus fuit. Sed hæc ſatis: eſt enim dolor, qui mihi iſta extorſit. Tu de SALESIO interim, quod voles, ſenti: ſed argumentis ſaltem a me productis reſponde aliquid! Cavebis autem, ne quam tibi conditionem tulimus diſputandi, hanc prævariceris. Tanquam ſi ita ſuccurreret animo tibi fortaſſis: quod primus nominetur Petrus in Evangeliis, quod primus loquatur, defendat, leges ferat, puniat, ac quæ ſimilia modo referebamus, non hæc tanta ſuamet indole atque ſe ſolis eſſe, ut præter προεδριαν & prærogativam Præſidis in ſenatu multum præſeferant. Nihil enim dicturus es: nam conjungenda ſunt ea, ut monui cum ſuperioribus, atque in illud intendendum; ideo primum nominari Petrum, facereque iſta, quoniam Petrus eſt, & ſignificanter ei præ cæteris dictum: *Tu es Petrus*, ac quæ ſequuntur. Idem de Joannis, quem vellicas, loco, P*aſce agnos meos, paſce oves meas*, conſiderandum tibi erit. Eſt enim in totam connectendus ſeriem dictorum CHRISTI atque factorum, primaque mediis & ultima primis aptanda ſunt. Tandem ut hoc etiam moneam, fruſtra fatigabis calamum, ut Lucæ eum locum in ordinem redigas, in quo ſe CHRISTUS pro fide PETRI rogaſſe dicit. Nam id ſemper retinendum tibi animo eſt, PETRUM eſſe, pro quo rogaverit. Et ut apud *Matthæum*, non qua homo erat ex oſſibus & carne conſtans, ſed qua divinitatem profeſſus CHRISTI, nomen PETRI ſortitus eſt, fundamentumque factus & petra Eccleſiæ, & inferorum apparatui cuivis bellico inſtar rupis cujusdam oppoſitus: ſic eadem modo eſt fides, quam periclitaturam CHRISTUS prædicit ab ſathanæ inſidiis, & pro qua, ne in PETRO detrimentum capiat, confirmetque ille fratres reliquos, fudiſſe preces ſe ad æternum Patrem adſerit. Verbo: nexus ipſe comparatioque inter ſe rerum atque dictorum oppugnanda tibi ſunt. Quod quia intellexiſſe hactenus nunquam pro tua vertigine ſatis videris: παραδειγμα tibi aliquod conſtruam, cum quo laborem ſi tuum contuleris, miſerebit te tui, atque pudebit, tam multa cum ſcripſeris, bonum otium, ſcribendo nihil, tibi effluxiſſe.

PRÆROGATIVÆ APOSTOLORUM SED COMMUNES ILLIS CUM PETRO.

I. *Vocavit Discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit, Simonem quem cognominavit* PETRUM, *& Andream fratrem ejus, Jacobum & Joannem &c. &* JUDAM *Iscarioten, qui fuit proditor.* Lucæ VI. 13. Matth. X. 2. Marci III. 13.

II. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Matth. XVIII. 18.

Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Lucæ X. 16. Matthæi X. 40. Joann. XIII. 20.

III. *Locutus est eis dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus S. docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Matth. XXVIII. 18. seq. Marci XVI. 15.

IV. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Et cum hæc dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum S.: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Joann. XX. 21. seqq.

PRÆROGATIVÆ PROPRIÆ UNIUS PETRI.

I. *Simonem, quem cognominavit Petrum.* l. c. *Intuitus autem eum JEsus, dixit: Tu es Simon filius Jonæ, Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur, Petrus.* Joann. I. 42.

Beatus es Simon Barjona &c. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Matth. XVI. 18.

II. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Ibid. 19.

III. *Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro JEsus: Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine! tu scis, quia amo te. Dicit*

cit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis diligis me? Ait illi: etiam Domine, Tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus *&c. & dixit ei: Domine tu omnia nosti, Tu scis, quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas.* Joan. XXI. 15. seq.

Simon Simon: ecce sathanas expetivit vos, *ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro* TE, *ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Lucæ XXII. 31.

IV. *Et* Tibi *dabo claves Regni Cælorum.* Matth. XVI. 19.

Post ascensionem Christi ad omnes quidem Apostolos pertinent ista. Act. 1. 8: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus S. in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa & Samaria & usque ad ultimum terræ.* Sed excellentiam Petri quam sunt multa in Apostolorum gestis, quæ demonstrare possint?

Ex his jam vides, quam te inepte in iis coacervandis rebus exercueris, quæ Apostolorum sunt a Christo desponsa toti cætui. Velut quod Spiritum sanctum iis pollicitus fuit, quod futurum se cum illis recepit, quod mittere se eos, ut ipse missus fuit, & quæ horum similia, quibus ut tu vim aliquam adderes ad arietandum; uncialem typum obtudisti. Nihil opus erat. Jam enim intelligis, etiam omnia illa cum ita se habeant; dubitari neutiquam posse, quin sit magnificum & excellens aliquid Petro datum, quodque uni sit proprium Petro, & in cujus communionem Apostolorum adduci nemo alius possit. Atque huic tu rei evidenti eo minus refragari voles, si attenderis, quid Majorum traditio, quid Christiana te omnis antiquitas doceat.

§. IV.

Ostenditur idem ex doctrina Patrum.

I. Repetantur igitur primo omnes ii Ecclesiæ Patres, quorum supra ac per decursum relatæ sunt a nobis sententiæ, quique *petram* Simonem Petrum interpretati omnes sunt, & *super hanc petram* Ecclesiam esse fundatam dixerunt: nam ex singulis intelliges, eximium eos quiddam in Petrum, non vero larvam aliquam Primatus collatam putavisse. Dein his

 nomi-

nominum, queis Petrum ornant, amplitudinem atque præſtantiam adde. Ut cum *verticem ac principem Apoſtolorum* Cyrillus *Hieroſolymitanus* eum vocat; cum ἐκκριτον *eximium & præcellentem* Basilius; Chrysostomus κορυφαιον παντων, *omnium verticem:* ἡγουμενον των ἁγιων μαθητων, κορυφαιον των μαθητων, ἐξαρχον των Αποςολων, *principem, ducem, exarchum ſanctorum Diſcipulorum & Apoſtolorum* Cyrillus *Alexandrinus*, Proclus & Isidorus Pelusiota. Atque iterum Chrysostomus καθηγητην των Αποςολων, ἀρχην της ὀρθοδοξιας, μεγαν της ἐκκλησιας ἱεροφαντην, της οἰκουμενικης ἁπασης διδασκαλον, magiſtrum Apoſtolorum, *caput* atque *initium orthodoxæ fidei, ſummum Eccleſiæ* Pontificem, *terrarum univerſi orbis præceptorem.*(70)Ab aliis ἀρχιποιμην vel ποιμεναρχης S. Petrus adpellatur, quæ vox principem omnium paſtorum ſignificat, & eſt Christo alioquin tributa a S. Paulo. (70)

Jam ex Latinis (prætereo enim græcos innumeros, quos per decurſum hujus operis citabo) quotumquemque mihi Adverſarius dabit, qui non ſimili honorificentia vocabulorum S. Petrum ſit proſecutus? Quærat ac proferat: nolo enim moleſtior Lectori meo accidere: Sed contentus his ero, atque Caſſianum tantummodo addam, qui in tertio de Incarnatione libro cap. XII, *interrogemus*, inquit, *ſummum illum & inter diſcipulos diſcipulum, & inter Magiſtros Magiſtrum, qui Romanæ Eccleſiæ gubernaculum regens, ſicut fidei habuit, ita & Sacerdotii principatum.*

Atque hic me ad communem imprimis ſenſum hominum converto, ac volo dici mihi, quæ ſit vocibus iſtis atque nominum iſtorum Majeſtati in humana republica tributa ſignificatio? Equidem ſic plane exiſtimo, ne audiri quidem illa poſſe, quin ſublime quiddam ſtatim ſuccurrat atque magnificum, neque unquam mihi perſuaſerim, Monitorem aliquem inter plures æquales, cujuſmodi a Febronio Eccleſiæ Primas nobis deſcribitur, *caput, verticem, ducem* atque *principem* adpellari poſſe cæterorum, minus reliqua in talem convenire poſſe, quæ ſunt a priſcis uſurpata Patribus Eccleſiæ, & in ſanctum Petrum magnis ſtudiis adcumulata.

Quanquam non ego is eſſe volo, qui ſola vocum ponderatione rem momenti graviſſimi libraſſe videar. Eſto, non ſit ſumma ſemper in appen-

(70) Cyrillus *Hieroſ.* Catech. 2. pag. Basil. L. I. de Baptiſ. pag. 655. Chrysost. hom. 38. in 1. ad Corin. Cyrill. *Alexand.* epiſ. 8. Proclus Orat. VIII. Isidor. *Peluſ.* Lib. I. epiſ. 356. Chrysostomus iterum hom. in Ss. *Pet.* & *Paul.* Tom. VI. p. 315.

pendendis illis religio: ajo, hoc præterea inesse illis encomiis, quod ex scripturarum sint oraculis nata; iidemque, a quibus collata sunt in S. Petrum, ad pollicitationes illas amplissimas Petro factas, & Evangelicæ narrationis summam respexerint. Faciamus nunc, vera esse, quæ Spalatensis Apostata, Febroniusque & contubernales ejus scribunt. Quid fiet? Etenim si illos audiamus, nihil solidæ eminentisque rei ac potestatis accepit Petrus, sed ad omnes Christus respectum ex æquo habuit, sive tum, quando Petrum adpellavit, Ecclesiamque fundare super eum se dixit, sive quando Claves pollicitus est Regni Cælorum, sive denique, quando ovium agnorumque curam præ omnibus aliis ei demandavit. Quod itaque reliquum fit Petro, nihil est, præterquam sonus fluens ille ac minime consistens verborum Christi; partimque hoc, quod unum est adlocutus, quo concordiam atque pacem commendaret, partim vacua & efficientiæ expers adpellatio, qua non procuraret ille quidem firmitatem Ecclesiæ; sed portenderet tantum & instar signi cujusdam arbitrarii signaret Quid autem? tantane hæc, ut *principatum habere fidei ac sacerdotii dici debeat*? ut *princeps*, *vertex*, *atque caput* cæterorum, ut *Pontifex summus*, ut *magister magistrorum* nominari? Ego vero vanissima hæc fore puto ac plane ridicula: prorsus ut siquis filium Isaiæ domitorem Damasci ac Samariæ & liberatorem Judaici populi propterea adpellandum existimaret, quod hæc ille eventa, injecto divinitus nomine *Maher schalal* instar typi cujusdam ac signi portenderit.

II. Et funditur latissime quidem hæc ratio, imbuitque cæteras etiam sententias, quæ magno numero ex sanctis Patribus adferri possunt. Ex his alii singulare a Christo præmium datum Petro scripserunt. Ut Hilarius, qui quod fide Petrus præstaret, *supereminentem* a Christo gloriam promeruisse dicit. Quod & Cyrillus adfirmat in IV. de Trinitate libro, ac Leo Magnus, Optatus, Auctor sermonis XLVII. apud Ambrosium, Rabanus, passimque cæteri. (71) Alii καθ' ἐξοχὴν, id est, secundum excellentiam accepisse *Claves* adserunt, & *pastorem* factum, velut Hilarius iterum, qui in Psalmum CXXXI. quanto mortis desiderio Christus flagrarit, ex eo probat, quod ne Petro quidem, impedire se ab il-

 la-

(71) Lib. V. de Trin. Pag. 63. Leo. M. epis. V. ad Epis. per Illyricum: *Apostolicæ dignitatis Beatissimo Apostolo Petro Primatum, fidei suæ remuneratione commisit, universalem Ecclesiam in fundamenti ipsius soliditate constituens* &c. Optatus Lib. VII. advers. Parmenianum. pag. 190. seq. Rabanus Commen. ad *Tibi dabo Claves.*

la cum vellet, pepercerit, ſed convicio ſathanæ nuncuparit. *Petrum*, inquit, *cui ſuperius claves regni cælorum dederat; ſuper quem Eccleſiam ædificaturus erat; Petrum primum filii Dei confeſſorem, Eccleſiæ fundamentum, cæleſtis regni janitorem, & in terreno judicio judicem cæli.* (72) Atque ſic etiam BASILIUS Magnus in eo libro, qui de judicio Dei inſcribitur: *Ille B. Petrus, qui & cæteris antelatus diſcipulis fuit, cuique magnificentius quam reliquis omnibus datum teſtimonium eſt, magisque quam reliqui omnes beatus appellatus, cui Claves regni cæleſtis commiſit.* Sed pulcherrime PETRUS DAMIANI: *Cum*, inquit, *intueor Petrum, quem ipſa manus Omnipotentis regni cæleſtis clavibus inveſtit; cui Pater revelat filii majeſtatem; ſuper quem fundatur Eccleſia; cui poteſtas ligandi & ſolvendi conceditur, qui cælos claudit & aperit, vehementer admiror &c.* (73)

EPIPHANIUS καθ᾽ ἐξοχην pariter, ſeu ſecundum excellentiam illud ſumpſit: *Paſce oves meas*, dum ita ſcripſit: Hic *eſt, qui audivit: paſce oves meas: cui concreditum eſt ovile.* (74) Sic & OPTATUS MILEVITANUS, cujus pervulgatum hoc eſt: PRÆFERRI *omnibus Apoſtolis meruit, & claves regni cælorum communicandas cæteris* SOLUS *accepit.* (75) Ubi tametſi & cæteris ſuo quodam modo communicandas fuiſſe Claves dicat: principaliter tamen, proprioque ac peculiari quodam modo fuiſſe PETRO pronuntiat datas. Sed de illo nos loco alibi.

CHRYSOSTOMUS item: *quem toti terrarum Orbi præfecit Petrum; cui Claves cælorum dedit, cujus arbitrio & poteſtati cuncta permiſit.* (76)

Ac V. BEDA: PETRUS SPECIALITER *claves regni cælorum*, & PRINCIPATUM *judiciariæ poteſtatis accepit.* (77) Quæ etiam verba HINCMARUS REMENSIS tranſcripſit ac ſua fecit in epiſtola XXXIII. ad nepotem HINCMARUM *Laudunenſem.* Tandem ut ex antiquiſſimis unum proferam, ita ORIGENES: PETRO *cum ſumma rerum de paſcendis ovibus traderetur; nullius alterius virtutis confeſſio, niſi Charitas ab eo exigitur.* (78) Sed inſtar omnium *Rituales* Eccleſiarum libri eſſe poſſunt. Hi enim non unius tantum

(72) HIL. in Pſal. CXXXI.
(73) BASILIUS Proemio de judicio Dei N. VII. pag. 221. Tom. II.
(74) In Ancorato. p. 15.
(75) OPTAT. l. c.
(76) CHRYS. Hom. de Ignat. Martyre. T. I. p. 567.
(77) BEDA in Homil. de Ss. Petro & Paulo.
(78) ORIGENES in Cap. 6. epiſt. ad Rom. Lib. V. circa finem.

tum ſunt hominis, verum tot, quot Eccleſiam aliquam Chriſtianorum conſtituunt; tum vetuſtatem ac diuturnitatem communis fidei, velut facta heroum columnæ ac ſtatuæ, ab oblivione vindicant traduntque poſteris. Loquor de iis autem hic libris, quibus pænitentes reconciliandi abſolvendique formulæ in diverſis olim Eccleſiis uſitatæ deſcribuntur: quarum ex omnibus non niſi unam obſervare mihi hactenus licuit, in qua ſiquidem mentio Judiciariæ a Chriſto traditæ poteſtatis fiat, non fiat Petri etiam nominatim, iisque verbis, quæ ἐξοχὴν, id eſt, excellentiam in eodem illo genere poteſtatis neceſſario ſignificent. Certe conſtantiſſima perpetuaque hæc fere formula eſt: *Abſolvimus vice B. Petri Apoſtolorum principis, cui Dominus poteſtatem ligandi atque ſolvendi dedit.* (79)

Univerſe tam ſunt magnifica in rem eam a veteribus conſignata literis quam plurima, ut qui excellentem ac plane eximiam in iis poteſtatem collatam Petro videre ſe neget: tametſi Deum ac ſuperos teſtes faciat, crediturus nunquam illi ſim. Niſi forte hoc una addat, ſe cæcum ac ſtupidum eſſe, ac neque videre, neque intelligere quicquam poſſe.

Sic quale eſt, quod contra Salmasium ſcribens Petavius in ſancto Chrysostomo obſervat? Conſtantinopolitanus cum eſſet Epiſcopus, poſtquam in Synodo ſecunda ibidem celebrata, proximus poſt Romam veterem locus Sedi illi conſtitutus eſſet; ut quod recentiores poſtea fecerunt Patriarchæ, parcius indulgere ipſum Romani Pontificis dignitati ac primatui Petri, conſentaneum videretur, quo prærogativam honoris nuper acceptam defenderet: illum tamen majore veritatis, quam ejus, quod ſua referret, ſtudio ductum, Petri principatum luculento teſtimonio adſtruxiſſe Homilia tertia in Actus Apoſtolorum, cum de Mathiæ ſortitione ageret. Quærit vero iſtic Chrysostomus, cur præ cæteris Petrus ſatagat, & de ſubrogando aliquo in Judæ locum ſolicitus ſit? ac ſibi ita reſpondet: *Quod fervido eſſet ingenio*, ET QUOD GREGIS EI COMMISSA CURA FUERAT. Ac paulo poſt: *Quid igitur? nonne Petrus ipſemet eligere poterat? Poterat quidem, ſed hoc non fecit, ne gratiæ deferre aliquid videretur.* Poterat itaque ſolus per ſeſe Petrus, quem vellet, ſucceſſorem deſignare Apoſtolatus; & eo hoc nomine, quod curam gregis præ aliis illi Dominus demandaſſet. Hæc Chrysostomi eſt ſententia. Quem qui nominat, virum maximum atque doctiſſimum, & gentis alioquin æmulæ & inflatæ Epiſcopum ac Patriarcham nominat. (80)

Idem

(79) Vide Morinum in appendice ad volumen, quod de pœnitentia conſcripſit. Martenium de antiquis Eccleſiæ ritibus Tomo II. paginis 42. 46. 49. *Quod B. Apoſtolo &*

Idem alibi Chryſoſtomus quæſtionem movet, cur antiquiſſimæ celeberrimæque tot a peractis myſteriis Jeroſolymitanæ Eccleſiæ non magis Petrus, quam Jacobus præſederit? Ac reſpondet, Jacobum quidem huic Eccleſiæ, ſed Petrum terrarum orbi fuiſſe præpoſitum. At vero certe ſi Evangelii procurandi prædicandique ſpectetur ratio atque auctoritas; non erat Petrus magis, quam Jacobus terrarum orbi præpoſitus. Id igitur, quo Petrus magis, quam Jacobus terrarum orbi præpoſitus fuit, ſingulare quiddam ſit oportet.

Et quid AUGUSTINO FEBRONIANI facient? ſunt enim iſta illius in eo, quem contra FAUSTUM *Manichæum* ſcripſit libro: *Quid incongruum, ſi* PETRUS *poſt hoc peccatum factus eſt Paſtor Eccleſiæ, ſicut* MOYSES *poſt percuſſum Ægyptium factus eſt Paſtor Synagogæ?* MOYSES an in ſignum figuramque ſterilem adſumptus duntaxat fuit? Nihil ille præcipuum, nihil excellens eſt conſecutus? —— Similis, immo eadem MACARII ſcriptoris græci & antiquiſſimi ſententia eſt, PETRUM MOYSI ſucceſſiſſe, & Eccleſiam novam, quæ CHRISTI eſt, cum vero ſacerdotio regendam & adminiſtrandam ſuſcepiſſe. (81.)

Nec THEOPHYLACTI græci ſcriptoris, atque adeo Schiſmatici doctrina a veterum traditione Doctorum hac parte eſt diſcrepans. Videtur enim S. CHRYSOSTOMUM feciſſe ſuum: nam in Joannis caput ultimum commentans, *cum*, inquit, *prandendi finem Chriſtus feciſſet, totius orbis ovium præfecturam Petro committit: non autem alteri, ſed huic tradit: primum quidem, quia omnibus præcellebat.* (82.)

Quid autem Sergius Epiſcopus Cypri? *Tu es*, inquit, *ſicut divinum veraciter pronuntiat verbum, Petrus, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ confirmatæ ſunt: tibi & claves commiſit, atque ligare & ſolvere* κατ' ἐξȣσιαν POTESTATIVE *quæ in terra & in cælis ſunt, promulgavit.* (83)

Infini-

Principi Apoſtolatus noſtri ligandi atque ſolvendi Pontificium tradidiſti. Pontificale Anglicanum Monaſterii Gemmeticenſis ante annos circiter nongentos ſeptuaginta. Pag. 64. 65. 66. 67. in Ordine Eccleſiæ Ebroicenſis: *Qui etiam ſpecialiter B. Petro Apoſtolorum Principi ligandi atque ſolvendi &c.* & ſic deinceps.

(80) PETAVIUS de Hierarch. Eccleſiæ Lib. III. Cap. VII. §. X.

(81) AUGUSTIN. Lib. 22. contra FAUSTUM Cap. 70. Tom. VII.

(82) In Caput ultim. Joann. Confer Hom. Chryſ. in Cap. ult. Joan.

(83) Tom. III. Hard. Col. 730.

Infinitus ſim, ſi quæ ab aliis in eandem conſignata ſententiam fuerunt, proferre velim. Quamobrem duobus claudam hunc locum: quos ut a Febronianis dentibus, contumeliaque præſtare poſſim, minime vereor, quoniam ambos etiam Græci in ſanctiſſimorum Pontificum numero habent, & infinitis laudibus tota antiquitas eos celebravit. Sic Leo Magnus in ſermone tertio de adſumptione ſua: *De toto mundo unus* Petrus *eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctisque Eccleſiæ Patribus præponatur. Ut quamvis in populo Dei multi ſacerdotes ſint, multique paſtores: omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus.* (84) Quæ verba etiam Odo *Cluniacenſis* adoptavit, & in ſermones ſuos tranſtulit.

Dein Gregorius, & ipſe Magnus cognomento, ac ſubmiſiſſimi vir ingenii: *Cunctis*, ait, *Evangelium ſcientibus liquet, quod voce Dominica ſancto & omnium Apoſtolorum* Petro *principi totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippe dicitur: Petre amas me? paſce oves meas.* Et poſt quædam: *Cura ei totius Eccleſiæ & principatus committitur.* (85) Atque hæc ſufficere in præſens poſſunt ad os homini conſuendum ſociisque ejus: a quibus ſi rationem poſcas eorum, quæ garriunt ac perſtrepunt; nihil concinni audies, nihil aptum, nihil ſolidum: ſed quaſi fato quodam ſuo ad antiquas ineptias ſemper revolvuntur; non tam ut quicquam agere, quam nihil dicendo turbare voluiſſe videantur.

§. V.

Reſpondetur ratiunculis a Febronio corraſis.

I. Tale eſt illud, quod de *fundamenti* adpellatione objiciunt: eſſe Christum videlicet *fundamentum* Eccleſiæ ſuæ; hunc *lapidem angularem*; hunc *caput eſſentiale.* Idem enim cum Claudius Salmasius objeciſſet, homo Epiſcopalis non minus, quam Pontificii inimicus & hoſtis nominis: reſponſum ſic ei fuit a magno Petavio in tertio de Eccleſiaſtica Hierarchia libro: *tritam & obſoletam eam eſſe ratiunculam, quam in Puritanis conventiculis opifices ac ſellularii elatrare ſoleant.* Tum exemplo Moy-

 sis

(84) Serm. III. in Anniverſ. pag. 3.
(85) Lib. V. Epiſ. XX. ad Mauritium Aug. pag. 748.

sis ita hominem repellit: " Moses certe universo Israelitarum populo &
" Ecclesiæ Dei, id est, synagogæ tanta auctoritate præerat; ut etiam Dei
" titulo Deus ipsemet eum honestaret, & ad veri præpotentisque simili-
" tudinem Prophetam illi fratrem suum assignaret Aaronem: Neque ta-
" men suis, ut ita dicam auspiciis rem illius populi gerebat: sed vicaria
" præfectura fungebatur, cum esset Judaica πολιτεια, ut ait Josephus,
" θεοκρατια quædam, quod genus in humana gubernatione inauditum
" hactenus fuerat. Quocirca licet caput esset, pastorque populi ac prin-
" ceps Moyses; nihil hoc tamen obstabat, quo minus summus eidem præ-
" esset populo, adeoque Mosi ipsimet & Aaroni, & aliis utrique subje-
" ctis curatoribus moderator ac princeps Deus: eo quod diversi sint or-
" dinis ambo illi principatus, nec se invicem excludant. „

Ad eundem itaque modum in Ecclesia Christi, quæ & ipsa θεοκρατια quædam est, & in qua Petrum Moysi suffectum vidimus, res habet se. Et huc Augustinum spectasse adserit vir doctissimus, in Tractatu ad Psalmum LXXXVI, ubi declarat, qua ratione Apostoli & Prophetæ fundamenta dicantur, cum sit *fundamentum* Ecclesiæ Christus, præter quod *nemo aliud potest ponere. Quomodo putamus*, ait ille, *nisi quemadmodum aperte dicitur sanctus sanctorum; sic figurate fundamentum fundamentorum? si ergo Sacramenta cogites;* Christus *sanctus sanctorum: si gregem subditum cogites;* Christus *pastor pastorum: si fabricam cogites;* Christus *fundamentum fundamentorum.*

Et adversus hæc languidi sunt, inquit Petavius, irritique conatus omnes & impetus Messalini Cathari

Velut in somnis, oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequidquam avidos extendere cursus
Velle videmur: & in mediis conatibus ægri
Succidimus: nec lingua valet: non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur.

II. Quæ nos eadem Justino Febronio magnis literis adscripta volumus. Non enim minus ille, quam iste Claudius sudavit dormiens: ut cum ita subjunxit: Christus *est unicum & primarium fundamentum suæ Ecclesiæ. Et si* Petrus *dicatur secundum, & ministeriale fundamentum, debebit & tantundem asseri de aliis Apostolis.* Id quod ex Origenis probat verbis illis super Matthæum: *Petra enim est quilibet Christi Discipulus,*

&

& super talem petram construitur omnis Ecclesiastica doctrina. Quodsi super illum unum Petrum tantum existimas ædificari totam Ecclesiam; quid dicturus es de Joanne filio tonitrui & Apostolorum unoquoque? Nec minus tum, cum ex Jansenista se suo defendens, *Non*, inquit, *diffiteor, verba*, Tu es Petrus, *a quibusdam Patribus ipsi Petro fuisse adscripta; verum iidem Patres & alii eandem prærogativam nulli Collegarum ejus denegarunt.* Quorum in censum præter Origenem, Tertullianum insuper, & Hilarium, Hieronymum, Cyrillumque, ac Nicolaum ipsum summum Pontificem referendos monet: nam eos omnes fundamenta etiam Apostolos reliquos esse atque dici oportere, scripsisse. (86)

Scilicet hoc viro probandum erat, Apostolos Ecclesiæ fundamenta esse? Negaverat illi hoc aliquis? Immo nimis perspicua sunt, quæ Paulus ad Ephesios scripsit: *Estis cives sanctorum & domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide* Christo *JESU.* Quorum est iste sensus verborum: Christum utramque colligare Ecclesiam, & Apostolos, atque Prophetas & inter sese, & in se ipso connectere: quod Prophetæ quidem adventurum illum, Judaico populo prædixerint; Apostoli vero advenisse & salutem adferre mundo, inter gentes annuntient. Quo fiat, ut quasi bifariam excurrente, & in unum concurrente summum lapidem fundamento, Civitas una ex duabus existat, cujus cives & incolæ sint Ephesii. Hac ego nihil illustrius unquam Divi Pauli sententia quæsierim. Sed quod inde conficiunt homines acuti, Petrum eodem cum aliis Apostolis censum loco esse, nihilque propriæ, nihil præcipuæ sortitum a Christo potestatis: id vero non possum dicere, quam joculare sit. Quasi quoniam omnes Evangelium annuntiarunt, & Ecclesiæ fundamenta prædicando, docendoque jecerunt, ideo præcipuus inter eos nemo, nemo summus esse potuerit?

Deinde quod Origenem objicit, quid sibi vult? Omnes enim ille Christianos; non solos Apostolos esse petras dicit, ac *super quemlibet Christi discipulum* Ecclesiasticam doctrinam construi: quid igitur? Intelligetne ut sapiens? Nam si fundamentum Christiani omnes sunt; quæ igitur civitas erit? non enim civitas esse, aut domus ulla sine parietibus potest. Itaque non naturalem ac proprium, sed accommodatitium, ut ajunt, sensum sectatus hoc est loco Origenes: id quod est perfrequens huic Scriptori, atque aliis etiam Ecclesiæ Patribus, cum ad hominum mores informandos Scripturam admovent.

(86) Addit Nicolaum de Cusa: sed de hoc nos in 2. parte libri hujus.

III. Inter cæteros Chrysostomus, & Auctor *Constitutionum Monasticarum* nominari possunt: quem cum utrumque Febronius objicit, atque alterum Basilium esse dicit; facit imperite rursum: non enim Basilii Constitutiones illæ sunt. Audiamus interim. Chrysostomus ad Christi verba illa: *Amas me Petre? Pasce oves meas*, commentatur hoc modo: *Quod non ad Sacerdotes solummodo dictum est; verum etiam ad singulos nostrum, quibus vel minimus grex commissus esse videtur.* Auctor *Constitutionum* vero: *Hæc a Christo ipso docemur, dum Petrum Ecclesiæ suæ pastorem post se constituit. Petre amas me plus his? Pasce oves meas. Et omnibus præterea pastoribus ac magistris eandem tribuit potestatem.*

Sed hæc ipsa cum intentaret nobis Adversarius; ubi erat, obsecro, aut quorsum spectabat? Ergo patres, matresque familias, & gubernatorem in navi, & in exercitu ducem, & in scholis magistrum Episcopos ille totidem faciet? Id enim ex Chrysostomi commentario, si temere, & illotis manibus tractetur, necesse est consequi. —— *Constitutionum* quoque auctor Cœnobitas ibidem ac toto isto in libro adloquitur, & ad obedientiam format. Itaque varia ad eum finem ex veteris ac novi Testamenti libris cum adtulisset; ad *Joannis* postremo delapsus locum illum, præfectos, qualescunque ii demum sunt, qui in commune viventibus præsunt, in Apostolici partem muneris advocare non dubitavit, solvendi, ligandique pari adserens potestate præditos. *Hujus*, inquit, *rei signum est, quod omnes similiter, velut ille* (Petrus videlicet: nam de hoc loquitur) *ligent ac solvant.* Quid porro? Ligandi, solvendique non auctoritas ac potestas alia concessa Petro & Apostolis fuit, quam cujusmodi Archimandritæ in suos Monachos competit? Apage! quid enim absurdius, abhorrensque magis a fidelium communi sensu, quam Archimandritam sui jam hoc ipso cœtus, aut patrem familias suæ familiæ esse Episcopum, id est, curationem obtinere rerum Ecclesiasticarum, eadem cum Episcopis potestate, eodem magisterio, eadem auctoritate; sic, ut sola gregum magnitudine aut parvitate distent? Quodsi sapit igitur *Jurisconsultus*; admittet, quod in ipso limine sacrarum Literarum tironibus dicimus: Patres non quæ κατα 'ρητον ac per sese vis insit verbis, semper attendere; nec item, quid primario ac sæpe unice spiritus sanctus, aut qui protulit ea, Christus Dominus spectaverit: sed in aliena nonnunquam distrahere: ac cum sit varia scripturam interpretandi ratio, tum ea comprimis delectari quosdam solitos, qua ad mores bene ordinandos vix non invitus aliquando scripturæ locus pertrahitur. Atque ita Chrysostomus in Commentarii illa parte, quæ objicitur, fecit, & præceptor quisquis demum rei monasticæ.

Nam

Nam cum Chriſtiano ſit cujusvis *mandatum de proximo*; atque aliis quidem, velut parentibus natura ipſa, aliis leges & inſtituta Majorum particulam, ut ſic loquar, aliquam Apoſtolici muneris, quam imitentur, & adumbrent in ſeſe, & inter ſuos, commiſerit: heinc quæ ſunt PETRO dicta præcipue, ad alios quoſvis, pro captu tamen uniuſcujuſque ac modulo transferenda eſſe putaverunt: pares autem ut PETRO facerent, cogitatum ab illis nunquam fuit; nunquam in mentem tam abſurda res aliis, quam hæreticis, & qui veſtigia eorum preſſit, JUSTINO FEBRONIO ſubiit. Nam ILLE Democraticum Eccleſiæ regimen commentus eſt: ILLE neque Pontifici, neque Epiſcopis, ſed multitudini ex Clero conſtanti ac populo, depoſitum commiſit orthodoxæ fidei. Mirum igitur non eſt, ſi quod innoxie & ab ſecuris ſuarum rerum quibuſdam Patribus ſcriptum fuit, hoc ad fucum ipſe faciendum lectori & ad colorem aſpergendum hæreſi ſuæ traduxerit.

Quanquam ſi vel aliquantulum fuiſſet ſecum; in eodem quem citat, *Conſtitutionum Monaſticarum* loco vidiſſet, quantum Auctor Divo PETRO detulerit. Hunc enim diſerte *Vicarium* fuiſſe CHRISTI adfiirmat iis verbis: *Petrum Eccleſiæ ſuæ paſtorem poſt ſe conſtituit. Poſt ſe, & Eccleſiæ ſuæ paſtorem, &* PETRUM *quem conſtituit:* quid abſolute, præciſeque ſic iſta poſita ex hominum communi ſenſu ac uſu ſignificant? Nonne ἐξοχὴν & excellentiam, proprietatemque hujus, ut ſic loquar, muneris ac poteſtatis? PETRUS excellenti igitur & quadam propria ſibi ac peculiari ratione paſtor Eccleſiæ poſt Chriſtum fuit ex mente præceptoris illius.

IV. At enim inſtant: Paſtores ſaltem & Epiſcopi æqualem cum Petro paſtionem ovium ſortiti ſunt. Quid ita vero? AMBROSII, inquiunt, eſt talis ſententia in libro de dignitate Sacerdotali: *Repetitum eſt ter a Domino: Paſce oves meas. Et quas oves, quem grégem tunc Beatus ſuſcepit Petrus? Sed & nobiſcum eas ſuſcepit, & cum eo illas nos ſuſcepimus omnes.*

Si heic iterum monerem, non eſſe librum illum AMBROSII; facerem pro jure meo ſed connivebo. Quæro hoc: an Presbyterum unumquemque aut Parochum, æqualem Epiſcopo FEBRONIUS faciat? Equidem quis doctrinæ ejūs ſit nexus, ſcio, eſtque jam a me ſupra demonſtratum, in anathematis a Tridentina ſynodo vibrati cenſuram, velut in aciem ac mucronem lethiferum, prudentem imprudentemve eum incurriſſe. Sed volo diſerte nunc affirmateque dicat, an & animo revera ſic ſentiat? Quodſi non illud audet, quamdiu nomen retinet hominis catholici; nonne jam evidens rurſum eſt, haud impure ac ruſtice capienda eſſe verba qualiscunque iſtius AMBROSII ſed unius cujusque accommodanda ſtatui ea eſſe; ut ali-

ter quidem Parochis & secundi ordinis sacerdotibus, aliter Episcopis, atque Apostolis, tum his iterum aliter quam PETRO conveniant, cui præ cæteris, & excellenti quadam ratione administratio, pascendique ac regendi munus fuit mandatum?

Et quousque fatigabit nos quæso, suis insomniis? *Non* SOLUS *Petrus pascere oves meruit:* video typum; sed mirari jam desii. Hoc AUGUSTINUS dicit: audio. Sed quid tum præterea? Quasi aut tam nos insani simus, ut dubitemus, aut tam impudentes, ut inficiemur? Immovero cum *ἀρχιποιμενα*, aut *Pastorum principem* adpellari PETRUM ab antiquis dicimus; nonne multos esse Pastores dicimus? Quorum enim Pastorum primus esset, si solus esset? Ac ne in hoc quidem morosi sumus, ut quod uni alioquin dictum PETRO est: *agnos & oves pascat;* ex obliquo & tanquam ex consequenti dictum aliis esse non patiamur. Sic enim comparatæ res sunt, ut qui curam regni sui committit pluribus, siquidem unum tamen inter omnes designet, in quem tanquam in caput, centrumque ac communem ducem contueri reliquos velit: quod isti uni, idem omnibus censeatur dicere. Atque hoc est, quod AUGUSTINUS commendatum voluit. Subjicit enim: *sed quando Christus ad unum loquitur, unitas commendatur: & Petro primitus, quia in Apostolis est primus.* Quo etiam sensu claves *Ecclesiæ* in PETRO datas scribit alibi. De Primatu autem tam præclara passim libris suis adspergit, ut qui ad umbratilem pompam ea detorquent, malitiose faciant. Sic in secundo libro contra Donatistas: *Nos,* inquit, *in scripturis sacris didicimus, Apostolum Petrum, in quo Primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet.* (87) Et in primo capite ejusdem libri: *Quis enim nescit, illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatui esse præferendum.* Tum alibi: *Tenet me in Catholica Ecclesia ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem suam Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum.* (88)

V. Ac sunt hæc, quæ objiciuntur præcipua: Quod enim CYPRIANUM, HIERONYMUMque contra nos excitant FEBRONIUS, & sodalis ejus Jansenista Batavus, sentient alibi, quam incaute fecerint. Quod autem scripturarum etiam sententiis abutuntur, id quidem pervetus hæreticorum est crimen. Horum enim quotusquisque non in ore hæc habuit, PETRUM fratrem, aut *συμπρεσβυτερον* fuisse Apostolorum; fuisse missum ab Collegis suis ad Samaritas; reprehensum fuisse a PAULO; cumque

(87) Lib. II. contra Donatist. Cap. I. pag. 65. Tom. IX.
(88) Psal. contra partem Donati.

orta de principatu eſſet inter Apoſtolos contentio, non dixiſſe CHRISTUM, tametſi poſſet, decuiſſetque dici quam maxime, eſſe PETRUM a ſe prælatum, Primatemque & Eccleſiæ caput renuntiatum? Quæ quidem omnia & leviſſima ſunt & obſoleta, pauciſſimiſque ſic poſſunt confici. Primum quid eſt, quod inter fratres eſſe major nullus dignitate, curatione & auctoritate poſſit? Atqui & CHRISTUS Apoſtolos fratres ſuos poſt reſurrectionem ſuam dixit. Et primis Chriſtianis cum Apoſtoli ſcriberent, eos fratres ſuos nominaverunt. Quid? quod Presbyteros tametſi gradu inferiores ſe ac ſibi obnoxios ſæpe fratres, etiam Epiſcopi deinceps adpellaverunt? Ergo hoc quidem ad nænias. Nec minus alterum, quod de *miſſione* additur. Eſt enim exemplis commonſtratum, Orientales *mittendi* uti vocabulo, cum itionem communi conſilio, ſuaſu, hortatu, atque etiam precibus ſuſceptam ſignificant. Quo modo qui Antiochiæ erant, Fideles PAULUM atque BARNABAM Hieroſolymam dicuntur miſiſſe: (89) atque Phineen principem ſuum Iſraelitæ (90) rurſumque, ut eſt auctor Joſephus, Iſmaelem ſummum Pontificem. (91)

Sed reprehenſus eſt a PAULO PETRUS? Quid ſi negem? Equidem CEPHAM aliquem redargutum a PAULO fuiſſe lego, PETRUM non lego. Eſt autem certiſſimis argumentis opus, ut enerventur, quæ ſunt producta a nobis, tam clara, tamque perſpicua, ut obſcurari, implicarique nullis artibus, verborum nulla circuitione poſſint. Sed do, quod petitur. Nego Majorem a Minore, cum eſt opus, non poſſe redargui. Atque hoc CYPRIANUS ſumpſit, cum ita ſcribebat ad QUINTUM *Mauritaniæ* Epiſcopum: PETRUS, *quem Dominus primum elegit, ſuper quem fundavit Eccleſiam ſuam, dum Paulus cum eo diſceptavit de Circumciſione, nihil cum arrogantia præſumpſit, nec* Primatum *oſtentavit, ſibique a Junioribus Obedientiam deberi contendit.* Quem locum AUGUSTINUS in libro II. de Baptiſmo ad excuſandum CYPRIANUM adhibens: *Ecce*, ait, *commemorat S.* CYPRIANUS, *quod etiam nos in S. ſcripturis didicimus, Apoſtolum* PETRUM, *in quo Primatus* APOSTOLORUM TAM EXCELLENTE GRATIA PRÆEMINET, a POSTERIORE *Paulo fuiſſe correctum.* Atque fructum hujus correctionis idem hunc ſtatuit in epiſtola ad HIERONYMUM: *ut non dedignarentur, qui a recto tramite receſſiſſent, a poſterioribus corrigi, & confidenter auderent* MINORES MAJORIBUS *pro defendenda Evangelica auctoritate ſalva fraterna Charitate reſiſtere.* Sed nihil eſt, cur inhærendum pluribus huic rei putem. Quis enim interpres, quis ſcriptor polemicus non eam pertractavit? non exhauſit?

Sed

(89) Actor. XV. (90) Joſue. XXII. (91) Lib. 20. Antiq. Judaicarum C. 7. vid. Baron. ad an. 35. N. XI.

At contenderunt de Primatu Apoſtoli? Scio. Sed quid ſi ideo, quod PETRUM ſibi eſſe a CHRISTO præpoſitum animadverterint? " Deinde etiamſi non " intellexiſſent, inquit MAMMACCIUS, quæ dicta tunc de PETRI principatu " tam clare, tam dilucide, tam explicate, tam multis denique verbis a " CHRISTO fuerant, an eorum idcirco non fuit PETRUS conſtitutus a CHRI- " STO princeps? Id qui concedi ſibi volunt, concedant item neceſſe eſt, " nihil fuiſſe a CHRISTO, antequam reſurrexiſſet, de ſuo reditu ad vitam " prædictum; propterea quod ſcriptum ab Joanne de Apoſtolis fuerit: " *Nondum ſciebant ſcripturam, quia oportebat eum a mortuis reſurgere.* " Neque vero negavit CHRISTUS aliquem ab ſe fuiſſe dictum principem il- " lorum, cum eſt inter eos orta de principatu contentio. Immo eſſe ali- " quem eorum primum, atque hunc non regio ſupercilio, ſed ut mini- " ſtrum, in Eccleſia verſari oportere ſtatuit. Quod ſiquis roget, cur non " palam, cum inter ſe Apoſtoli de principatu altercarentur, adfirmarit, " traditam a ſe PETRO regendæ Eccleſiæ poteſtatem eſſe, is caveat, ne " CHRISTO adimat divinitatem. Nam cum Chriſtus dixiſſet: *Ego & " Pater unum ſumus*, eamque ob rem judæorum in ſe iram concitaſſet, " addidiſſetque: *Multa bona opera oſtendi vobis, propter quod eorum me la- " pidatis*, atque illi reſpondiſſent: *de bono opere non lapidamus te, ſed de " blaſphemia, & quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum*: cur non " explicate palamque dixit, ſe Deum eſſe eadem natura, qua Pater eſt " Deus, ſed exemplum attulit Prophetarum, qui in ſcripturis interdum " appellantur dii? Quodſi dicant adverſarii, id quod debent omnino " dicere, actum a CHRISTO œconomia quadam fuiſſe; at non negatum, " ſe ipſum eſſe Deum; extare vero diſertiſſima ſacrarum Scripturarum " loca, quibus CHRISTI divinitas demonſtretur: ſciant nos eodem modo " de PETRO dicturos. (92) Et hæc hactenus.

(92) Tom. V. pag. 327.



CAPUT III.

CAPUT III.

CONSTITUTO PRIMATU PETRI, QUÆRITUR, INQUO ILLE SIT POSITUS?

Tota ſuperioris diſputatione capitis actum illud eſt, ut Primatum eſſe aliquem ſciremus a JESU Chriſto tributum PETRO: non umbratilem, neque in honoris aut vacui nominis hærentem larva, nec diffluentem cum ſono: ſed Primatum eminentis ac ſolidæ prærogativæ cujuſdam ac poteſtatis. Hujus informanda nunc rei & enucleanda preſſius eſt ratio: videndumque, quo ſit bono Primatus ille inſtitutus? perpetuuſne ſit idem ac ſtabilis ex voluntate inſtitutoque Chriſti; an expirarit cum PETRO? tum quis illius hæres ſucceſſorque ſit ſcriptus? Hæc ſumma Capitis eſt.

ARTICULUS I.

OSTENDITUR PROPOSITIO FUNDAMENTALIS, ECCLESIAM CHRISTI STATUM ESSE, SACRAMQUE REMPUBLICAM.

§. I.

Quid PUFFENDORFIUS, quid JURIÆUS Calviniſta, quid alii Catholicæ hoſtes Eccleſiæ, tum quid FEBRONIUS & JANSENISTA *Anonymus* doceant, explicatur.

I. Ut a fundamentis rem ordiar; volo Lector in memoriam ſibi adducat, quod a Samuele PUFFENDORFIO conteſtatum ſignatumque eſt ſcripto (1) eſſe diſſidiorum videlicet, quæ Chriſtianorum inter ſe

 ani-

(1) *In libello de habitu religionis Chriſtianæ ad vitam civilem Edit. Bremenſ.* 1713. Cardo dogmatum, *inquit*, e quibus Chriſtianorum populorum intrinſeca tranquillitas, & unio magnam partem dependet, in eo vertitur, utrum Salvatori noſtro, dum viam

animos dividant, hoc quasi fastigium, & ex eo necti ac religari omnia, utrum Christus in modum *regni* cujusdam sacri suam Ecclesiam instituerit? Id si verum sit; si potestatem quampiam sacram introduxerit, quæ se sola stet, idoneaque sit separato formando *statui*; fatetur PUFFENDORFIUS, nullam causam esse potuisse faciendi divortii, neque *Protestantibus* magis jus fuisse discedendi a *Catholicis* quam sit subditis Jus, deficiendi ab rege suo, cum is minus ex æquo & bono rem publicam videtur gerere. Quo quidem pronuntiato nihil verius est. Sed negat ille Ecclesiam esse *statum*; veram societatem hominum æqualium esse pertendit, collegiaque totidem, quot sunt civilium rerumpublicarum principes, nullo ordinis, nullo subjectionis colligata inter se nexu, sed hoc uno nomine confœderata, quod Christum profiteantur & colant. Itaque & fidei unusquisque, si PUFFENDORFIO credimus, suæmet arbiter ac disceptator est, & eandem si diversam a professione Collegii sui esse compererit; migrare alio potest, Collegiumque deserere: id enim ex principiis fit illis consectaneum. Nulla vis, nullum imperium, nulla coercitionis est in Ecclesia potestas, sed suasione omnia peraguntur. Administratio denique rerum communium, quæque ad exteriorem spectant cultum & ordinem, partim in Principis, partim in Collegii sita sunt potestate. Quid multis? sunt Ecclesiæ, quod Academiæ in diversis regnis: nam nec illæ in statu statum faciunt, nec in Imperium communitatemque coeunt. Suæ sunt. Atque esto, in Neutonum, ut exemplo hoc utar, pactione

ad salutem mortalibus pandit, pariter introducere placuerit potestatem quampiam sacram, quæ idonea ac sufficiens sit, constituendo certo *statui a vulgaribus civitatibus separato*, & num unio eorum, queis eadem in Salvatorem fiducia, *in rempublicam* aliquam coalescere debeat ab illis civitatibus distinctam, quas institui securitas humani generis coegit. Si enim Numinis jussu ejusmodi regnum sacrorum fuit constituendum, quale ab iis, qui Episcopi Romani sectam sequuntur, obtenditur; in quo huic soli Divinitus commissa sunt imperandi arbitria; reliquis omnibus obsequii relicta est gloria, nec superest, quam ut duro quantumvis jugo, - - cervices iterum submittamus. - - - Nec amplius justam secedendi causam præbere poterunt corruptelæ; queis vel dogmata, vel mores temerati ab isto, arguuntur, non magis, quam civibus fas est, obsequium in Principes statim exuere, ubi hisce secus, quam par erat, in republica administrata appareant. Præsertim ubi illud æterna lege positum sit, ut extra regni istius sacri pomœria nemini salute potiri liceat. - - - Unde & ratio haud fugit eos, qui præsenti maxime tempore dominatum Episcopi Romani propugnant, quod *Ecclesiæ* vocabulum præcipue crepent, idque suæ sectæ unice competere contendant, reliquis omnibus hæreseos convicio, rebellionis notam impingant. *Hoc quippe solum ubi pervicerint*, *totam* causam obtinuerunt. - - Ad hanc igitur adversæ partis velut arcem subruendam, necessum est ad fundamenta regni sacrorum penetrare - - quæ si commentitia esse, demonstratum fuerit, *totam, quæ superstructa est molem, ultro corruere oportebit.*

ctione sese omnes obstringant: erit nomen hoc quidem illis commune, ut Neutoniani sint, atque dicantur; cæterum quo quæque modo sequendum sibi Neutonum putet, rationem nulla alteri tenetur reddere. Adhæc æqualium sunt eæ hominum societates: constant ex Auditoribus enim ac Magistris, estque in arbitrio singulorum positum, manere aut cedere velint. Tandem partim institutis suis reguntur, quæ ipsa pacta magis quam leges dici debent; partim Principis, in cujus ditione sunt, moderationi imperioque subsunt. Hæc ἀναλογια, hæc prora puppisque novi systematis.

II. Quanquam nec PUFFENDORFII est illud solius, neque novum prorsus, Scripsit enim & Claudius Calvinianus minister, *cujuscunque communionis homines, si Christiani sint, ad nomen* ECCLESIÆ *revocari posse, propterea quod generalis quædam sit omnium in Christo, Evangelioque ejus & vocatione ad illud conjunctio.* MESTRESATIUS item ejusdem Professionis præco in Tractatu, quem de Ecclesia edidit, *confæderationem quandam* invexit *omnium Christianorum*; ab eaque nullos præter Judæos & Mahumetanos exclusos voluit; ac ne eos quidem, qui fundamenta Christianæ fidei convellunt; ut sunt Ariani, Sociniani, Macedoniani, aut istorum similes sectarii. (2)

Sed hoc quidem posterius Jurieo temerarium visum est. Nec probare hanc ille voluit inverecundiam Collegæ sui: sed mitigandum hoc modo dedecus putavit; ut sit omnium quidem Ecclesia sectarum colluvies; verum earum tantum, quæ Trinitatis relinquunt, Redemptionisque saltem nostræ fidem incolumem. Cæteras ad Ecclesiam pertinere omnes asseruit. Atque ut ne dubitetur, in quo controversiæ cum Romanis Catholicis sit cardo positus; hunc perspicue sic ipse exponit: *Nos quidem*, inquit, *volumus, Catholicam & universalem Ecclesiam ex omnibus constare sectis, & in omnibus habere membra, quæ fundamenta Religionis Christianæ non destruunt: esto, dissideant cæteroquin, & sejuncti communione sint, atque anathematum se etiam fulminibus mutuo petant. Sed qui Romanam Ecclesiam sequuntur, ii contendunt, in una tantum, eaque ab omnibus separata nomen Ecclesiæ dignitatemque constare,* (3)

mm 2 Dein-

(2) De utroque hoc Præcone vid. Nicole in libro de l'Unité de l'Eglise pag. 4.

(3) Nous voulons, que l'Eglise Catholique & universelle soit répanduë dans toutes les sectes, & qu'elle ait de vrais membres dans toutes celles de ces sociétés, qui n'ont pas renversée le fondement de la religion Chretienne, fussent-elles en désunion

Deinde & a Jacobo Magnæ Britanniæ rege reſponſum ſic fuit Cardinali Perronio: *Eccleſiam Romanam, Græcamque, Antiochenam item, Ægyptiorum, Abyſſiniorum, Moſcorumque & plures vere membra eſſe Catholicæ Eccleſiæ alia aliis præſtantiora, ſi Doctrina ſpectetur & ſinceritas fidei: ſed Eccleſiæ membra, cujus moles atque ſtructura, quantum ad citimam & exteriorem formam, diſſoluta ſit longo tempore, atque luxata.* (4) Jam autem & *Græcos*, & *Antiochenos*, & *Moſchos* proceſſionem inficiari ſcimus Spiritus Sancti a Filio: qui eſt capitalis fidei articulus, inſertus ſymbolo, & in *Florentino* Concilio definitus: *Æthyopes* item atque *Ægyptios* naturarum in CHRISTO diſcrimen tollere: qui eſt EUTYCHIS in *Chalcedonenſi* Synodo damnatus error.

Denique etiam VOLTARIUM in eadem eſſe video ſententia. Homo hic impius, LUCIANUSque temporum noſtrorum, Religionis atque Dei contemptor, negat hæreſum & contentionum inter Chriſtianos cauſam aliam poſſe a ſe perſpici, quam quod naturam *ſtatus*, & dominatricis reipublicæ Eccleſiæ principes æmulatæ fuerint. *Id quidem*, inquit, *ad horrorem ſine dubio comparatum eſt, Eccleſiam Chriſtianam nullo non tempore in ſe ſciſſam laceratamque eſſe ſuis diſſidiis. Meditabar apud me diu, ecquid ſpiritus ille dogmaticus, qui citra turbas ſcholas gentilium dividebat, inter nos tam eas horrendas procrearit. Erremne ſi cauſam hujus novæ peſtis, quæ terram devaſtat, in* REPUBLICANO *illo quæram* SPIRITU, *quo Eccleſiæ principes ſunt animatæ? Conventus ii ſecreti, qui ab initio in cavernis & ſpeluncis inſultabant auctoritati Principum Romanorum, paulatim in* STATU STATUM *formarunt, id eſt, occultam* REMPUBLICAM *in ſinu Imperii.* (5)

III. Veniamus ad FEBRONIUM modo, JANSENISTAMque Anonymum: neque enim temere a me iſta, ac ſine cauſa deſcripta ſunt. Prior, quod ad evidentiam demonſtratum arbitror, *Democraticum* imprimis Eccleſiæ regimen invexit. Sed idem PUFFENDORFII nominatim meminit, laudavitque, ac

les unes d'avec les autres juſqu'à s'excommunier mutuellement. L'Egliſe Romaine au contraire veut que l'Egliſe ſoit renfermée dans une ſeule Société chrétienne, ſeparée de toutes les autres. JURIEU le vrai Syſtéme de l'Egliſe pag. 49.

(4) L'Egliſe Romaine, la Grecque, l'Antiochenne, l'Agyptienne, l'Abyſſine, la Moſcovitique & pluſieurs autres ſont membres plus excellens à la verité, en doctrine, & ſincerité de foi, les uns que les autres: mais toutesfois membres de l'Egliſe Catholique, de la quelle la maſſe & la contexture, quant à la forme externe; eſt ja long-temps a diſſoute & deſaſſemblée. Vid. Replique du Cardinal du Perron à la reponſe du Roy. C. LX.

(5) Vid. les Erreurs de Voltaire Tom. II. pag. 43.

ac esse verum pronuntiavit, quod ab illo sic scriptum est: *Ecclesiam* STATUM, REMQUE PUBLICAM *non esse*; atque absurde idcirco quæri, quis regiminis in ea sit modus, quæ forma ex pervulgatis tribus, Monarchicane, an Aristocratica, an Democratica? (6) Quæ si pugnantia cuiquam esse videantur, nec hærere secum; non resistam illi quidem, cum jam innuerim, ex vario systematum genere non nisi monstrum FEBRONIUM consarcinasse: monstrum, cujus intelligi turpitudo non possit, nisi partes singulæ fuerint explicatæ. Interim non ego injuriam homini facio. Est enim utrumque certum, atque alterum ex interpretandi certissimis evidentissimisque probatum a me regulis; alterum verbis etiam illius, & ut ajunt, propriis terminis repræsentari potest.

Quanquam non aberrabo fortassis, si conciliare studeam. Non est imprimis STATUS Ecclesia, hoc est, *Corpus unum*, *ac dominatrix respublica*, sic, ut imperare credenda possit, & refractarios ex suo sinu repellere. Quid igitur est? *Adgregatum* quoddam *per accidens*, ut Philosophi loquuntur: ex Collegiis scilicet multis, quorum unumquodque est Juris sui. Sed in his ipsis Collegiis quoniam potestas tamen tota penes *cœtum* est, isque Ministros sibi eligit suos, per eosdemque commissam sibi potestatem exequitur: est utique in singulis adumbratio quædam & species Democratici regiminis: quæ quoniam in omnibus eadem est; merito absolute atque præcise Democraticum Ecclesiæ regimen potest statui. Atque hoc etiam a PUFFENDORFIO rejectum non fuit. Fatetur enim, in Collegiorum etiam illa multitudine *Democratiæ esse aliquid simile*: & de Principibus loquens, extra Ecclesiam hos quidem esse & manere Principes scribit; sed cum Ecclesia comparatos non nisi membra esse, ut quosvis alios. (7)

Posset hoc quæri: siquidem PUFFENDORFIO, BÖHMEROQUE ac PAFFIO, & iis omnibus, qui commenta sua in librum *aureum* scripserunt, res sit cer-

 tissima

(6) Exspectabit haud dubie Lector, ut nunc accurate definiamus, quæ in hac Civitate Dei (sic eam, Ecclesiam nempe, S. Augustinus vocat) dicenda sit vigere regiminis formula? Quisquis a nobis hoc interrogat, non succenseat, si ei respondeamus cum viro, sacris quidem Protestantium addicto, sed docto, & rerum politicarum cumprimis perito, atque in hac parte NB. VERA tradente: *In Ecclesiis formandis non opus est decreto super certa regiminis forma introducenda: absurdæque adeo sunt quæstiones, Monarchica, Aristocratica, an Democratica forma competat Ecclesiæ? Hæ quippe formæ cadunt in statum aliquem, seu Civitatem: Ecclesia autem status non est.* Febron. C. II. Lib. sing. §. 12. N. 6.

(7) Puffend. de habitu Relig. §. 39. Edit. Brem.

tiſſima, ex æqualibus Eccleſiam tantum conſtare, nec differentiam eſſe ullam inter Clerum ac populum, niſi quam curatio muneris demandati & habilitas faciunt: Iſtud idem an & FEBRONIUS ſenſerit? Fateor ignorare id me, ac volo Deum, qui ſolus renes & corda hominum ſcrutatur, Judicem eſſe. Conſequi ſaltem opinionis hoc probrum ex *Democratica*, quam invexit, forma regiminis, puto declaratum tam a me eſſe perſpicue, ut negari non poſſit. Sed tamen non ita ſenſerit? ſcripſerit præceps? ſcripſerit, ut ſolent, qui furore ebrii ſunt? Patiar. Erit alterutrum ſic ſaltem neceſſe, ut vel cum omnibus ſcribens, cum nullis ſenſerit; vel cum Anglis, ut minus, qui Epiſcopales nominantur. Admittunt enim & illi Epiſcopos; quin & damnant populare regimen, ut in βασιλικῳ δωρῳ Rex JACOBUS: nihilominus, quemadmodum ex ore ejuſdem Regis audivimus, Eccleſiam multitudinem eſſe volunt omnium Collegiorum atque ſectarum. Id vero tantundem eſt, atque Eccleſiam eſſe *Statum negare.*

IV. Jam de *Anonymo* JANSENISTA non eſt cur inquiram ſolicitius. Nimium enim ille aperte conqueritur, *eſſe unitatis quoddam in Eccleſiam genus invectum ad ſimilitudinem regiminis politici*, quo factum, *ut Epiſcopi Metropolitis, Metropolitæ Primatibus, & Primates Romano Pontifici ſubjecti fuerint.* Quam ille rem *alienam* eſſe aſſerit a *Conſtitutione primitivæ Eccleſiæ*; immo menti voluntatique Chriſti plane contrariam: tum uſu ipſo *conſtare, annis ducentis ac pluribus Eccleſiam floruiſſe, tametſi nulli jus eſſet Epiſcopo, Collegarum ſuorum quidquam alteri præſcribendi.* (8)

Sic iſte trinummius ſapientior eſt Patribus Nicæni Concilii: Sic videt propius, quid e re ſit Eccleſiæ & menti Chriſti conſentaneum. Nam illi ſane trecenti atque octodecim in VI. Canone Metropolitarum privilegia & in ſubjectas ſibi provincias jura confirmant: declarantque non eſſe Epiſcopum eum habendum, *qui absque Metropolitani ſententia ſit Epiſcopus factus:* hancque veterem eſſe conſuetudinem ajunt: τα ἀρχαια ἐϑη κρατειτο, *antiqui mores obtineant.* Ante Nicænum vero Antiocheni Concilii Patres Epiſcopos Metropolitis ſuis ſubjectos eſſe jubent, κατα τον ἀρχαιοτερον κρατησαντα ἐκ των πατερων κανονα, *juxta antiquum, qui a Patribus obtinuit, canonem.* Qui quidem eſt triceſimus quartus Canon ex iis,

(8) Pag. 214. & 216.

iis, qui Apostolici vocantur: ubi dicitur, τυς ἐπισκοπυς ἑκαςυ ἐθνυς ειδεναι χρη τον ἐν ἀυτοις πρωτον και ἡγειθαι ἀυτον ὡς κεφαλην, *Episcopos uniuscujusque gentis nosse oportet eum, qui in illis primus est, & existimare eum ut caput.* Atque in secundo jam plane sæculo ea ταξις, isque graduum inter Episcopos ordo observabatur. Quemadmodum ex synodis, quæ ad Paschatis determinandum diem tum habitæ sunt, ostendi potest: velut ex *Pontica*, cui PALMA præsedit *Amastridis* Episcopus, ὡς ἀρχαιοτατος, ut EUSEBIUS ait, ex *Gallicana*, cui IRENÆUS præfuit *Lugdunensis* Episcopus, ex synodo *Palæstina*, cui THEOPHILUS *Cæsareensis*, ex *Asiana*, cui POLYCRATES Episcopus *Ephesi.* Quin & de IRENÆO disertissime tradit EUSEBIUS, non *Lugdunensis* eum modo Parœciæ post PHOTINUM fuisse Episcopum, sed & *Galliæ* Parœcias omnes administrasse: των κατα Γαλλιαν παροικιων ἁς ειρηναιος ἐπεσκοπει, *Parœciarum Galliæ, quas Irenæus procurabat.* Et quid, si de origine hujus nos moris *Jansenistam* conveniremus? Hanc cum designare ille neutiquam possit; neque ante *Nicænam* generalis ulla synodus fuerit, quæ morem, traditionemque eam primitus statuerit: consectaneum est, ut ab Apostolis manasse eam credamus. Nam AUGUSTINI est regula, id ab Apostolis esse traditum comprobari, quod & perpetuo servatum sit in Ecclesia, & nullius Concilii decreto primitus constitutum fuerit. Sed hæc quidem paucis ac tanquam in transitu. Quod volebam, & cujus causa opinionum sum commenta illa coactus describere: quisquis catholicus, quisquis prudens, quisquis salutis est suæ amans ac fidei; is nunquam committet, ut transegisse cum hominum isto genere videatur. Adeo infandæ doctrinæ illæ sunt, primisque ac pragmaticis Ecclesiæ legibus contrariæ.

§. II.

Proponuntur leges pragmaticæ fundamentales Ecclesiæ CHRISTI: & ex iis conficitur, Ecclesiam *statum* aut *Imperium sacrum* esse.

I. Possunt ad quatuor eæ leges revocari. Prior, ut *sit Ecclesia omnibus, totique orbi conspicua & aspectabilis.* Quæ quidem res tam mihi manifesta ex scripturis sacris, sanctisque Patribus esse videtur; ut nemo nisi idem pertinax inficiari eam possit. Quo enim referendum alioquin, quod ab *Isaia* prænuntiatum his verbis fuit: *Erit in novissimis diebus præpara-*

paratus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes? (9) Tum quod in sexagesimo capite: *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui?* Ac de Pastoribus nominatim: *Ponam in eis signum, & mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad gentes in mare in Africam & Lydiam tendentes sagittam, in Italiam, & Græciam, ad insulas longe, ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam: & annuntiabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres de cunctis gentibus donum Domino, in equis & in quadrigis & in lecticis & in mulis & in Carrucis ad montem sanctum meum Jerusalem.* (10) Quamobrem & ipse Dominus in Evangelio Rectores hujus Ecclesiæ *lucem mundi* vocat, ac *lucernæ supra candelabrum* constitutæ eos comparat: tum Ecclesiam civitati esse similem dicit, quæ *supra montem posita abscondi non potest.* Atque PAULUS in epistola prima ad *Timotheum* capite tertio: *ut,* inquit, *scias, quommodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Non autem sub terra, opinor, habitamus; neque sub terra domus Dei est. Universe omnes parabolæ ac similitudines, quæ ad Ecclesiam referuntur, eam ut oculis expositam designant. Velut est areæ illa, in qua triticum cum palea miscetur: dein *sagenæ*, quæ in mare missa, omnis generis pisces complectitur: *Corporis*, quod ex variis organis componitur. Neque PAULUS, nisi aspectabilem & conspicuam oculis persequebatur Ecclesiam. Rectores tandem, quos modo dicebam, sacramentaque & exterior confessio fidei sub sensus cadunt. De confessione hac pervulgatum est illud ex vaticiniis: *Propterea populi confitebuntur tibi in æternum & in sæculum sæculi*: quod non de abstrusa utique, inque cordium reclusa adytis, sed de publica confessione debet intelligi. Unde & CHRISTUS: *Qui me*, inquit, *confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et Ecclesia ipsa quid est? quisque finis, quæ ratio illius? Ego sic quidem a puero informavi animo, institutam esse, ut ab ignorantia ac vitiis suis abstractum & liberatum CHRISTI meritis humanum genus, & sentiret de Deo recte, & obsequium cultumque, quem ei debet, isque probat, dependeret. Est autem cultus ille non solum mentis, sed publicus: idque, ut cætera deessent, ipsa gentium populorumque omnium consensione demonstrari posset. Igitur & Ecclesiam esse publicum quiddam necesse est, & in sensum cadens. — Sed hæc satis: neque enim huc omnia conferre debeo, quæ a Theologis nostris sunt & plurima & evidentissime contra hostes orthodoxæ fidei super argumento illo disputata.

Illud

(9) Isa. C. 2. (10) Isa. 66.

Illud perridiculum eſt, atque neſcio quo adpellandum nomine, quod JANSENISTA ſcribit: *non ſe inficiari, Eccleſiam Societatem eſſe viſibilem: ſed non per hoc, quod viſibilis eſt, conſtitui ejus* ESSENTIAM; *nec propterea per aliud formari, conſervari, vivificari viſibilem hanc ſocietatem, niſi per ſpiritum fidei inviſibilem, ſicut Corpus ſuſtinetur & vivificatur per animam, quæ utique eſt ſpiritus inviſibilis.* (11) Itane, non ad eſſentiam iſtud pertinet, quo ſit conſpicua? Jam igitur miror, intra biennii unius ſpatium quater decies centena librarum millia a Janſeniſtis expenſa eſſe, quibus novellam & recentem a partu ac vacillantem Eccleſiam ſuam fulcirent. Non enim propter *accidens*, opinor, tot erant nomina contrahenda: nec propter accidens tot circumveniendi & in fraudem inducendi creditores. Sed erro. Egebant hac illi pecunia, non quo viſibilem, ſed inviſibilem, hoc eſt, nullam ut ECCLESIAM CHRISTI facerent.

Interim nos, qui perhorreſcimus hujuſmodi conſilia, inque CHRISTUM & Eccleſiam ejus credimus, non ſaltem nugis moveri nos patimur. Cedo enim, de qua ille Eccleſia nobiſcum diſputat? de eane, quam eſſe CHRISTI dicimus? At ut minimum Angelorum non eſt ea *convocatio*, ſed hominum: convocatio vero, ut & cultu, & Sacramentis, & fide & profeſſione externa fidei colligentur. Quare ad *eſſentiam* iſta pertineant omnia neceſſe eſt: non enim *eſſentia* niſi res eſt ipſa, & quod res quæque eſt, id ad *eſſentiam* dicimus pertinere. Sunt autem aſpectabilia, homo, cultus, Sacramenta, profeſſio. Igitur & hoc, quod aſpectabilis eſt ipſa Eccleſia, ad *eſſentiam* pertinet illius. Atque adeo vel ipſum animæ, quod intorquetur, exemplum nonne ſatis eſt ad retundendam calumniam? Etenim ſi hujuſmodi eſt ratio Eccleſiæ viſibilis, *formatæ*, *conſervatæ*, *vivificatæ*, ut ait, per Spiritum fidei inviſibilem, cujuſmodi corporis eſt, quod ſuſtinetur, vivificaturque per animam: reſpondebit illud profecto, quod eſt ſpectabile in Eccleſia, humano corpori; quemadmodum id, quod videri in ea non poteſt, fides, inquam, aut ſpiritus fidei, humanæ animæ, quæ videri nec ipſa poteſt, reſpondet. Quid autem? Corpus ad *eſſentiam* hominis non pertinet? Ridete!

II. Lex altera, quam demonſtratam hoc loco ſumimus, omnino tria complectitur: *Eccleſia paſtores habeat ſuos, veriſſima ac proprii nominis juriſdictione præditos. In hac exercenda nec multitudinis ſint miniſtri, neque pen-*

(11) Pag. 215.

pendeant a cœtu. Separata tandem ſit, nec illigata civili regimini; ſitque duplex adeo, profana & ſacra poteſtas, quarum unaquæque ſuis ſeſe finibus coerceat.

" Hæc illa lex eſt, illa princeps, ὁσιώδης, fundamentalisque lex, quam " qui convellunt aut temerant (dicam enim) turpiſſimum & abominandum committunt facinus. Aſſentatio illa eſt, cujus inter homines " exemplum vix extet: novitas peregrina, quæ reliquis omnibus viam " aperiat: machinatio, ad cujus conſpectum Chriſtianus orbis ingemiſcit. " Non demum alio ſpectant id genus homines, quam ut captivam tradant regibus terræ CHRISTI Eccleſiam, eamque in profanum transforment imperium, ac deleant cæleſtem dominatum ab JEſu Chriſto inſtitutum, atque diſperdant & eradicent penitus Chriſtianam religionem, " & Antichriſto viam præparent. (12)

Quæ ſiquis ſit forte qui audacius a me dici putet, quam privatum, licæoque & ſarcinis deſtinatum deceat hominem; ſciat is, magni BOSSUETII, immo & Galliæ Comitiorum generalium non exemplis modo iſta me ſcribere, verum etiam verbis. Quanquam quid prætermiſſum a me fuit, quo minus demonſtratum quod dico, ſaltem iis, qui catholice & Majorum ex traditione ſentiunt, debeat videri? Id ſane totis viribus egi in primo Capite hujus libri. Atque collegi tum, quod fluebat ſponte ſua, Eccleſiam *ſtatum* eſſe: hoc eſt, ſaltem ſingulas, ubicunque ſint demum, & cuicunque alligatas regno Eccleſias pro principatibus eſſe totidem habendas, perque ſeſe & ſuis tantum præſidiis, ſuis legibus ſtare.

Sed volo majus nunc aliud: volo ex omnibus iſtis Eccleſiis, atque ut ita dicam, parvis ſtatibus *ſtatum unum* confieri. Hæc enim arx eſt, quam expugnandam PUFFENDORFIUS ſumpſit: hac vindicata, non ego FEBRONIUM minus proſtratum a me eſſe gloriari potero, quam PUFFENDORFIUS expugnata deletaque illa & internecionem intuliſſet rei catholicæ, & ſectarum cuicunque generi atque nomini domicilium, pro eo ac oſtentabat, procuraviſſet. Quare cum ſit tanti res iſta ponderis; leges duas inſuper adjicio; pervulgatas quidem (nam ad elementa pertinent, traduntur que pueris) ſed quarum mentio neque debet prætermitti a me hoc loco, neque poteſt omnino.

III.

(12) Comit. gener. Cleri Gallicani 1760. cui adhærent Comitia gen. 1764. edit. Lat. Aug. V. 1766. pag. 45.

III. Eſt lex igitur tertia: *Eccleſia quemadmodum non locorum, ita nec temporum finiatur ſpatiis, atque adeo catholica, perpetuaque ſit, neque deficere unquam poſſit, ſive fidem, ſive Hierarchicum in ea ordinem ſpectes.*

Id utrumque Isaias vaticinatus his verbis fuit: *Et aperientur portæ tuæ jugiter: die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & reges eorum adducantur.* Quod etiam in ſequenti capite, ac paſſim alibi Propheta repetit. Sed multo pulcherrimus & jucundiſſimus eſt locus ex Danielis Prophetia. Exponens enim Daniel, quid iſte lapis portenderit, qui ſine manu abſciſſus, poſtquam ſtatuam contriverat, *factus eſt mons magnus & implevit univerſam terram:* hanc Eccleſiam fore Christi ſignificat, quæ diſſipatis & everſis quatuor regnis, iiſque ampliſſimis, ex initiis minimis ad infinitum eluctatura. *Suſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem & conſumet univerſa regna hæc, & ipſum stabit in æternum.* Id ſcilicet eſt, quod portas inferi nunquam prævalituras ſuæ Eccleſiæ prædixit Christus: quodque ſic alibi: *Prædicabitur hoc Evangelium in univerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio.* Conſummationis enim nomen finem ſæculorum ac diem ſupremum iſthac ſignificat.

Jam vero ſi Eccleſia atque regnum Christi aſpectabile interiturum non eſt; quis dubitare poterit, quin ſit regimen quoque illius ac principatus ille, quem dixi, ſacer futurus perpetuus? Neque enim ob aliam cauſam Epiſcopos ſibi Apoſtoli ſuffecerunt, de quibus Paulus: *Attendite*, inquit, *vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Atque Christus ipſe dum eſt Apoſtolos adlocutus his verbis: *Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi;* non id utique voluit, ut perpetuo & ad mundi finem uſque iidem viverent; ſed ad Epiſcopos Succeſſores eorum reſpexit.

IV. Tandem lex illa quarta: *ut ſit una neque in partes, & factiones ſciſſa plures* Christi *Eccleſia.* De qua quidem lege dici non poteſt, quantum laboratum ſemper a Majoribus noſtris fuerit, propterea quod eſt ultimo velut cum halitu excepta Legislatoris; tantaque vi, tanta contentione inculcavit is eam moriturus ſuis Diſcipulis, ut ſit prope nihil in libris Evangeliorum, quod ad commotionem magis ſenſumque ac lachrimas videatur ſcriptum. (13) Nec minus Apoſtoli exinde in commendanda illa copioſi fuerunt. Præſertim Paulus, qui quoties ſchiſmata & hæreſes perſequitur; quid niſi Legem eam inculcat? Atque Unitatem ille cum mul-

tis in locis, tum maxime toto fere Capite duodecimo Epistolæ primæ ad Corinthios iis verbis commendat, quibus desiderari illustriora non possint. *Sicut enim Corpus*, inquit, *unum est, & membra habet multa: omnia autem membra Corporis cum sint multa, unum tamen Corpus sunt, ita &* CHRISTUS. *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum Corpus baptizati sumus: nam & Corpus non est unum membrum, sed multa.* Et ad Ephesios: *Unum Corpus, & unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ: unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

Quocirca ut in humano sic & in mystico CHRISTI Corpore sui quidam sunt nexus, & coagmentationes, per quas inter se sociata & secum invicem velut agglutinata membra cum capite suo junguntur CHRISTO, & ab illo virescunt ac vitalem succum accipiunt. Cujusmodi coagmentationem charitatem esse Apostolus tradit, spemque omnium unam, fideique & Sacramentorum communionem. His itaque rebus velut compage & commissuris suis stat CHRISTI Corpus.

V. Atque hactenus consentientem habemus non FEBRONIUM modo, sed & BATAVUM illum, quem exscriptum ab eo vidimus, JANSENISTAM *Anonymum.* Quo autem jugulum utriusque petimus, sicut JURIÆI etiam ac PUFFENDORFII, consectarium est ex illa lege: consectarium inquam, quod & in symbolo profitemur quotidie, & cujus notio ab Ecclesiæ separari notione prorsus ac citra scelus non potest. Dico, sic *unam*, sic *unum Corpus* Ecclesiam esse JEsu CHRISTI, ut DOMINATRIX sit eadem. Nondum intelligor? Ecclesiam auctoritatem habere volo determinandi, quid sit credendum: auctoritatem jubendi, auctoritatem coercendi, auctoritatem damnandi, repellendique non a consortio tantum atque cœtu, ut aspectabilis est ille & publicus; verum & a CHRISTO, a regno cœlorum, a sese ipsa, ut Corpus mysticum est, vivitque & inaugescit spiritu ac vita Capitis sui CHRISTI. Atque hanc ex innumeris per Orbem Ecclesiis fieri unam volo. Cumque infinitæ sint sectæ, quæ Ecclesiæ sibi usurpent nomen; contendo non nisi unam esse, cui superiora ista omnia conveniant, eamque digito demonstrari posse, haud minus, quam Imperium Germanicum, regnum Galliæ, Venetorum rempublicam & adire, & demonstrare possum.

Hujusmodi certe apud animos nostros informamus Ecclesiam, cum vel in Apostolico symbolo *Ecclesiam Catholicam*, vel in Constantinopolitano *unam sanctam Catholicam & Apostolicam* profitemur nos credere. Neque ab Apostolis instituti aliter Majores nostri sunt. Qui quoties Eccle-

ſiam ἁπλῶς ſimpliciter ac citra alterius adjectionem vocis nominant, contenduntque vel opponunt eam peregrinis quibusvis cœtibus ac ſocietatibus: quid quæſo volunt, quid cogitant, & quæ eſt notio illorum objecta animis, ſi non Communitatis definitæ alicujus ac determinatæ, & quæ cum ſit *una* ac demonſtrari poſſit; tum vero alias a ſe omnes repellat, refractarioſque ſuis Juſſis atque Decretis coerceat, profliget, damnet pro auctoritate atque imperio? Hujus Eccleſiæ ſexcenties mentionem facit S. IRENÆUS in libris adverſus hæreſes conſcriptis. Ut in primo ſtatim libro, Capite ſecundo: ECCLESIA, inquit, *per univerſum Orbem uſque ad fines terræ ſeminata.* Et Capite tertio: *Hanc prædicationem cum acceperit* ECCLESIA. Mox Cap. quarto hæreticos cum Eccleſia componens: *Quemadmodum dicunt*, ait, *hi, qui vere deſerti ſunt a divina Sententia Magiſtri; cum ea quæ eſt* ECCLESIA *univerſa, unam & eandem fidem habeat.* Capite quarto vero libri tertii veritatem in ſola ECCLESIA requirendam eſſe docet, non apud hæreticos, quos eſſe *Fures* ait & *Latrones.*

Qui huic eſt ſuppar S. CLEMENS *Alexandrinus*, in primo quem *Pædagogum* inſcripſit libro Eccleſiam Divinitati comparat. ut *unus eſt Pater univerſorum, unum etiam Verbum univerſorum; & Spiritus ſanctus unus:* ſic & *Matrem Virginem unam* eſſe, & *ſolam* ait, atque hanc eſſe ECCLESIAM. Idem in primo Stromatum hæreſes non niſi improprie, perque abuſionem vocis *Eccleſias* vocari docet.

Jam TERTULLIANO quis in inculcando eſt illo dogmate diſertior? Legatur totus de Præſcriptionibus liber: nunquam Eccleſiam niſi unam ille, & ab omnibus ſecretam ſectis intelligit. Velut cum in quarto Capite quærit, *quænam pelles ſint ovium?* Reſpondetque *eſſe nominis Chriſtiani extrinſecus ſuperficies. Qui lupi rapaces?* eſſe *ſenſus & ſpiritus ſubdolos ad infeſtandum gregem Chriſti intrinſecus deliteſcentes. Qui Antichriſti interim & ſemper?* eſſe *Chriſti rebelles. Hoc eſſe hæreſes, non minus doctrinarum perverſitate* ECCLESIAM *laceſſentes; quam tunc Antichriſtus perſecutionum atrocitate* eandem illam Eccleſiam *perſequetur.*

ORIGENES quoque ſuper JOBUM commentans, omnes ſectas ait & omnes hæreſes non tribus, ſed infinitis cornibus dimicare CONTRA ECCLESIAM & ECCLESIÆ UNITATEM. Quid CYPRIANUS? notus eſt liber, quem de *Unitate* conſcripſit. Quem ne ego totum hoc loco cogar adſcribere, libet pauca tantum ex eo referre. *Eccleſia*, inquit, *Domini luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos porrigit; unum tamen lumen eſt, quod ubique dif-*

funditur, nec unitas Corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit; profluentes largiter rivos latius expandit: Unum tamen caput est, & origo una, & una mater, fœcunditatis successoribus copiosa. Quod sic acrius paulo post urget: *Quisquis ab* ECCLESIA *segregatus adulteræ jungitur, a promissis* ECCLESIÆ *separatur; nec pertinet ad Christi præmia, qui relinquit* ECCLESIAM *Christi. Alienus est; hostis est. Habere jam non potest Deum Patrem, qui* ECCLESIAM *non habet matrem. Si potuit evadere, qui extra arcam Noe fuit; & qui extra* ECCLESIAM *foris fuerit, evadet.* Nolo cætera: nam obvia sunt.

Quid HILARIUS? Is in septimo libro de *Trinitate* circa initium: *Hæretici*, inquit, *omnes contra* ECCLESIAM *veniunt; sed dum hæretici omnes se invicem vincunt; nihil tamen sibi vincunt: victoria enim eorum* ECCLESIÆ *triumphus ex omnibus est.* Sic & HIERONYMUS dominatricem Ecclesiæ vim indicans, disputationem suam adversus *Luciferianos* his tandem concludit verbis: *Poteram omnes propositionum rivulos uno* ECCLESIÆ *sole siccare.* Quid AUGUSTINUS? JURIÆUS ipse removeri hunc cupit a præsenti quæstione, propterea quod sit apertior ejus sententia, quam ut tergiversatione ulla possit eludi. Sed & LACTANTIUM eodem jure recusare poterat. Nam & ille de hæreticis loquens Libro quarto Capite trigesimo, ECCLESIAM non nisi unam esse tradit, & eam *solam Catholicam, quæ verum cultum retineat.* Hanc *fontem* esse *veritatis*, hanc *domicilium fidei*, hanc *templum Dei: a quo siquis exiverit, a spe vitæ ac salutis æternæ alienum* eum esse pronuntiat.

Poterat OPTATUM quoque removere. Is in secundo enim libro adversus *Parmenianum* statim in initio: *Ergo* ECCLESIA, inquit, *una est, cujus sanctitas de sacramentis colligitur, non de superbia personarum ponderatur. Ergo hanc unam columbam & dilectam sponsam suam Christus appellat. Hæc apud omnes hæreticos & schismaticos esse non potest. Restat, ut uno loco sit.* Dein ornamenta atque dotes hujus Ecclesiæ enumerans, negat, *nomen* ECCLESIÆ a *Donatistis* usurpari posse: eo quod dotibus his illi careant, *quas constat ita sibi connexas & individuas esse, ut intelligatur una ab altera separari non posse. Etenim numerantur*, ait, *in nomine, sed uno intellectu suo junguntur in Corpore: ut in manu digiti, quos intervallis singulos videmus esse distinctos. Unde qui tenet unum, totos teneat necesse est, cum unusquisque a paribus separari non possit.* Poterat EPIPHANIUM denique, HIERONYMUM, LEONEMQUE *Magnum*, & quem non alium? a dicendo testimonio JURIÆUS repellere. Horum enim quotusquisque de Religione vel Ecclesia aliquid scripsit, quin vel probarit, quod dicimus, vel probatum com-

compertumque ſumpſerit? Sed repellat iſte ſane, quos volet. Nos turpiſſimum, infandum, ſacrum iſtud ſemper habebimus; quod homo novitius cum gregalibus ita ſuis commentus eſt: non Eccleſias magis provinciarum ſingularum, quam ipſas provincias confœderatas eſſe ex voluntate & inſtituto CHRISTI oportere: & poſſe ſuis unamquamque ſe pactis regere, confœderationesque omnes ex earum eſſe adfectionum cenſu, quæ rebus *accidant*, non ad ſubſtantiam pertineant, neque neceſſariæ omnino ſint. Quod ſi damus; amentiæ profecto totam vetuſtatem, Patresque omnes & Concilia ipſa damnabimus, cum in hæreſes atque ſchismata detonuerunt: ſiquidem nec eſſe ſic quidem ſchisma ullum aut ulla hæreſis in mundo potuit.

VI. Ac quoniam de Conciliis mentionem fecimus; quid volebat ſibi, aut an amens fuit *Nicæna* ſynodus, cum Canone octavo ſtatuit, ut *Novatiani*, qui ad ECCLESIAM redire vellent, ante omnia teſtatum ſcripto facerent, decretis ſingulis hujus ECCLESIÆ ſe obtemperaturos? (14) An amens, quæ eam ſecuta eſt ſecunda ſynodus generalis, cum non niſi hac lege admittendos eſſe decernit hæreticos, ut profiterentur, ſe omnem deteſtari hæreſin, *quæ non ſentit, ut ſancta catholica & Apoſtolica Dei* ECCLESIA? (15) An amens Concilium *Sardicenſe*, cum ſic ſtatuit apud ATHANASIUM Apologia ſecunda: *Qui ſeparant Filium a Patre, æquum eſt, eos ab* ECCLESIA *catholica ſeparari, & alienos indignosque haberi Chriſtiano nomine*? (16) Amens *Ariminenſe* (de etiamnum incolumi loquor) cum ſemel atque iterum ita vocem ECCLESIA adhibet: *Toleravit* ECCLESIA *Urſacium: Detrahantur ab* ECCLESIA, *ut catholica Eccleſia in pace permaneat? Alieniſſimam ab* ECCLESIA *fidem*? (17) Amens, qui NESTORIO in hæc verba ſcripſit: *Aperte hanc noſtram ſcias eſſe ſententiam, ut niſi de Chriſto Deo noſtro ea prædices, quæ Romana & Alexandrina & omnis catholica ſentit Eccleſia; noveris te ab univerſalis Eccleſiæ Catholicæ communione dejectum*? (18) Sic autem COELESTINUS Romanus Pontifex NESTORIO ſcripſit; ſecutaque eſt illum *Epheſina* ſynodus, quæ & a ſacerdotio, & a conſortio atque cœtu univerſo ſacerdotum tanquam alterum Judam & a CHRISTO apoſtatam ſolenni ſententia hominem excluſit.

Fecit

(14) Hard. T. I. Col. 325. (15) L. c. Col. 811. (16) Ath. Edit. Col. 1617. p. 166. (17) Apud eund. Epiſ. de Synod. p. 197. Confer Hard. Tom. I. Col. 713. (18) Hard. T. I. Col. 1319. Confer ſententiam Synodi in Neſtorium ibid. Act. I. Col. 1434.

Fecit idem de EUTYCHE *Constantinopolitana* exinde synodus. Immo vero non communione istum modo mulctavit, sacerdotioque & præfectura exuit, qua fungebatur: sed & quosvis, qui familiaritate posthac illius usuri & confabulationes audituri essent, excommunicationis vindictæ simili subjecit. (19)

Sic & quintum Concilium, in quo tria Capitula damnata sunt, non aliam, quam Ecclesiam *unam*, & ut ita loquar, *demonstrabilem* (hæc enim formanda vox est, quoniam latina deest) agnovit. Nam & fidem hujus describit *sanctæ Dei Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ*, & ab illa quisquis discesserit, hæreticorumque ad stationes defecerit, hunc damnari ait ab eadem illa *sancta Dei Ecclesia*, & anathemate percelli. (20) Cætera quæ innumera sunt præterire cogor, ne rem certam & evidentem disputatione fecisse dubiam videri possim.

VII. Secundum hæc vero quis tam est hospes in antiquitate, ut ignoret, habuisse, quemadmodum profanas respublicas, sic & Ecclesiam illam, quam esse unam toto orbe contendimus, suas jam inde ab initio LEGES, suum, ut ea nunc voce utar, JUS COMMUNE quasi ac PUBLICUM: quod & colligaret inter se mores natura dispares, & velut mens quædam una per partes omnes unius Corporis sese diffunderet?

Equidem non in ea ego opinione sum, ut omnes, quos *Apostolicos* vulgo dicimus, *Canones* ab Apostolis rogatos fuisse dicam. Nam petulantis id foret: neque enim, quæ pridem decisa est, retractari nunc amplius TURRIANI causa potest. Scio etiam, ab initio Codicem Canonum extitisse nullum; sed comparatum hunc esse serius. Ex eo tamen qui neque leges habuisse Ecclesiam concludendum putet, næ in magnis erratis sit hujus opinio. Vivebant enim, ut ait COUSTANTIUS in corde sacerdotum cum traditione, tum quotidiano Ecclesiarum usu impressæ. (21) Atque jam CLEMENS ille Apostolorum discipulus, Romanusque Pontifex in celebri, quam ad *Corinthios* dedit, epistola ἐπινομης Apostolicæ de Episcoporum successionibus mentionem facit. S. ATHANASII autem est talis sententia: ὐ γαρ νυν κανονες και τυποι ταις ἐκκλησιαις ἐδοθησαν, ἀλλ᾽ ἐκ πατερων ἡμων καλως και βεβαιως παρεδοθησαν και τα ἑξης. *Nec vero nunc primum*

(19) Hard. T. II. Col. 210. inter Acta Con. Chalced. (20) Collat. III. Hard. T. III. Col. 71. (21) Præf. ad Epis. R. PP. Part. 2. pag. 56.

mum Canones, & descriptiones agendarum rerum Ecclesiis data sunt; sed a Patribus nostris pulchre firmiterque tradita fuerunt: neque nunc primum fides cœpit, sed a Domino per Discipulos ad nos transiit. Ne igitur quæ a priscis temporibus usque ad nos in Ecclesiis observata fuerunt, hisce diebus pereant, & quæ nobis concredita sunt, a nobis requirantur, moveamini fratres. (22)

Idem ARSENII ad se epistolam Apologiæ suæ inseruit, in qua scripserat is, *in potestate Ecclesiastici Canonis secundum veterem legem se fore.* BASILIUS item τȣ ἀρχαιȣ κανονος meminit in literis ad AMPHILOCHIUM. Nec minus *Nicæna* synodus, *Antiochena*, *Gangrena*que ad antiquos & priscorum ad se Patrum memoria delatos canones provocant. Quod & *Constantinopolitana* prima synodus facit anno habita trecentesimo octogesimo secundo, & sub idem tempus synodus *Carthaginensis* in Africa: ac subinde *Ephesinum* Concilium, & deinde *Chalcedonense.* Quæ quidem omnia a pererudito viro Guilielmo *Beveregio* ad evidentiam ita prorsus demonstrata sunt, ut mihi, qui porro litem movere velit, captus oculis esse videatur. (23)

Jam hujusmodi legibus traditione primum, Ecclesiarumque usu servatis, tandem scripto mandatis, & synodalium, ut res ferebat, aliorumque accessione Decretorum paulatim auctis stabat, & majestatem tuebatur suam vera Ecclesia. Pertinebantque ad omnes, etiam Episcopos sanctiones illæ, nec violari sine ingenti scelere & vindicta poterant. Heinc tam eæ frequentes Canonum clausulæ: ἀφοριζεσθω, καθαιρεισθω, ὡς λαϊκος κοινωνειτω, πανταπασιν ἐκκοπτεσθω της ἐκκλησιας, *segregetur, deponatur, ut Laicus communicato, prorsus abscinditor ab Ecclesia*, istarumque similes. Heinc & ORIGENI datum vitio id esse scimus a DEMETRIO *Alexandrino* Episcopo, quod ab Episcopis exteris creatus Presbyter fuerit. NOVATIANO item, quod in lecto baptizatus, nec Confirmationis accepto signaculo, prætermissisque, quæ de more fieri debebant, ad Episcopatum emerserit. Et de iis, qui ARIUM in communionem suam receperant, scribit ita ante synodum Nicænam Alexander Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus: μεγιστης, ὡς οἰμαι, διαβολης ἐπικειμενης τοις τȣτο τολμασι συλλειτȣργοις, τῳ μητε τον Αποστολικον κανονα τȣτο συγχωρειν. *Cum gravissima, ut arbitror*

(22) Epist. ad ubique Orthod.
(23) Cod. Can. vindicato, cap. III. sqq.

bitror; infamia iis, qui hoc ausi sunt, Comministris nostris immineat, quoniam & Apostolicus Canon rem hujusmodi nequaquam indulget. (24)

Etiam EPHESINI Concilii Patres COACTOS se ajunt *per sacros Canones* ad damnandum NESTORIUM. Atque AUGUSTINUS cum vivente etiamnum VALERIO ordinatus fuisset Episcopus; id esse factum vehementer postea doluit, postquam intellexit, Canonibus Concilii *Nicæni* fuisse vetitum. (25)

VIII. Sed heic in stylum mihi res aliqua succurrit, quam quo minus prætercam, tametsi me brevitas vehementer alioquin moneat, nescio quæ vis facit occulta; neque possum, quin saltem paucis perstringam. FEBRONIUS in eo opusculo, quod modo *Periculum*, modo *Principia* inscripsit *Juris Publici Ecclesiastici Catholici*, quemque nos librum non solum Romæ, sed & Moguntiæ nigro calculo notatum fuisse accepimus: præclarum atque dignum pietate sua aliquid peperit: immo non peperit, sed ab iis sumpsit, quorum tum manus prensabat: scit, quos intelligam. Scribit, ideo *Canonum*, id est, *regularum* adoptasse nomen Ecclesiam, Conciliorumque Patres, ne si *leges* forte dixissent scita sua, *invidiæ darent fomentum imperantibus.* Itaque *regulas* maluisse dicere: *sed eas ubi primum a sacerdotio fuerant conditæ, exhibitas Principi fuisse, ut ejus auctoritate transirent in* LEGES & SANCTIONES. (26) O hominem acutum! Ergo nunquam *leges*, semper Canones, semper regulas prisci Patres sua scita, Decretaque nominaverunt? Quid jocularius excidere homini potest literarum qualicunque notitia perfuso? Quid? ἐπινομη *lex* non est? Atqui jam S. CLEMENTEM, tertium a S. Petro Romanum Pontificem usurpasse hanc vocem vidimus (27) παλαιος νομος an *lex* non est? Sic autem ARSENIUS vocat apud ATHANASIUM. (28) θειος θεσμος, ἐκκλησιαστικος θεσμος, σεβασμιωτατος νομος, acutissime virorum, dic quæso, an eæ leges non sunt? Primum ATHANASII, (29) alterum BASILII est (30) tertium a CONSTANTINO ipso sic

(24) Theod. Hist. Eccl. Lib. I. Cap. IV.

(25) L. supra cit.

(26) Cap VII. §. I.

(27) Epist. ad Corint. N. 44. apud Coustantium.

(28) Apud Ath. in Apolog. de fuga sua. Offert se Arsenius ad pœnam κατα τον παλαιον νομον, siquid deinceps simile contra Athanasium moliatur.

(29) Athan. ad Orthod. κατα θειον θεσμον Divina lege, non nundinatione aut

ſic dictum. (31) Et loquuntur iſti quidem de illis regulis, quas Imperatorum adhucdum nullus edictis ſuis confirmaverat. Ac CONSTANTINUS vel hoc ipſo, quod σεβασμιώτατον, *legem ſanctiſſimam vocat*, ſatis oſtendit, non precariam & emendicatam quaſi vim auctoritatemque vincientis & ſtringentis *legis* ſacris Canonibus ab ſe adfundi, ſed hanc congenitam eos habere, & ab illa, quæ Eccleſiæ ineſt propria, poteſtate ac majeſtate profectam.

Quod autem de invidia homo ſubtiliſſimus diſputat, velim ſcire, de quo tempore loquatur? De eone, quo Imperatores Ethnici erant? At iſti nec utrum *leges*, nec utrum *Canones* adpellarentur Conſulta Chriſtianorum, explorare admodum poterant: tanta ſilentii apud Noſtros religio, & *arcani*, ut vocant, diſciplina fuit. Præterea quam invidiam conſciſceret *Eccleſiaſticarum* potius *legum*, quam Evangelicæ, Chriſtianæque *legis* adpellatio? At hac quidem liberrime Noſtri utebantur, velut JUSTINUS, TERTULLIANUS, ORIGENES, IRENÆUS, CLEMENS ALEXANDRINUS: & valde is hoſpes eſt in antiquorum libris, qui ignorat. Neque vero ſum ego neſcius, *factionis* calumniam a gentilibus conſueſſe objici Chriſtianis. Quam & TERTULLIANUM pulcherrime diluiſſe ſcio: reſpondit enim, Chriſtianos corpus eſſe, ſed diſciplinæ, cœleſtisque ſpei confœderatione nexum, nec ſe rempublicam niſi totum mundum putare. Verum cum iſtud ipſum inimici objicerent; non tam ad ea illi reſpectum habebant, quæ a Præſulibus rogabantur, *Canonum*que exinde nomen ſortita ſunt; quam ad univerſum, quod modo ſectam, modo ſuperſtitionem adpellabant, inſtitutum Chriſtianæ ſocietatis. Quare ſi & CHRISTUM nihilo minus *Legislatorem* Noſtri ſuum, & diſciplinam ab eo traditam adpellare *legem* minime veriti ſunt; quid ineptius, quam ſcita Præſulum ideo *Canones*, non autem *leges* fuiſſe dictas exiſtimare, ne *Imperantibus fomes invidiæ* ſubminiſtraretur?

Jam ſi de eo, ut quidem videtur, tempore Conjectori ſermo eſt, quo pacatæ res Eccleſiæ, & Imperatores Chriſtiani erant; peræque quod ſcribit

potentia Epiſcopos conſtitui ait. Reſpicit autem ad Canones 29. & 30. ex Apoſtolicis, ut vocantur, quorum altero, ne quis pecunia, altero, ne potentia ſæculari ad Epiſcopatum emergat, prohibetur.

(30) BASILIUS L. de Spir. S. Cap. XXVII.: *Quæ quidem ambo parem vim habent ad pietatem; nec huic rei reſiſtet, qui vel exiguum legum Eccleſiaſticarum* θεσμῶν ἐκκλησιαστικῶν *uſum habet.*

bit, falſum eſt. Quæ enim invidia, poſtquam ipſe, quod modo dicebamus, CONSTANTINUS Magnus σεβασμιωτατον νομον, *legem ſanctiſſimam* nominavit? Quæ invidia, poſtquam arbitrium & Judicationem non ille modo a ſe dimiſit Eccleſiaſticæ litis; ſed & furoris eos temeritatisque condemnandos cenſuit, qui, Chriſtiani cum eſſent, Ethnicorum more ad Imperatorem confugerent? (32) Quæ invidia, poſtquam auctoritate præſtare tanta in Conciliis congregatos Epiſcopos idem cenſuit, ut quidquid ſtatuerent, iſtud omne ad divinam referendum eſſe voluntatem; cumque judices iidem ſederent, CHRISTUM ipſum reſidere judicareque dixerit? (33) Sunt autem ſecuti Conſtantini exemplum Imperatores Chriſtiani cæteri: tantumque abeſt, ut a ſe vim & adpellationem pendere ſacrarum legum voluerint, ut in graviſſimis officiis ſuis numeraverint, confiteri ſeſe ipſos illis ſubjectos, & ne impune contemni poſſent, majeſtatis toto pondere certare. Quod vel JUSTINIANUM ſcimus feciſſe; tametſi non omnia alioquin hujus Principis ſtudia laudari ſoleant. Nam ſic ille in Novella centeſima trigeſima ſeptima: *Si*, inquit, *Civiles leges, quarum poteſtatem nobis Deus pro ſua in homines benignitate credidit, firmas ab omnibus cuſtodiri ad ſubditorum ſecuritatem ſtudemus*; QUANTO PLUS *ſtudii adhibere debemus circa ſacrorum Canonum & divinarum legum cuſtodiam, quæ ſuper ſalute animarum noſtrarum definitæ ſunt.* Ubi perſpicue Civilium quidem legum αὐθεντην ſe eſſe, & *poteſtatem* ſibi earum a Deo traditam dicit; Canonum vero & divinarum legum non niſi *cuſtodiam*. Quas autem heic *leges divinas*, paulo poſt *divinos Canones* adpellat Imperator. (34)

Et vero in magnis nugis ii verſantur, qui ex vocum qualicunque iſto diſcrimine movere litem ſe poſſe arbitrantur: quos nos tanti, quanti debemus, facimus, id eſt nihili. Nam adpellationes non omnem exhaurire naturam, proprietatemque rerum, quibus ſignificandis impoſitæ ſunt, ex-

tra

(32) CONSTANT. ad MELCHIADEM R. P. apud Euſebium L. X. hiſt. Eccleſ. Cap. V. ut cauſam CÆCILIANI decidat, ὡς ἀν καταμαθοιτε τῳ σεβασμιωτατῳ νομῳ ἁρμοττειν, quemadmodum Sanctiſſimæ legi convenire optime noſtis.

(33) Vide Acta in cauſa Cæciliani apud Euſeb. Lib. X. hiſt. Eccleſ. Cap. V. Item *Optatum Millev. L. I. adverſ. Parmen.* Ibi Imperator, novum cum a ſe judicium Donatiſtæ poſtulaſſent; *petitis a me*, inquit, *in ſæculo judicium, cum ego ipſe Chriſti judicium expectem.* Cumque ab Arelatenſ. etiam Synodo ad Conſtantinum rurſum provocaſſent; ſic ille reſpondit: *O rabida furoris audacia! ſicut in cauſis gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt.*

tra controverſiam eſt. Cæterum Canon proprie *regulam* ſignificat: *Lex* autem *juſti*, *injuſtique regula* a Seneca definitur: (35) & a Clemente Alexandrino νομος, κανων τυγχανων δικαιων τε και αδικων, *Lex*, *quæ juſtorum*, *injuſtorumque eſt regula*. Differt autem a *Reſponſis prudentum*, quas Græci γνωμας vel ὑποθηκας nominant, quoniam obligandi ea vim non habent, nec ab imperio proficiſcuntur: *a præceptis* vero, quoniam in ſingulos illa feruntur; *Lex* in commune, quid faciendum, edicit, perpetuaque eſt, nec cum perſona moritur. Tandem in omni lege ſpectari duo imprimis debent, *mandatum* ipſum, quo vel jubetur aliquid vel prohibetur, quam *cautionem* aliter dicimus; deinde pœna, quæ contra legem committentibus imponitur: quæ proprie *ſanctio* a Juriſconſultis nominatur, & in ea vis eſt potiſſima ac proprietas ſita legis atque imperii.

Dicat nunc mihi homo aſtutus, quid iſtorum omnium in ſacris Eccleſiæ regulis deſiderari putet, priuſquam Princeps auctoritate eas ſua imbuerit? Epiſcopi an Magiſtratus non ſunt? Jubere, vetare, coercere delinquentes *auctoritate ipſi ſua*, ſibique *propria* & *abſoluta* non poſſunt? Interdictio ſacrorum, excommunicatioque, & illa maxime, quæ anathema dicitur, & vindictæ uſitatæ ſimiles an forte pœnæ non ſunt? Non Canones perpetui erant? non editi in commune? Poſtrema ex his duo qui negat, amens eſt, & vim oculis fecit; ſuperiora citra piaculum crimenque hæreſis negari non poſſunt. (36) Ecquænam igitur vel cogitando informari ratio a nobis queat, cur non *Leges* adpellari Canones debeant, niſi tum primum, poſtquam ἐπικυρωτικον συνταγμα procuratum impetratumque ſit? Utor his verbis, quæ nos latine *Juſſum confirmatorium* interpretari cogimur. Cujus tametſi in ſynodalibus ſubinde ſcriptis fiat mentio: nunquam alio tamen pii Principes ſpectabant, quam ut majeſtatis & auguſti nominis ſui interpoſitu, quæ erant ſancte imperata a ſynodis, iis parendum, obediendumque omnibus modis eſſe mandarent. Neque vero nos ita inſtituti animis ſumus, ut nullas eſſe Principum partes in Eccleſia putemus. Sunt enim: immovero graviſſimæ ſunt: neque poſſumus, quin fraudulentiæ ſuccenſeamus calumniatoris, qui id fingit, non niſi

 præ-

(34) *Apud Euſebium de vita Conſtant. Cap. XX.* " Quidquid in ſanctis Epiſcoporum Conciliis geritur, id omne ad Divinam referendum eſt voluntatem. " *Et in epiſt. ad Epiſcopos apud Hard. Tom. I. Concil. Col.* 268. Sacerdotum judicium ita debet haberi, ac ſi ipſe Dominus reſidens judicet. Quid igitur ſentiunt Donatiſtæ? - - - perquirunt ſæcularia, relinquentes cæleſtia. "

(35) Præfat. ad Nov. 137.

(36) Lib. 4. de Benef. Cap. IV.

præcones Ecclesiasticarum Legum a nobis Principes poni. (37) Quo nihil falsius, nihil iniquius, nihil alienum magis ab iis, qui rem Ecclesiæ contra LUTHERUM & illius asseclas PUFFENDORFIUM, BÖHMERUMQUE, & siqui ex nostris istorum sunt similes, editis libris defenderunt. Ac ne hoc quidem a convicio vacuum est, *meros Executores* poni a nobis Principes. Nam ea si adhibita aliquando vox est ab iis, qui de argumento illo scripserunt; sine invidia profecto usurpata fuit, neque fore isti unquam existimarunt, ut in vulpem, insidiasque tam turbulenti & inquieti Capitis sua scripta inciderent.

Itaque *Executores* cum Principes dicimus, ea ratione dicimus, ut sint; sed majestate circumdati: *Executores*; sed potestate ad eum finem instructi, quam non ab Ecclesia tanquam famulorum censi numero, sed a DEO accipiunt: *secundi a Deo* ipsi, ut TERTULLIANUS loquitur, Regnique, quod ille Filio suo destinavit, isque sanguine suo comparavit, Defensores. *Executores* tandem; sed qui *gladium portant ad vindictam impiorum*. Sunt autem impii, qui in leges Ecclesiæ peccant. Quare & ulcisci illas potest Imperator, & cum in suo jam ille genere perfectæ, absolutæque sint, hoc est, *sacræ Leges*; potest civilium insuper in legum numerum eas optare, ut utroque jam sint nomine, qui peccant, improbi, quosque censuris tantum Ecclesia persequitur, civilibus iidem pœnis, carceri, exilio, fortunarumque mulctationi obnoxii sint. Atque hic, hic ille est modus, quo *imitari se sacros Canones* Principes dicunt; (38) hunc secuti, pro *Legislatoribus* se gesserunt rerum sacrarum. Sic CONSTANTINUS fecit, (39) sic MARCIA-

(37) Vide. quæ Cap. I. hujus libri art. IV. §. IV. de Episcoporum potestate scripsimus. De excommunicationis autem vi lege CHRYSOST. Homil. *de Anathematismo fugiendo*, quæ extat Tom. V. opp. & est 37ma. HIERONY. item Comment. in Hoseam Cap. 6. ubi expulsionem de Ecclesia expulsioni Adami de Paradiso esse similem docet. AUGUSTINUM quoque L. I. cont. advers. Leg. & Proph. Cap. 17. *Claves regni cælorum sic dedit Christus Ecclesiæ, ut non solum diceret*, quæ solveritis &c. *verum & adjungeret*: quæ ligaveritis &c. ; *quia bona est &* VINDICANDI *justitia. Illud enim, quod ait*: si nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus, *gravius est, quam si gladio feriretur, si flammis absumeretur. &c.* Et ante hos omnes *Cyprianus* epis. 6. - *Interfici Deus jussit Sacerdotibus suis non obtemperantes - - - sed tum quidem gladio occidebantur, - - nunc autem - - spirituali gladio superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur: neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, & nemo salvus esse nisi in Ecclesia possit.*

(38) *Princip. Juris Publ. Eccles. C.* VIII. §. IV. Meros hac in parte præcones, Canonumque executores fuisse Principes, probabitur ægre &c.

(39) *Cap. cit.* §. III. Principes orthodoxi, quidquid rite constitutum erat a Sacerdotibus, religiose amplectebantur, Legibusque firmabant, quod proprie est *imitari sacros*

NUS (40) ſic THEODOSIUS, ſic JUSTINIANUS, (41) ſic CAROLUS MAGNUS, (42) ſic HUNGARIÆ REGES. (43) Hoc a LEONE item CÆSARE ut fieret, LEO Pontifex datis literis ab eo contendit, (44) & a THEODOSIO CÆLESTINUS. (45) Et ſunt illa tandem exempla, quibus Codex refertus eſt, Novellæque, & Capitularium Regum Francorum libri. Quid? ſi nec ii nos ſimus, qui obnitendum eſſe Principi putemus, quominus conſilia ſua conferat cum *ſacerdotio*, & det operam, ne quæ a Patribus ſunt ſalubriter ſancita, vel deſuetudine vel negligentia obſoleſcant, etiam Epiſcoporum? Quid? Si & in ea opinione ſimus, etiam atque etiam eſſe adcurandum Eccleſiæ, ne ſuis legibus præjudicium civitati & Imperio faciat? & id ſi contigerit, demonſtratumque pro eo ac oportet, fuerit, retractandam eſſe legem? ſed ab illa,

Canones. §. IV. *ſub aſteriſco*: Imperatores dum iu ſuis Conſtitutionibus præcipiunt obſervantiam Canonum &c., utuntur nomine *Legis*, & pœnas non ex Epiſcoporum arbitrio, ſed ſuo placito apponunt, quod *Præco* non poteſt, ſed Legislator.

(39) Vid. epiſt. Conſtant. apud Socraten Lib. I. Cap. VI. nec non hiſtoriæ tripart. L. 2. Cap. 15. - Epiſt. Conſtant. de Paſchatis celebratione apud Hard. Tom. I. Col. 447.

(40) Vid, Concil. Chalced. Act. IV. apud Hard. Tom. III. Col. 438. ubi ex Mandato Marciani ajunt judices: *Dicat S. Synodus, utrum ei placeat ex regulis Patrum hujus cauſæ* (quæ agebatur inter Photium Tyri, & Euſthatium Beryti Epiſcopos) *quæſtionem examinari, an e ſacris pragmaticis?* Reſpondit Synodus: *Contra Canones nihil pragmaticum valeat, Canones Patrum teneant.* Vide etiam Act. 6. Col. 487. ubi Imperator Capitula quædam de Monachis & Clericis pervidenda & *firmanda* S. Synodo offert. Item *Interpretationem Legis* THEODOSII J. *contra* FLAVIANUM apud Hard. T. III. Col. 673. Item literas ad PALLADIUM præfectum prætorii &c. ibid. Col. 675. &c.

(41) In Baſil, LI. Tit. I. de ſumma Trinit. & fide Cathol. - Codex Juſt. Lib. I. Tit. III. L. 41. 42. &c. - Nov. V. cap. 9. CIX. Præf. LXXXIII. Cap. I. CXXXVII. Cap. I. *Conferatur* PETRUS DE MARCA *Lib. II. de Concord. Cap.* 7. *N. VIII.* Unde eſt, *inquit*, quod de ritibus, ceremoniis, Sacramentis, Cleri cenſura, functione &c. Canones a Conciliis, & Decreta a Pontificibus Romanis tanquam de materia ſibi ſubjecta frequentiſſime edantur, & vix ulla proferri Poſſit Conſtitutio Principum, quæ hac de re lata fuerit ex mero ſecularis poteſtatis imperio. Secutas quidem hac in parte leges publicas videmus, ſed non anteceſſiſſe. *Lege etiam ejuſdem Libri Cap. IX.*

(42) *Teſtatur* CAROLUS *apud* HINCMARUM Remenſem: ſe quæcunque pro fide fecerit, ea feciſſe intentione, ut devoti ſanctæ Dei Eccleſiæ Defenſoris, humilisque adjutoris partes ſtudioſe impleret, ſuaque auctoritate Epiſcopis adeſſet, ne Canonicæ ſanctiones convellantur. *Confer ſi in poteſtate ſunt, mSS. Cl.* SUNDERMAHLER. *Profeſſ. Juris pub. Wirceburgi in Jus pub.* MASCOVII. *Profeſſ. Jenenſis.*

(43) Vid. Synod. *Strigonienſem* ſub COLOMANO Rege circa annum MCXIV. Conciliorum Hung. P. I. p. 53. - S. STEPHANI Decret. L. 2. Cap. I. & 2. quod utrumque nihil, niſi Canon 6. & 7. eſt Concilii *Moguntini* an. 847. - Decretorum Regis Ladislai L. I. Capit. I. de Bigamis &c.

(44) Vid. epiſt. LXXIII. & LXXV. Edit. Ray.

illa, quæ tulit, retractandam: hoc enim est summæ in suo genere, & absolutæ, neque ulli subjectæ potestatis. (46) Verum cum hoc ipsum ita contendimus; vicissim nec ab Imperio præjudicari Ecclesiæ volumus. Nam illud ab exortu jam inde Religionis Christianæ impressum animis sanctissimorum Præsulum fuit, Ecclesiam θεοκρατιαν esse ac suis legibus vivere. Quare nihil pertinere ad se putabant Legem *Papiriam*, (47) de qua Cicero in Oratione pro domo sua, quæ vetabat *ædes injussu populi consecrari.* Nihil illam, quæ ἑταιριας, συναξεις, conventus, societates; tametsi communis lex esset, & ad seditiones impediendas lata. (48) Nihil, quæ arcam communem, actorem habere aut syndicum prohibebat, exemploque reipublicæ, quæ agi fierique debent, communiter agi ac fieri: tametsi & illa lex erat hujusmodi, quietemque ac publicam pacem spectabat. (49) Paucis: quid volo? illud quod ab Evangelio edocti sumus, *reddi Cæsari, quæ sunt Cæsaris, Deo, quæ Dei sunt.* Hoc ab Catholico, qualem præ se fert, quem contra disputo, solicitari, molestum accidit, nec est ferre Catholici pectoris. Sed nempe intererat viri, a multis annis ei monstro præludere, quod pariturus erat. Subducamus modo, quod ex disputatione conficitur.

X. Cum sit Christi Ecclesia aspectabilis; cumque nullis terrarum atque regnorum, nullis temporum coarctari finibus ea debeat: cum sit *una* inter infinitas hæreses & schismata, quæ quidem & secutura esse ab Apostolo prænuntiatum fuit, & extitisse atque etiamnum existere experientia docet ac docuit omnium sæculorum: cum eadem non solum una adpellatione sit

Chri-

(45) Tom. I. Concilior. Hard. Col. 1474. inter Acta Synodi Eph. Act. II.

(46) Retractare Ecclesia censetur, si patiatur, promulgationem in regno non fieri: ad eum modum, quo in Gallia plura Decreta Concilii Tridentini promulgata non sunt. Quanquam de hoc non unam esse video Theologorum sententiam. Legantur, qui de re ea scripserunt: non est enim meum, quæ causa impeditæ promulgationis fuerit, hoc loco quærere.

(47) *Cicero pro domo sua:* video enim esse legem veterem tribunitiam, quæ vetet, injussu plebis, ædes, terram, aram consecrare.

(48) Leg. I. §. I. Tit. IV. Dig. Quod cujuscunque universitatis nomine Lib. III. Quibus permissum est corpus habere Collegii, Societatis, sive cujuscunque alterius eorum nomine, proprium est ad exemplum reipublicæ; habere res communes, arcam communem, & actorem sive Syndicum, per quem tanquam in republica, quod communiter agi fierique oportet, agatur, fiat. Cum qua lege componatur

(49) Dig. L. XLVII. Tit. XXII. De Collegiis & corporibus lex III. In summa autem, nisi ex Senatus consulti auctoritate vel Cæsaris Collegium vel quodcunque tale Corpus coiverit, contra Senatus consultum & mandata & Constitutiones Collegium celebrat.

Christiani nominis; ſed & *determinare* credenda poſſit, *præſcribere*, *jubere*, *abſcindere*que a ſe rebelles, *damnare*, & orco ſic tradere, ut etiam in cœlis ſit ejus rata ſententia: cum poſſit *canones* atque *leges ſua authoritate*, ſuis auſpiciis condere, & in transgreſſores juſtis pœnis animadvertere: cum ex innumeris ſectis ſola ipſa *dominatrix*, ſola *imperans*, ſola *vera* ſit: cum *demonſtrari* oculis ac digito poſſit, ut πολιτεια quævis, civilisque Communitas: profecto quisquis *ſtatum* porro, verique nominis rempublicam eſſe illam negat, is quid tandem animo verſet, neque nos aſſequi cogitando poſſumus, ac ne ſuſpicari quidem. Quid eſt enim *ſtatus*, *niſi multitudo*, ut ita dicamus, *ſtans per ſe ac ſuis legibus vivens?* Quid res publica, niſi *familiarum*, *rerumque inter ipſas communium ſumma poteſtate ac ratione moderata* & colligata *multitudo?* (50) Sic BODINUS eam definit, & quamvis non verbis illis omnes utantur; in eandem certe loquuntur ſententiam, nec PUFFENDORFIUS, aut qui exſcribere eum conſuerunt, a definitione illa diſcedunt. Subſtituantur nunc igitur in locum *familiarum* Epiſcopatus Eccleſiæque ſingulæ (nam *res communis* quæ ſit, Chriſtianum puto neminem fugere) quid deeſt, quominus *ſtatus*, resque publica Eccleſia nominari, non dico poſſit, ſed debeat?

Quanquam cur illud quæro, quod quam ſit connexum ac fluat ſponte ſua, clarius luce eſt? Eſt enim ita prorſus habendum: quisquis Eccleſiam, qualem Catholica fides poſcit, ac nos modo deſcripſimus, admittendam ſibi retinendamve putet, non poſſe eum, niſi amens ſit plane, eandem aut eſſe *ſtatum* negare, aut ſacram *rempublicam*. Quemadmodum qui *reipublicæ* illam gradu, dignitateque ſpoliat, neque *unam* profiteri amplius omnino poteſt, neque ſummo imperio colligatam; ſed ſentinam, ut dixi, colluvionemque eam facit omnium ſectarum. Atque id fuit, quod JURIÆUM & PUFFENDORFIUM velle docui: & ut repetam, quod altiſſime impreſſum animis cupio, quid confeſſione eſt illa PUFFENDORFII diſertius? Si ſit *ſtatus* Eccleſia, ac *regnum ſacrorum*; diſputationibus fruſtra otium teri, *cum quidquid in diverſum objiciant Proteſtantes, vel eo ſolum nomine repudiandum ſit, quod ab interpretatione & traditione Eccleſiæ diſcrepet.* Quid iſta: *rationem Catholicos haudquaquam fugere, cum Eccleſiæ imprimis vocabulum crepent, vindicentque illud ſibi*, tum *cæteris omnibus hæreſeos convitio rebellionis notam impingant. Hoc quippe ſolum ubi pervicerint, totam*

 cau-

(50) Bodinus de Repub. Lib. 1. Cap. 1. ſtatim in initio.

causam eos obtinuisse, & siqui læsos se putent, iis præterquam ut supplicent, & vota fundant, nihil reliquum fieri. Quamobrem verissime est a me illud positum, nec si tota factio *Febroniana* in cœtum coeat, unquam falsum ostendet id, quod demonstraturum me esse receperam, FEBRONIUM, a quo optata laudataque PUFFENDORFII est ea Doctrina, in ruinam Catholicæ Ecclesiæ scripsisse.

XI. Age enim, revincar calumniæ, si intuli; refellar si possim! tria pono. Sunt ipsa verba FEBRONII, *Ecclesiam non esse statum*, & id *vere* a PUFFENDORFIO sic esse scriptum. Quæro jam, ubinam legerit, PUFFENDORFII esse illam sententiam? in ipso libro PUFFENDORFII, quem citat, qui est: *de habitu Religionis Christianæ ad vitam Civilem?* in quodam alio ab ejusdem professionis homine conscripto? in Catholico libro? nam est unum ex his tribus necesse: neque enim *Pythonissam* opinor exemplo Saulis adhibuit. Si primum; quo factum miraculo est, nihil ut ei ex toto libro præter paragraphum trigesimum secundum, paginamque centesimam trigesimam nonam in oculos scribenti caderet? Quei factum, immo quei potuit fieri, ut vel tantillum non præterea legerit; ac si legerit, ut non adverterit, explicatissimum, clarissimum, evidentissimumque esse sensum Auctoris, velque solum hoc si iste pervicerit, *Ecclesiam statum non esse;* ipsam arcem causæ catholicæ jacere pessumdatam? Nihilominus scripsisse VERA PUFFENDORFIUM ait: ac tum vera scripsisse, cum Ecclesiam esse *statum* negavit, remque publicam, ac regnum sacrorum. VERA tum igitur ait scripsisse, cum eo sensu negavit *statum* esse, quo si sit, *totam causam obtinuerunt* Catholici; si non sit, ipsam *arcem* amiserunt, *totamque molem, quæ fundamento huic superstructa est, corruere ultro necesse est.* Hæc enim verba PUFFENDORFII sunt; hunc ille solum profitetur sensum; hunc solum audimus, legimus nos; nec qui alium verbis subjecerit, unquam fuit. Agite viri! succurrite heroi vestro, labitur, cadit, jacet. Nec resurget; si alterum responsuri estis, in PAFFIO exempli causa, aliove sive Doctrinam sive verba PUFFENDORFII eum legisse exscripsisseque imprudentem. Redit enim, quod posui. Quotusquisque enim ex ea schola aut sententiam, aut verba, aut libellum PUFFENDORFII laudat, quin id una innuat, certissimam sive stragem, sive victoriam rei Catholicæ ex quæstione ista una pendere? * An ignorabat, quod sane nemo ignorat, ideo *aureum* adpellari libellum consuesse, quod sint cardines fundamentaque omnia Catholicæ Ecclesiæ compendiaria brevique opera in eo concussa?

Tandem nec tertium juvare poterit. Quotquot mentionem enim ex nostris de pronuntiato PUFFENDORFII ac libro faciunt, tanquam de monstro faci-

* Si in alembicum mittantur, Paffius, Böhmerus, Thomasius, aliique; prodibit hæc *quinta* semper *essentia.*

faciunt: ut vel inde ab exſcribendo laudandoque deterreri, ſi mens bona erat, debuerit? Et quis credat, cum ZALWEINIUM toties teſtem ipſe patronumque ſuum excitaverit, atque viri hujus in omnium manibus ſcripta verſentur; non in hoc ſaltem & ſcopum & exitum, & perniciem PUFFENDORFIANI dogmatis eum vidiſſe? Atqui quinquaginta & pluribus paginis in exponendo refellendoque illo ZALWEINIUS occupatur. Repeto, juvate viri, juvate heroem veſtrum!

XII. Sed neque facitis, neque poteſtis facere. Nam quod in ſecundo is tomo defendit ſe ita: *Dixerat* FEBRONIUS *cum* SAMUELE PUFFENDORFIO, *nullam ex tribus formis Ariſtotelicis, Monarchicam, Ariſtocraticam & Democraticam convenire ſtatui Eccleſiæ, neque huic per rerum naturam poſſe applicari: ſiquidem hæ formæ ſolum cadant in ſtatum* CIVILEM, *ſeu* POLITICUM, *qualis non eſt Eccleſia*: (51) In hoc ego dolum, purum putumque dolum, fraudem fallaciamque agnoſco. Quid? itane dixerat FEBRONIUS? Hoc ille ſolum ſcripſerat? Ergo nunc ego verba heic iterum admetiri cogor, ut & legi & comparari ab unoquoque poſſint. Scripſerat ſic: *Quisquis a nobis hoc interrogat, non ſuccenſeat, ſi ei reſpondeamus cum viro ſacris quidem Proteſtantium addicto, ſed docto & rerum politicarum cumprimis perito, atque in hac parte vera tradente*: IN ECCLESIIS FORMANDIS NON OPUS EST DECRETO SUPER CERTA REGIMINIS FORMA INTRODUCENDA; ABSURDÆQUE ADEO SUNT QUÆSTIONES, MONARCHICA, ARISTOCRATICA, AN DEMOCRATICA FORMA COMPETAT ECCLESIÆ. HÆ QUIPPE FORMÆ CADUNT IN STATUM ALIQUEM SEU CIVITATEM: ECCLESIA AUTEM STATUS NON EST. Sic, atque nihil præterea.

Cedo jam, pro eodemne ſunt: *Eccleſia ſtatus non eſt*; & iſta: *Eccleſia ſtatus civilis ac politicus non eſt*? Pro eodemne: *brutum animal non eſt*; &, *brutum animal rationale non eſt*? Adpello autem ſingulos, quibus legendi aliquando PUFFENDORFII eſt facta copia, cum ille ſtatus ab Eccleſia naturam proprietatemque removet, idne agat, idne dormiat (nam dormiſſe neceſſe foret) ut *civilem* aut *politicum* non eſſe ſtatum Eccleſiam probet, prout *civilis* ſtatui *ſacro* opponitur, & eſt *dividens membrum* ejus *generis*, quod voce *ſtatus* exprimimus? Quid juvare *Proteſtantes*, quorum eſt bono libellus ſcriptus, poterat, Eccleſiam profanum non eſſe ſtatum: quod neque Catholici dicunt, neque dicere niſi furens poteſt? Ergo

(51) Tom. II. pag. 381.

go *statum* esse negavit: non *civilem* seu *profanum* duntaxat statum. Et cum quæri vetat, quæ sit forma regiminis in Ecclesia, Monarchicane, an Aristocratica vel Democratica; non ideo vetat, quod civili, id est profano sint tantum statui hæ formæ propriæ (nam id si fecisset; de voce litigium movisset, neque aptum, neque otio dignum ac sumptu) sed vetat, quoniam *nullum* esse *statum* pertendit *præter civilem*: cum *civilis* igitur status Ecclesia non sit; prorsus *statum* non esse concludit: itaque nec de regiminis quæri forma oportere, quoniam tum solum huic est locus quæstioni, cum de *statu* sermo est. Quid adeo, si verbis disertis *regnum sacrorum* & nominet, & expugnaturum se dicat? quid? si ne esse quidem Ecclesiam, præter collegia, sodalitiaque pia, & innexa, & obligata, & subjecta profanæ reipublicæ? Ac nonne totis id viribus molitur, ut colligationem atque nexum tollat Ecclesiarum, jus legum, decernendi, compellendique vim ac potestatem? Istorum nihil a FEBRONIO ignorari, puto sic me probasse, ut quod hiscat, non habeat. Nihilominus & laudavit PUFFENDORFIUM, & verba ejus adsumpsit, & heic vera eum scripsisse pronuntiavit. Adeone jam amans est sui, ut nos mentem atque oculos in sui gratiam velit abjicere?

XIII. Ego vero hoc plus etiam dico, ne nunc quidem, cum se defendit, a prima scabie eum recedere. Quod enim *Civilis* se status proprietatem ab Ecclesia removere scribit, haud quaquam est satis ad excusationem, neque accipimus, quoniam omnium *Protestantium* est ista vox. Hi quippe, ex quo nullum in rerum natura extare statum contendunt præter Civilem, solent hoc ipso, quod Ecclesiam Civilem aut Politicum non esse dicunt, prorsus neque status dignandam nomine, significare. Heinc adeo tritum illud in Catholicos convitium, *monstrum politicum* eos animis fingere: ac *Jansenista*, qui certe omnem ab Ecclesia notionem status propulsatam cupit, eodem utitur genere sermonis, iisdemque verbis. Deinde quo illud referam in defensione positum: in Ecclesiam non cadere regiminum consueta nomina, *neque applicari eidem posse per rerum naturam?* Nam a PUFEENDORFIO quem in sensum ea dicantur, probe teneo. Sed FEBRONIUM volo dicere disertius, fateaturne Ecclesiam unam, aspectabilem, Ecclesiam, quæ, demonstrari possit, *summo imperio colligatam*, *jubendique & compellendi auctoritate* præditam? Si est hujusmodi, quæ queat ratio adferri probabilis, cur *per rerum naturam* aptari ei consueta nomina non possint? Est enim tam ἄρχειν, ex quo Monarchia, quam κρατεῖν, ex quo duo reliqua formantur, nihil aliud, quam *imperare*; Imperium autem si est, penes nullos esse non potest. Quare aut penes unum sit

opor-

oportet, aut penes multos, aut penes omnes. Penes quoſcunque autem exiſtat, ac qualiſcunque exercendæ poteſtatis ſit modus, temperatioque; deſignari neceſſe eſt poſſit, ſimplicique aut complexo nomine ex pervulgatis tribus ſignificari.

Eſt & alia in Defenſione κρυψις jocularis valde & lepida. Fingit, nihil admodum ſibi objectum eſſe ab eruditiſſimo Adverſario, quam quod hominem non Catholicum laudaverit, & teſtimonio ejus ſit uſus. Tum ne porro aures *delicatas* offendat, *daturum* ſe ait *auctoritates mere catholicas, easque irrefragabiles.* Itaque Baſileenſis Concilii pronuntiatum ſubjicit: *Eccleſiam non ut politica Corpora humanis, &* VARIIS VOLUNTATIBUS *gubernari.* Deinde Clariſſimi viri EUSEBII AMORT ſententiam hujuſmodi: *Formam regiminis Eccleſiaſtici proprie loquendo nec eſſe Monarchicam, nec Ariſtocraticam, nec Democraticam: in his enim poteſtatem dominativam, hoc eſt, poteſtatem regendi pro* LIBITU *reperiri*: cujuſmodi in Eccleſia ex omnium conſenſu habere locum non poteſt. Concludit: *Videat nunc P.* ZACCARIA, *an & quid attentis gravibus his Catholicorum auctoritatibus, in cauſam ſuam lucretur, cavillando ſententiam* CATHOLICAM *viri docti, licet non Catholici.*

Quis iſta legens, ſpirare etiamnum ZACCARIAM putet, nec improviſo hoc velut tonitru enectum, vitam una cum calamo poſuiſſe? Quid enim AMORTIO reſpondere poteſt? quem huic opponet? O Hypocritam! Quaſi vero non eundem AMORTII locum, verbaque eadem ZACCARIAS occupaſſet, & in exordio quidem Capitis illius, in quo de ſtatu, PUFFENDORFIIque atque tua iſta profana & pernicioſiſſima doctrina diſputat? (52) Non te monuerat, de ſola voce virum iſtum litigare? nihil commune habere tecum? nihil cum PUFFENDORFIO? nihil cum iis, qui Eccleſiam eſſe *ſtatum* negant? Atque ita rem eſſe, annon demonſtratum tam evidenter a me fuit, ut ſol clarior non ſit? Tu vero *Catholicam* etiamnum ſententiam adpellare audes, quam ego peſtem eſſe rei catholicæ dixi; ac tanquam nihil PUFFENDORFIUS, tuque cliens ejus ſcripſiſſetis, quam non *pro libitu* res Eccleſiæ adminiſtrari; AMORTIO & *Baſileenſis* Concilii Patribus te circumdas, fucumque facis & hiſtrioniam. Collige te, quæſo! Scribit AMORTIUS, ſi *pro-*

(52) Antifeb. Diſſ. 1. Cap. 1. Recitatis verbis Cl. AMORT, ſubdit: Ma queſto erudito Canoniſta nella ſoſtanza non ci e contrario. Perocché ſolo eſclude dalla Chieſa il dominio PRO LIBITO.

proprie loquendum ſit (nam ſic illi eſt viſum, quamvis mihi non item) *nec eſſe Monarchicam, nec Ariſtocraticam, nec Democraticam Eccleſiæ formam.* Quare? quia *reperitur in his poteſtas regendi pro* LIBITU. Tu vero quid? *Abſurdæ ſunt quæſtiones, Monarchica, Ariſtocratica, an Democratica forma competat Eccleſiæ.* Quare? quia *Eccleſia* STATUS *non eſt.* Dic per Deum! pro eodemne iſta ſunt? pro eodemne? Nempe his tu præſtigiis, his ignibus fatuis ad illudendum opus habuiſti. Ergo nunc ſaltem *Eccleſiam ſtatum eſſe* fatere! Quod ſi feceris, jam me onere liberaſti, contra te porro aliquid ſcribendi: adeo & tuæ & meæ vis diſputationis in uno hoc, an Eccleſia *ſtatus* ſit, & requieſcit & tota vertitur. Sed minime facies. Jam enim legum edendarum poteſtate Eccleſiam ſpoliaſti; (53) jam eam non *ſtatum*, ſed *ſodalitium pium* eſſe ſcripſiſti: (54) jam civili imperio non obſcure ſubjeciſti; (55) jam ſparſiſti, jam laudaſti, quibus admiſſis & Clerum univerſum & Epiſcopos, & Eccleſiam totam immunitate privilegiiſque prope omnibus foret exui neceſſarium. ſed de hoc quidem ne ego multa dicam, mea me ratio cohibet. Satis eſt, oſtendamque per decurſum operis, tua omnia cum PUFFENDORFIANO hærere illo, Eccleſiam non eſſe *ſtatum*, non *rempublicam*, non ſacro *imperio* præditam, quodque inde conficitur, eſſe congeriem, multitudinemque omnium ſectarum.

Sequitur in Defenſione: *Dicat Zaccarias, quantum volet Eccleſiam eſſe ſtatum, ſeu regnum ſpirituale; eam equidem eſſe in Imperio, regno, ſeu quovis ſtatu politico, ſed ſicut in corpore eſt anima: hæc omnia nunquam dabunt juſtam de forma ſeu ſtatu Eccleſiæ ideam,* Compatior homini, qui cum ſymbolum quotidie recitet (neque enim, quod de PETRO AURELIO memoriæ eſt proditum, ſuſpicari de eo poſſum) neque ideam Eccleſiæ habet, neque notionem iſtius articuli: *Credo in unam ſanctam catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam.* Verum ego & quid ſit Eccleſia, jam docui, & modo pluribus docere volo. Adſumamus, quod proximum eſt.

(53) Loco ſupra citato. (54) Ibid. §. Cum Eccleſia non ſit *Status* hominum a civitate profana diſcretus, ſed *ſodalitium pium* eidem nexu intimo concretum. (55) Ibidem toto capite.

§. III.

§. III.

Ecclesia status sacer, cujusmodi debet esse ex instituto Christi, esse prorsus & omnino non potest, nisi caput centrumque sit, quo Ecclesiæ nectantur.

I. Ecclesia *Status* est, *Principatus* est, *respublica* est; non ad profanum ea fastum quidem formata, neque ad Cæsares ac principes subigendos; sed regno Diaboli atque peccati opposita, & ad verum Dei cultum, felicitatemque æternam hominum comparata. Quo ipso fit, ut ea omnia, quæ ad fidem & mores pertinent, determinare *cum authoritate* possit, atque anathematum vinculis innodare contumaces & imperio Sathanæ tradere. Id ostendimus, quantum satis arbitrabamur fore Catholicis. Cæterum quibus ratiunculis investiri solet opinio contraria, refellam tum illas, cum a Febronio in medium adlatas videro. Quanquam & occupatæ jam eæ sunt, & destrui facile ex dictis possunt. (54) Legantur interim Clarissimus Schwarzius, qui toto pondere sermonis in dissipandas illas incumbit, nec non Zalweinius, cujus jam supra mentionem aliquam feci, ac si ad manum sit (non enim est multis in Ger-

(54) Ex. g. Eum inquiunt, qui Statum remque publicam fundat exemplo Moysis, personam Principis in se adsumere, tum territorium sibi providere, colligere populum & illi jus dicere, leges præscribere, delinquentes pœnis subjicere, Magistratus constituere, atque etiam hostes vi armata depellere. Nihil istorum omnium fecisse Christum. Itaque nec Statum dici Ecclesiam posse.

Sed hoc in argumento quod ponunt, nihil nos opus fuit a Politicis primum discere. Jam enim a Clemente Alexandrino didiceramus, a quo pulcherrime est ille locus diductus in II. Stromatum. Fuisse Moysis institutionem παιδευτικην inprimis adserit, hoc est in formandis instituendisque iis versatam, qui possent viri boni & honesti esse; tum θηρευτικην, ut augeretur similium virorum multitudo ac numerus, atque hanc vere ϛρατηγικην esse seu Imperatoriam artem. Exinde σοφιαν νομοθετικην ponit, seu sapientiam ferendarum Legum, quam maxime regiam esse dicit. Ac jam supra illam diviserat in δικαϛικην seu *Judiciariam*, quam scientiam esse ait corrigentem ea, quæ sunt errata propter id, quod justum est; tum κολοκαϛικην, quæ est scientia pœnas pro delicti gravitate moderans. Itaque his rebus contineri rempublicam.

Jam quod ita adsumunt novi homines, nihil omnium istorum in Ecclesiam cadere, quid quove sensu dicant, prorsus non adsequor. Quid enim volunt? Ecclesiam *profanam* rem-

Germania) doctiſſimus & elegantiſſimus ſcriptor THOMAS MARIA MAMACHIUS in præſtanti opere *Originum & Antiquitatum Eccleſiaſticarum* Tomo quarto. Nos illud, cujus cauſa ſuperiora ſunt iſta diſputata, paulo attentius & animis liberis conſiderare nunc volumus.

II. In eo res vertitur, poſſitne, qualem eſſe docuimus, *ſtatus* resque publica Eccleſia eſſe, niſi fons, origoque atque centrum quoddam ſit Eccleſiaſticæ unitatis; principiumque, a quo moveri infinitam iſtam molem oporteat, a quo pendere omnes, in quod reſpicere, quoties hæreſes, ſchiſmata, & offenſiones naſcantur. Id ego ἀδυνατον eſſe dico, nec poſſe animo concipi. Ac ſi ad providentiam divinæ mentis pertinuit, non ut unum hominem atque monarcham, qui ſe ſolo, proque nutu & arbitrio

publicam non eſſe? id vero neque nos unquam ſomniando cogitavimus. Eſt autem turpiſſimum, cum de ſacra & divini ordinis loquamur republica; nec modo ſciant hoc ipſi, ſed & verbis diſertis hanc ſe unam ita adfirmatam deſcriptamque expugnaturos ſpondeant: eo aciem tamen & omnes machinas ab illis converti, ut *profanam* non eſſe oſtendant: quod neque nos dicimus, neque expugnandum unquam ipſi ſumpſerunt. Quodſi hoc agunt, nullo ſenſu ac modo, nulloque in genere Eccleſiam *Statum* eſſe, dicique poſſe; nihil eſt, quidquid objiciunt. Quid enim? Chriſtus *Princeps* non eſt? At fore regem illum Prophetæ prædixerunt: & Pilato interroganti, Rexne eſſet, omnino Regem ſe eſſe reſpondit, addiditque, non eſſe *de hoc mundo* regnum ſuum, id eſt, non profanum quidem, ſed *in hoc mundo* tamen, ut Auguſtinus interpretatur. De *territorio* nolo dicere, quale ſit, quod oſtentant. Eſt enim ridiculum, interrogare, quod territorium is ſibi comparaverit, quem *hæredem univerſorum conſtituit* Pater; cujus *hæreditas gentes, & poſſeſſio termini terræ*; quique poſtquam *omnem ſibi a Patre poteſtatem* fuiſſe *traditam* dixit, quaquaverſum, nullis marium, nullis regionum definitis finibus miſit Diſcipulos, ut Evangelium promulgarent, Eccleſiam unam facerent, regnum dilatarent. Ergo & populum ſane ſibi collegit: immovero & nunc colligit: quod erat tertium. Jus autem quemadmodum dixerit, leges ediderit, Magiſtratus deſcripſerit, edendarumque his etiam legum, pœnarumque arbitrium & poteſtatem fecerit, quibus armis inſtruxerit: ſupervacaneum eſt hoc loco repetere, quoniam ſexcenties eſt a noſtris & adcurate expoſitum.

Argumentum alterum a S. Optato petunt. Nam is in tertio libro adverſus Parmenianum, *Non enim*, inquit, *Reſpublica in Eccleſia eſt, ſed Eccleſia in Republica, id eſt, in Imperio Romano.* Audimus. Sed cur non viciſſim nos audiunt, cum AMBROSII hoc illis opponimus: *Imperator intra Eccleſiam eſt, non ſupra Eccleſiam?* vide literas Paſtorales illuſtriſſimi de Beaumont Pariſini Archiepiſcopi anno 1756. die 19. Septembris. Alioquin perſpicua eſt OPTATI ſententia. Is enim in primo jam libro Epiſcopos *omnium apices*, *Judices* atque *Principes* eſſe dixerat Chriſtianorum. Cum autem CONSTANS Imperator argentum in Africam miſiſſet ad inopiam pauperum ſublevandam; id, quam neſcio in partem a DONATO homine impio, monſtroque Epiſcopalis nominis acceptum eſt: vetuitque non ille modo, ne eleemoſynam aliquis admitteret, ſed in verba plane iſta prorupit: *Quid Imperatori cum Eccleſia?* Hujus igitur amentiam viri caſtigat in illo loco OPTATUS. Oſtenditque, quam ſit ſceleratum,

trio ſuo regeret, terrarum orbi præfectum vellet; ſed in principatus totidem, quot ſunt Epiſcopi, infinitam eam, quam dixi, rempublicam, ne ipſa mole interiret ſua, diſpeſceret: certe eoſdem ipſos principatus niſi in uno ſubinde junxerit, colligaritque; factiones quidem habere multas poteſt, hæreſes multas, latrocinia multa; Eccleſiam, regnum, remque publicam habere non poteſt. Immovero præcipitabimur (ſic profus eſt: *Febronianæ* iſta ratio Theologiæ, procurandæque pacis is exitus erit) præcipitabimur volentes, nolenteſque in illud barathrum, ut Eccleſia ſit nulla, niſi ex colluvione conflata omnium ſectarum.

Age enim, quid tandem volo, cum volo *centrum* eſſe Eccleſiaſticæ unitatis? Id utique: oportere ſive Epiſcopum, ſive Epiſcopatum extare *unum* (quod ita pronuntio, ne in litem, in quam modo non volo, ingrediar) alterutrum inquam, ſed *unum* tamen, cui quæ ſint devinctæ ex cœteris per terrarum orbem Eccleſiis, eædem *ſolæ* Eccleſiam Chriſti, ſponſamque veram efficiant: reliquæ, quarum apertum, & meditatum ab illo uno divortium eſt, non pertineant ad Eccleſiam Chriſti omnino. Atqui ſi in hoc fallor; fit alterum, quod dixi, collectione neceſſaria, ut ne ſit quidem Eccleſia in mundo ulla, niſi ſentina ſectarum. Ita enim ſtatuendum eſt: Cum ſocietates hominum CHRISTUM colentium, ſcripturamque ſacram & idem ſymbolum profitentium pro regnorum & provinciarum, quas incolunt, diviſæ ſint numero; tum vero æquales inter ſe omnes eſſe, neque alteram alteri poteſtate, & imperio præſtare. Quamobrem neque ea quæ in *Hiſpaniis* eſt Chriſtianorum Societas, *Gallicana* penes auctoritatem comparata ſecum, præſtantior eſt, neque iſta viciſſim. Quippe utraque paſtoribus regitur ſuis, quorum eſt una per terrarum orbem curatio, una auctoritas. Itaque nec obnoxiæ ſibi invicem ſunt. Stant per ſe igitur,

in Imperatorem, qui a Deo ſecundus eſt, impuram linguam exerere. Ac ſi ex Apoſtoli præcepto pro omnibus etiam Ethnicis principibus fundendæ preces ſint; quanto magis pro *Chriſtiano*, pro tam *religioſo* & *miſericorde* principe, & *domibus Dei ornamenta*, & *pauperibus eleemoſynam* mitteret. Meminiſſet, non ex Eccleſia eſſe natum Romanum Imperium; ſed hoc illa prius fuiſſe, ſicut natura eſt illo prior, quod ſupra naturam eſt. Potius tanquam in hoſpitio & domicilio, ſic in Imperio eſſe Eccleſiam, atque ita quod ſponſæ *Libanus*, id Eccleſiæ Romanum *Imperium* eſſe. Deferret itaque DONATUS, quod jura hoſpitii poſtulant: coleret Imperatorem defenſorem Eccleſiæ: non enim perinde apud gentes barbaras eam tutam fore: Hic ſenſus, hæc ſumma verborum S. OPTATI Milevitani Epiſcopi. Legantur! Heinc autem quemadmodum conſequens eſſe poſſit, quod Adverſarii contendunt, non per ſe ſtare, nec ſui juris ac poteſtatis eſſe CHRISTI Eccleſiam, prorſus neque ego intelligo, neque ipſi, opinor, capiunt.

ac arbitrii & juris unaquæque eſt ſui. Quare quemadmodum ſi regna decem regno uni componas; imperare non illa huic, nec ferre leges poſſunt; quoniam diſparata ſunt, majeſtatiſque ac poteſtatis deſtituta communi nexu ac centro: ita ſi vel unam te Eccleſiam ſperes poſſe reliquis ſubjicere; falleris, perdeſque operam. Sua erit *Anglicana*, ſua *Suecica*, ſua *Danica*: credendorum, agendorumque normam nunquam ab aliis eæ accipient. Quid? quod ne a multis quidem. Niſi forte proferre tabulas atque legem poſſis, qua quod pars major ſenſerit ſocietatum liberarum, id eſſe ratum jubeatur ſingulis? Quam tu vero hanc proferes? Quod enim *Eccleſiam audiendam* eſſe mandavit CHRISTUS, habendumque pro Ethnico & publicano illum, qui aſpernatus Eccleſiam monentem fuerit: id de privatis litigiis, ſocietateque quam quiſque ſequitur, interpretandum putabitur: ad *univerſalem*, *dominatricem*que Eccleſiam transferri non poterit. Nec enim erit hujuſmodi in rerum natura. Atque eſto, ſapientum alioquin id valeat, *ſentiendum eſſe cum pluribus*: quis ignorat, quot in exceptiones hæc cadat regula? quam in graves illas, quam frequentes? Non enim ſemper piaculum eſt, a multitudine vinci nolle: ſed eſt tum ſolum, cum pertinacia probabilitati objicitur: quod quotuſquiſque dictum de ſe vere eſſe arbitrabitur? Et ut omnes conceſſerint: quid? is, aut pars ea, cujus ad veritatem eſt cauſa propenſior, an imperare continuo & damnare diſſentientes a ſe ſe alios poteſt? Atque hæc multo tum quidem juſtiſſima expoſtulatio illis videbitur, cum de iis eſt rebus ſermo, quæ ritu & conſuetudine definiuntur. Nam mutationem & varietatem eæ capiunt: ut Clericorum cœlibatus; Euchariſtiæ ſub una ſpecie ſumptio, ſimiliaque, quæ & mutari poſſunt, & pro locorum, temporumque varietate laxari aut ſtringi.

III. Nec jam illud porro objectabimus, eam ſolam habendam Eccleſiam veram, quæ *Catholica* ſit & *Apoſtolica*, *huic* obtemperandum, *huic* adhærendum eſſe. Nam quorſum iſta dicentur? Majores quippe noſtri cum hoc quaſi mucrone perſequebantur hæreticos, pro indubitato ſumebant, Eccleſiam inſtar *ſtatus* cujuſdam habere ſe, & inſtar *definitæ*, & *dominatricis reipublicæ*; cujuſmodi ſublato nexu ac centro eſſe non poteſt. Quare ſi in hoc falſi ſunt; erit nulla *particularium* quarumvis ſocietatum magis catholica, ſed ex æquo omnes, quæ CHRISTUM prædicant. Quod cum ubivis locorum fiat; ex ſectis omnibus Eccleſia una conſurget, quæ *catholica* abſciſſe dicetur. Sic enim iſtud nomen conſecutione quadam doctrinæ neceſſaria JURIÆUS exponit: nec non BUCANUS apud illuſtriſſimos fratres WALLEMBURGICOS. qui inter alios hoc quærit, an propter nævum & vitium in doctrina & Sacramentorum adminiſtratione Eccleſia eſſe deſinat?

Reſpondetque non eam deſinere, dummodo *fundamentum, quod eſt Chriſtus, & ſalus per unicum Chriſtum, & articulis fide ſummis, primis, præcipuis veritatem retineat.*

Alterum pariter, quod *Apoſtolicæ* cognomentum Eccleſiæ addimus, quorſum recidet? Ambigua ſiquidem vox eſt, & explicatum duplicem habere poteſt. Si eo, quo Patres, ſenſu vocem accipias, hoc eſt, ſi *Apoſtolicam* Eccleſiam dicas a ſucceſſione atque ordine Præſulum Romanorum; facies id ſane, quod maxime volumus. Erit enim tum nexus ac centrum ea ipſa Eccleſia. Sin altero explices modo, hoc eſt, ſi *Apoſtolicam* voces, quæ doctrinam conſervat ab *Apoſtolis traditam;* nihil lucrabere. Hoc quippe ipſum, quæ ſocietas eam conſervet, in diſputatione eſſe poſitum dicetur. In opinione igitur res erit. Quare quantovis moliti opere fuerimus; nunquam adſequemur, ut damnaſſe nos eos jure videamur, qui rem aliter habere ſe putant, ac non Apoſtolos eodem quo nos modo docuiſſe. Suadebimus (quis neget?) vincemus, demonſtrabimus, atque pertinacia peccabunt illi quidem, aliove vitio: ſed ut imprecationibus noſtris feriantur, ut anathematum grandine obruantur, ut extorres proſcriptique ab Eccleſia, & tanquam ad terras ſolas amandati contabeſcant inedia, vitalemque a CHRISTO ſpiritum, donec vadimonium præſtent, ad illudque venerint, nullum capiant: id vero quemadmodum exigi, procurari, mandari a nobis jure poſſit, negabunt a ſe unquam intelligi.

IV. Sed inquies: quid? ſi *Conciliorum* eſſe jus illud dixerimus? Conciliis igitur Eccleſiæ ſingulæ colligabuntur. Hoc jam egregie. Ecquis autem tot diſparatas nec ſibi hærentes, ſed ſolutas ac liberrimas Societates in cœtum coget? quis jure atque imperio compellet? Propius: Conciliorum, quæ poſt annorum forte unamquamque centuriam celebrantur, ſi ea vis eſt ac tanta auctoritas, ut decernere, imperare, damnare poſſint; Societatumque, quæ innumerabiles in terrarum ſunt orbe, exiſtit nulla, quin revereri iſtam debeat tam excellentem, tam divinam in Conciliis poteſtatem; quis adeo fungus eſt, ut non ſupponi atque ſumi jam hoc ipſo illud videat, quod nos maxime dicimus? *ſtatum remque publicam eſſe Eccleſiam:* cujuſmodi ſine nexu ac centro cogitari non poteſt. Sunt enim Comitia compendiaria, ut ita dicam, reſpublica. Quare ut priorem eſſe illam oportet Comitiis, defixamque ac ſtabilem; ſic quo colligatur ac nectitur, ſtabile idem ſit, perpetuumque ac ſemper præſens, neceſſe eſt. Id largiar, ac tametſi a ratione abit, dabo tamen, ſi foret continens, annua, aut quinquennalis conſcriptio illa Patrum; conſultum fortaſſe ſatis videri poſſe unitati.

tati. Sed ubi lex, qua, ut ita fiat, præscribitur? neque enim quod infantiæ Ecclesiæ nascentis datum momento est ab Apostolis, id iidem ut *pragmaticum* perpetuumque esset jusserunt. Heinc & Catholicorum adversus *Quesnellianæ* factionis homines contestata rebus certissimis est ista sententia, non ita Conciliis Ecclesiam suam CHRISTUM adligasse, ut carere hæc iis non possit. Quid? quod ipsa raritas idem probat Conciliorum? quæ est tanta, ut intra mille & octingentos propemodum annos octodecim duntaxat eorum numerentur. Et quid, si imperia imperiis, Concilia Conciliis opponantur, damnentque se ea mutuo, & execrationibus obruant? *Basileæ*, *Florentiæque* sic factum est: neque tum primum, sed quam maxime cum *Ariana* ferveret hæresis, quo tempore quid non molitus est Imperator, ut Synodos Synodis, Concilia Conciliis novis obtereret? Tum enimvero utris parendum erit? parendum inquam: neque enim ii nos sumus, qui Ecclesiam Philosophorum comparandam scholis esse putemus, ut aspectare & irridere digladiantes liceat; sequi eos vero, quorum communior esse sententia videtur, & ad veritatem proclivior. Est enim præclusum jam illud effugium: præsertim ubi *rempublicam* esse Ecclesiam diximus summa auctoritate, imperioque præditam, eamque unam, *demonstrabilem*, certam & individuam, ut ita loquamur: ac de illa nunc quærimus, an esse cogitarique sine capite ac centro possit? Negamus vero, nec unquam ratio adferri poterit, quamobrem cum pugnantes sunt synodi, aut illa huic, aut alterutra Ecclesiis cæteris *mandare* queat, credendaque præscribere.

V. Quare quod dicere cœpimus, stabit JURIÆO, BUCANOque, neque convelli quantovis opere a nobis poterit exitialis ea & in communem excogitata stragem doctrina, turpissimaque opinio, Ecclesiam ex colluvione conflari omnium sectarum. Frustra PAULUM, frustra ex annalium memoria excitabimus testes IRENÆUM, TERTULLIANUM, CLEMENTEM ALEXANDRINUM, AUGUSTINUM, HIERONYMUM, BASILIUM, Conciliaque omnia. Frustra hæreticorum texemus catalogos: frustra Decreta, anathemata proferemus. Nam si ad eos ista pertineant, qui non ut *Gnostici*, hæreticorumque nonnulli veterum fundamenta convellunt ac temerant Christianæ fidei; JURIÆO nunquam persuadebimus (sic ipse adfirmat) nunquam, id juris in Majoribus nostris resedisse, ut credendi ea necessitatem imponerent, quæ ante liberum fuit, non credere. Quæ si absurdissima sunt, ut sane, si est quidpiam absurdum, infandumque aliud: sunt eadem tamen verissima, siquidem centrum sustulerimus definitum atque stabile illud, in quo Ecclesiæ coagmentatæ in Principatum coeunt. Deme hoc, & una rempublicam sustulisti; si rempublicam; imperium quoque: si autem impe-

perium; profecto non nisi improbe edocti a Majoribus sumus. *æterna lege sic esse positum: ut extra regni hujus sacrorum pomœria nemini salute potiri liceat.* Perdidisti igitur, quod *ubi solum pervicissent Catholici; totam causam obtinuissent.* Igitur ut verbis quatuor, *arcem, fundamenta, molem*, omnia perdidisti. Hoc scilicet erat, quod PUFFENDORFIUS vidit; hoc ille monuit, hoc totidem iisdemque verbis subduxit.

VI. Sed enim quid ad FEBRONIUM ista? Ita namque objecturos mihi nonnullos sentio ex iis, qui cum legere utcunque didicerint; comparare, intelligereque, quæ sunt lecta, non item didicerunt. Ergo non ille unam, inquient, Ecclesiam & hujus centrum unitatis professus est?

Verum qui sic percontantur, eos vicissim interrogo, neglectumne a me aliquid putent, quominus comparatione ipsa verborum demonstraverim, omnem ab Ecclesia Primatum, omnem funditus toto opere suo FEBRONIUM sustulisse? quo minus demonstraverim, exscripsisse illum, fecisseque suum, quidquid ab Anonymo JANSENISTA adlatum est, ut quod de centro unitatis nos dicimus, joculare ac ridiculum redderet? quo minus demonstraverim, cum PUFFENDORFIO dignitatem, adpellationemque *status* eum Ecclesiæ detraxisse, quod qui facit, neque unam Ecclesiam tueri, neque centrum potest unitatis? Nominat Primatem: esto (nam debebat illud quidem, ut personam ageret) sed qui literarum, queis communicare inter se Ecclesiæ solent, procurationem habeat, atque etiam fortassis monere possit: de quo nos postea, ubi de jurisdictione disputabimus. Verum an hoc illud centrum, hæc illa unitas est, quæ *imperium*, *regnumque* sacrorum, & *dominatricem* quam dixi *rempublicam*, & hanc definitam, certam, ac *demonstrabilem* faciat? Nego, prorsus nego. *Confœderationem* sic quidem Ecclesiarum qualemcunque & arbitrariam intelligo; Imperium non intelligo, perinde atque civile in Germania Imperium sine Imperatore tot inter disparatas ac liberas provincias esse non potest. Sed de hoc alias pluribus. Nunc illud, ad quod velut gradibus quibusdam hucusque ascendimus, ut expediamus, definiamusque, superest.

§. IV.

Essentia Primatus collati PETRO in eo posita est, ut in capite, centroque adspectabili in unum statum & sacram rempublicam colligetur Ecclesia.

I. Et PETRO quidem Primatum inter Apostolos fuisse datum, ac potestatem aliquam præcipuam, qui superiora nostra legerit, inficiari non

volet. Quare nec illud in controversiam venire potest, quin sit idem unitatis causa constitutus Primatus; unitatis inquam, qualem Ecclesiæ, ut ea descripta a nobis hactenus fuit, natura atque ratio postulat. Quod adeo certum est, ut qui contra pugnet, schismatis & hæreseos crimen incurrat ex Catholicorum omnium sententia. Inde cum *Constantiensi* Concilio articuli duo oblati fuissent *Joannis* Hussii, alter, quo is *Petrum nec esse nec fuisse caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ* adstruebat; tum alter, *non apparere, quamobrem necessarium hujusmodi sit caput*: profligatus est uterque articulus, & erroris damnatus. Ut adeo & caput & necessitatem finemque jam Capitis teneamus.

Atque id scilicet erat, quod animadversum volebamus, ubi Christum, quoties Apostolos suos est adlocutus, ac vel ligandi solvendique iis promisit potestatem, vel spiritum sanctum despondit, & in terrarum orbem misit, ordinavitque cætera ad Ecclesiæ necessaria regimen; nunquam *excluso* Petro ista diximus fecisse. Sed ex adverso totidem adhæc vicibus ad unum Petrum sermonem direxisse; nec modo primum huic atque præcipue, sed exquisitissimis verbis procurationem Ecclesiæ suæ demandasse: sic quidem, ut nisi in communionem advocatos reliquos scriptura diceret, dubitaturi minime essemus, quin fuisset uni huic summa rerum, & ἐπισκοπὴ terrarum orbis commissa. Horum enim ista ratio fuit, ut cum Petro centro atque capite suo in unum Corpus, ac nascituram subinde sacram rempublicam Apostoli concederent. Quemadmodum id pulchre *Cardinalis* Perronius, indeque Bossuetius, aliique tum Episcopi, tum Theologi Galliæ observant: quorum verba, cum opportunum fuerit, recitabimus.

II. Quin Ambrosii heinc etiam illud intelligimus præclare scriptum; *ipse est* Petrus, *cui dixit* Christus*:* Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Ubi ergo* Petrus, *ibi Ecclesia*: (57) tanquam si diceret Ecclesiam, nisi quæ *una in* Petro sit, esse veram non posse. Et quod toties Augustinus repetit, Adversariique velut lethiferum telum in nos intorquent centies atque sexcenties, Petrum *propter Primatum suum figuram Ecclesiæ gessisse*; *repræsentasse Ecclesiam* Petrum; *quod huic, id Ecclesiæ esse dictum ac datum:* quæ omnia & verissima sunt & exploratissima, sed ab iis, quorum contra nos stupor in armis est, non intellecta. Plane sic viri! quidquid Petro, id *Ecclesiæ* datum est, sed IN Petro. Vultis ali-

(57) In Psal. L. N. 30.

aliter? Ea *sola* Ecclesia Claves habet, *sola* ligandi solvendique habet potestatem, *sola* vera, *sola* CHRISTI, *sola* imperans atque dominans est Ecclesia, in qua PETRUS est, quæque in PETRO tanquam in centro nectitur, & cujus *caput* post CHRISTUM est PETRUS. Sic *propter Primatum* (cur non advertitis?) *propter Primatum*, propter *præeminentem illum tam excellenti gratia Primatum* personam Ecclesiæ PETRUS gessit: hæc mens AUGUSTINI. Adpellavi *Caput* Ecclesiæ. Prorsus: frendeat, fremat, furat FEBRONIUS, JANSENISTAque frater ejus: PETRUS *caput* erat. At AUGUSTINUS non ita nominavit? Quid tum? *Primatum; Primatum præeminentem; tam excellenti gratia præeminentem* dixit: nonne idem? Oratione igitur, non re discrepat AUGUSTINUS. Nisi forte ex vocabulis æstimanda res sit? Bene est. CAPUT nominavit *Constantiensis* generalis synodus; CAPUT *Florentina*; (58) CAPUT is, cujus est sermo inter sermones AUGUSTINI octogesimus: qui quidem & *Rectorem* fuisse PETRUM totius Ecclesiæ scribit. (59) Idemque, qui AMBROSIUS vulgo creditus fuit, Auctor Commentariorum in Divi Pauli epistolas, pro explorato sumpsit: neque is modo; sed VALENTINIANUS etiam in Novella, quæ est de Episcoporum ordinatione: quin & *Sardicensis* antiquissima Synodus: ac *Theodorus studites*, (60) & Ecclesia in publicis precibus. (61) Quis autem non succenseat, cum pumiliones & humanæ mentis atque indolis centusses duos præscribere Conciliis, Imperatori, priscisque Patribus videt, quo sit genere sermonis utendum?

At enim CHRISTUS, inquiunt, non minus absens, quam præsens corpore tueri Ecclesiam suam potest: ecquid rectore, quid Capite opus? Lepide! Ergo & Parochus, & Episcopus, & Synodus, & quidque sive ad ordinem, sive ad rectionem gubernationemque pertinet, tollatur omnino: nihil his opus est. Quid? quod neque agros deinceps colere, neque serere

rere

(58) Locis alias cit.

(59) *Totius Corporis morbum in ipso* CAPITE *curat Ecclesiæ, & in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem. - - Quid agis, o Petre, future* RECTOR *Ecclesiæ, quid loqueris?* Tom. V. op. Aug. Col. 101. Agit Auctor de PETRO, qui CHRISTUM negaverat, & inde resipuit, factus pœnitentiæ exemplum.


(60) AUCTOR Commentariorum, in Cap. III. prim. ad Corinth. VALENTIN. III Nov. indicata, THEOD. STUD. ad Leon. III. epis. 33. lib. I. Verba alibi referentur *Synod. Sard.* Can. III. Tom. I. Hard. Col. 651.

(61) *Sacrament. Gallican.* Mabill. loco alias cit. ad festum Cathed. S. Petri in Collect. *Deus, qui hodierna die B. Petrum* POST TE *dedisti* CAPUT ECCLESIÆ. Plura hujus generis adferentur per decursum.

rere, neque metere ſit neceſſe, cum etiam iſtud in Dei poteſtate ſit, otioſos & alimentorum incurios ſervare. Quanquam Jansenistæ non heic magnopere ſuccenſeo. Scio ingenium, ſcio operam, ſtudiumque ſectæ: quæ id agit, ut Eccleſiam hominum oculis eripiat, inermemque faciat, & Donatiſtarum exemplo in angulum compingat. Febronium exſcribere furarique potuiſſe eam ſpurcitiem, id vero & admiror & ſtupeo, & iraſcor. Vah!

§. V.

Primatus igitur Petri cum perſona Petri nequaquam interiit.



Jam ex iis quæ poſui, hoc etiam efficitur & cogitur, haudquaquam eſſe extinctum una cum Petro Primatum illum, jusque ac dignitatem *centri & Capitis*; verùm in ſucceſſores ejus dimanaſſe, nec iſtos alios quam Romanos Pontifices. Quorum qui prius negat, iisdem, quibus alterum nos porro demonſtrabimus, argumentis refelli poteſt: tum non ea, quæ hucusque ſunt poſita, ſatis intelligit, aut oppido malus & extreme pertinax eſt. Quid enim? ſi Eccleſia, ut illa foret, quæ eſſe debuit, *Principatus*, *reſpublica*, *regnum ſacrum*, & quæ ſunt hujusmodi; carere centro atque Capite quodam ſuo non potuit: eadem cum eſſe perpetua debeat; careat illo nunc, carueritque annis mille ac ſeptingentis, nec niſi temporarium aliquando, crucifigendumque ac ſepeliendum una cum Petro habuerit? Fuerit igitur ſic quaſi momento Eccleſia una Christi: non erit modo; ſed congeries colluvioque erit infinitarum cujusque nominis atque ſectæ ſocietatum: immovero tot annis fuit, quot ſunt elapſi a Petri morte: quo nihil abſurdius.

II. Neque tam nos incauti ſumus, ut Apoſtolorum fuiſſe cauſa Primatum conſtitutum putemus. Quo non indigebant, qui adverſus hæreſin ſciſſionemque omnem obfirmati animis divina gratia fuerant. Sed poſteritatis ille bono inſtitutus a Christo fuit: id quod pulcherrime Barlaamus *Hieracenſis* Epiſcopus, qui circa annum vixit milleſimum trecenteſimum tertium, in epiſtolarum ſuarum aliqua, quas ad Græcos Schismaticos ipſe Græcus dedit, obſervavit. Quæ epiſtolæ tametſi minus latinæ ſint, ſeu quod ab græco ſcriptæ nec ſubacto ſatis floſculis latii, ſeu quod interpretem nactæ ſint pro illa temporum barbarie, quorum alterutrum etiam

S.

S. Irenæo accidiſſe, pervulgatum eſt: non eo minus ſucco & rerum pondere plenæ ſunt. Sic autem loquitur: *Quid igitur? Oportetne Pontificale quidem miniſterium non in ipſis Apoſtolis circumſcribi, ſed etiam ſucceſſoribus ipſum tradi usque ad fines ſæculorum, ut ſemper in mundo ſint Pontifices ſucceſſores eorum: Pontificatus vero* Primatum *in ipſis oportebat finiri? ut quemadmodum in illis factus eſt aliquis* decreto Dei *primus, quem alii pro Capite ſuo ducebant, hoc nequaquam ad reliquos tranſeat: ut alii aliquem unum ſuum principem putent, ſed omnes per omnia coæquales ſint? Ex qua differentia hoc deberet contingere, ut Pontificale quidem miniſterium tranſeat ad ſucceſſores; principandi vero officium ſecundum Pontificatum minime; cum utraque ſimul eſſent a* Domino *oſtenſa, & ſimiliter multitudini fidelium* necessaria *exiſtant? Vel quommodo totaliter providentiæ opus eſſet omnia ſapienter adminiſtrantis, Apoſtolis quidem providere, ut habeant Primatem, quos ita gratia erat perfectura, ut non indigeant in multis ducem habere hominem: poſt illos vero multitudines fidelium inprincipatas & inordinatas deſerere ferre? Ego enim contrarium credo, ideo Petrum principem aliorum conſtitutum fuiſſe, ut ſecundum eandem formam ſemper in Eccleſia ad unum reducantur omnes principium.*

Atque aptiſſime idem poſtea: ſiquis multitudinem intueri cogitando apud ſe velit tot Chriſtianarum in mundo Societatum; ſi animorum affectiones, ſi ingenia nationum, ſi ſententiarum, ſi voluntatum, ſi rerum, ſi temporum converſiones; ſi quæ ſolent hominibus accidere & aut voluntate provocantur, aut fortunæ injiciuntur vitio varietateque (quo quidem in numero Romani Imperii tot in Regna ſciſſionem cenſet) videri ſibi nullam hactenus hæreſin ſopiri potuiſſe, niſi Eccleſiam Deus Optimus Maximus unam aliquam, cujus auſpiciis cuncta fierent, & in qua tanquam in puncto centroque ſuo conquieſcerent cæteræ, providiſſet. (62) Quod quemadmodum vere ab eo ſcriptum ſit, videbimus loco ſuo. Certe Romanam Barlaamus intellexit Eccleſiam, Antiſtitemque ejus.

§. VI.

Primatus ille perſeverat in Romana tantum Eccleſia.

I. Nam quod Armacanus (63) nuper quis neſcio, iſtud evanidum ſuſcitandum ſibi putavit, neque ſucceſſores eſſe Petri Romanos Epiſcopos,

(62) Caniſ. Lect. antiq. Tom. vi. p. p. 15. 18.
(63) Nomen Janſeniſtarum eſt, ab infami libro, quem ſub nomine *Armacani* Jan-

pos, neque fuisse Romæ PETRUM omnino: (64) potuit non nisi furor summumque scelus huc eum impellere. Quasi nos id carunculæ huic debeamus, ut illius causa tota vetustatis lacessenda bello, & proculcanda auctoritas sit? Vidisset, nisi amens fuisset & ebrius odio, quæ IRENÆUS, TERTULLIANUSque scriptores suppares de re ea prodiderunt: ac quæ ARNOBIUS in libro adversus gentes, CYPRIANUS in suis epistolis, CAJUS ac DIONYSIUS apud EUSEBIUM, ipse EUSEBIUS. Quæ LACTANTIUS, HIERONYMUS, AMBROSIUS, AUGUSTINUS, PROSPER, OROSIUS, MAXIMUS, OPTATUS, PETRUS CHRYSOLOGUS, & ex Græcis ATHANASIUS, CHRYSOSTOMUS, CYRILLUS ALEXANDRINUS, THEODORETUS, SOZOMENUS, schismaticique ipsimet Græci omnes, quorum est summa hoc in caput consensio, & fuisse Petrum Romæ, & martyrium istic fecisse. (65)

II. Et cur Primatum non eo suum adtulerit? Immo adtulit, & ibidem posuit, & in successores Romanos Episcopos illum trajecit. Quod qui alterum ex duobus negant (negat autem, nisi sit idem tamen cum primo, etiam meus ille Jansenista Anonymus) in pari infamia sunt. Quo enim spectabant alioquin IRENÆUS, Auctor Carminis contra MARCIONEM, AUGUSTINUS, EPIPHANIUS, cæterique, cum catalogos descripserunt Pontificum Romanorum, & Petro LINUM, huic CLETUM, tum CLEMENTEM, & eodem alios ordine successisse scripserunt? (66) Aut quæ esse ratio poterat, quamobrem antiqui omnes, Græci Latinique, Orientales & Occidentales Romanam Ecclesiam Divi PETRI *cathedram*, *sedem* PETRI, *sedem Apo-*

SENIUS Iprensis contra Regem Galliæ scripsit.

(64) V. Acta & Decret. pseudo Synod Traject. p. 72.

(65) Irenæus - *Lib. III. Cap. III.* Tertull. *Lib. IV. contra Marcionem Cap. V. p.* 5. Arnob. *Lib. II. adversus gentes pag.* 64. *edit. Paris* 1605. Cyprianus *epist.* LV. Edit. *Pamelii.* Cajus *adversus Proclum Cataphrygam apud Eusebium* Lib. II. Hist. Eccles. Cap. XXIV. —— Dionysius Corinthiorum Episcopus apud eundem Cap. cit. —— Euseb. Hist. Eccl. L. 2. Cap. 24. Lactant. L. 4. instit. Cap. 21. —— Hierony. de Script. Eccles. Cap. I.—Ambros. Serm. contra Auxentium de Basilicis reddendis. Tom. IV. Edit. Col.— Augustinus Serm. CCXCVI. de divers. & locis alibi citandis. Prosper Carm. de ingratis N. 40. sqq.——Orosius L. VII. Hist. Cap. VI. sqq. —— Petrus Chrysol. epist. ad Eutychen. supra cit. —— S. Maxim. in literis ad Petrum illustrem Edit. Sirmondi Tom. &c. Nolo chartam enim consumere adpellatione testium, qui ubique nominantur. Vide PEARSONIUM, Anglum, & a sacris nostris alienum scriptorem Dissert. de success. primorum Romæ Episcop. Cap. VII. & ex nostris Bellar. de Rom. Pont. Lib. 2. Cap. III. Kelleri Papatum Cathol. Cap. I.

(66) Irenæus l. c. Auctor. Car. contra Marc. sub finem libri III. Epiph. ad hæres. XXVII. &c.

Apostolicam ἀντονομαςικως & per excellentiam adpellaverint, Romanosque ipsos Pontifices, siquidem electi ex præscripto Canonum acceptique essent, pro successoribus Divi PETRI habuerint? Sic enim præclare rem probat, & pro more succincte recens scriptor. (67) Qui & admonet, demonstrationem non aliam adhibendam esse præter eam, quæ oculorum fide gignitur: legendasque cum JULII Primi, SIRICII, INNOCENTII I. ZOSIMI, CÆLESTINI, LEONIS Magni, GELASII, HILARII, SYMMACHI, HORMISDÆ, SIMPLICII, GREGORII Magni Decretales literas: tum eas epistolas, quas Occidentales & Orientales Episcopi, ac nonnunquam Patriarchæ causa hæresum ac schismatum ad Romanos Pontifices dederunt: eas quoque, quas Novatores ipsi & fabri hæresum; ut epistolam EUTYCHIS ad LEONEM *Magnum*, PETRI MOGGI ad SIMPLICIUM, SERGII ad HONORIUM, cæterorumque Pontificum item ad Concilia literas, velut CÆLESTINI ad *Ephesinum*, LEONIS M. ad *Chalcedonense*, VIGILII ad JUSTINIANUM & Patriarchas Orientis ac Synodum quintam, AGATHONIS ad Synodum VI. Tum Vicariorum Pontificis in hisdemmet aliisque Conciliis interlocutiones: atque Conciliorum etiam ipsorum synodicas ad Pontifices Maximos, quoties rationem rerum gestarum reddunt. Atque tandem *Corpus* ipsum *Juris Civilis*: & hujus locum eum præcipue, ubi JUSTINIANUS Imperator, Princeps nequaquam ad serviendum factus, idemque Græcus JOANNEM Papam adloquitur. (68) In his quippe & aliis id genus monumentis innumeris frequentius nihil occurrere, quam ut Romana Ecclesia Divi PETRI *cathedra*, *Sedes* PETRI, *Sedes Apostolica*, *summi Pontificatus apex*, *caput omnium Ecclesiarum*: Romani

(67) P. Clemens Beker Differt. Theol. Tom. 1. pag. 108.

(68) Julius I. epist. ad Eusebianos Edit. Coustantii Tom. 1. Col. 387. — Siricius ibid. ad Himerium Taraconens. Col. 624. item epist. V. Col. 651. &c. — Bonifac. I. ad Rufum ep. V. Col. 1021. item epist. IV. Col. 1019. — Innoc. 1. ad Victricium Rothom. Col. 747. — Cælest. in Commonit. seu epist. XVII. Col. 1152. item epist. III. ad Epis. Illyrici Col. 1064. — Zosimus epist. II. ad univers. Episcopos Africæ Col. 948. & ad eosd. XII. Col. 977. — Xistus III. ad Joann. Antiochenum Col. 1259. sqq. — S. Leo Serm. 2. & 3. ad diem anniv. & alibi passim. — Gelasii, Felicisque verba jam tum adtulimus: Ita autem, ne totas paginas cogamur implere, poterit deinceps per se Lector progredi, *Harduini* primum alterumque tomum si modo evolvat. Nos verba, atque sententias per decursum, & sub finem operis, volente Deo, in una serie exhibebimus. Vide etiam Coustantii Præfationem ad epist. RR. PP. pag. V. & sqq. Libet tria solum adjungere. Primum CAPREOLUS Carthag. Episcopus ad Synodum Ephes. scribens, monet, ut profligentur hæreses, quas modo repullulantes *Apostolicæ Sedis auctoritas oppressit*. Hard. T. II. Col. 1422. JUSTINIANUS Imperator sic ad JOANNEM Papam lib. 1. Tit. de summa Trinit. *Reddentes honorem Apostolicæ Sedi & vestræ*

autem Episcopi D. PETRI *Successores*, in quibus *vigeat* PETRI *auctoritas*, immo & *Petrus* & *petra* adpellentur.

Huic compendiario viri clarissimi argumento, tametsi non iisdem a nobis verbis exposito, nihil admodum quod addendum esse videatur, succurrit, præterquam ut testimonia ipsa repræsentemus: quod & ad marginem & per decursum facimus, partim sententiis adscriptis, partim, ne prolixiores ipsi simus, indicatis.

III. Id minime prætereundum esse videtur, quod apud Græcos, ex quo Constantinopolitana vicit ambitio, satis frequens fuisse intelligo, ut Ecclesiam Patriarchis stare quinque scripserint. Quod nominatim BALSAMON homo schismaticus in *μελεταις* seu in meditatis responsisque de Privilegiis Patriarcharum fecit, ubi Patriarchas *ὡς αἰσθησεις πεντε μιας κεφαλης*, velut *quinque sensus unius capitis* esse scribit, & *μιαν κεφαλην τȣ σωματος πασων των ἐκκλησιων τȣ θεȣ unum Caput corporis omnium Dei Ecclesiarum.* Rationemque insinuat, quod S. PETRUS *Antiochiæ* EVODIUM, *Alexandriæ* MARCUM, *Jerosolymis* JACOBUM, & in *Thracia* ANDREAM ordinaverit, Patriarchasque præfecerit.

Male profecto, male. Quei enim præstabit, quod de *Constantinopolitano*, *Jerosolymitano*que adserit, quorum neutrum Patriarcham fuisse constat primis quatuor sæculis? Atqui ambitionem nos tenemus amborum, monumentis consignatam certissimis: scimus, quemadmodum partim vi potentiaque Principum, partim gratia & indulgentia Episcoporum ad fastigium sint hujusmodi eluctati. Quid? quod est omnis adeo ex ementiti DOROTHEI traducta fabulis ista sumptio de ANDREÆ Episcopatu, cispulsaque pridem ab eruditis viris, cum neque vestigium ejus extet in vetustate, neque EUSEBIUS, aut GREGORIUS Nazianzenus illius memine-

Sanctitati, quod semper nobis in voto fuit, & est, & ut decet Patrem honorantes vestram beatitudinem, omnia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinavimus ad notitiam deferre vestræ Sanctitatis, quoniam semper fuit nobis magnum studium, unitatem vestræ Apostolicæ Sedis & sanctarum Dei Eccelesiarum custodire &c. Vide etiam Nov. 9. ubi *apicem Pontificatus*, & *fontem Sacerdotii* Romæ positum dicit, adde Nov. 131. — Concil. Vasense III. anno DXXIX. Can. 3. de repetitione *κυριε ἐλεησον*. *Quia tam in* SEDE APOSTOLICA, *quam etiam per orientales atque Italiæ provincias consuetudo est intromissa.* Vides antonomastice R. Ecclesiam Sedem Apostolicam dici.

minerint, tametsi amborum interesset, silentio eam non premere. (69) Quare missis Græculorum deliriis, quod est veri mixtum fabulæ, & ab ipsis hostibus datur, accipimus. Is scilicet BALSAMON quantumvis inimicus Romanæ Ecclesiæ, non tamen aliunde quam a S. Petro dignitatem Byzantinæ Jerosolymitanæque sedis accersendam sibi esse putavit. *Tanta vis est veritatis*: ac tam alte insederat animis etiam Græcorum, Alexandrinam & Antiochenam Ecclesiam Patriarchales idcirco esse, quod per *Marcum* alteram, alteram per se ipsum Apostolorum princeps aliquamdiu rexisset. Neque nos quidem hac parte inviti erimus, siquis duas illas Ecclesias, quamdiu stabant, quodam modo suo Ecclesiam unam fuisse cum Romana dixerit. Quippe GREGORII *Magni* exemplo id faciet. (70) Atque multis demonstrari potest, Patriarchales Ecclesias exundationem velut quandam fuisse amplissimi & late diditi, ac per terrarum fusi orbem principatus, quem S. PETRUS *Romam* intulit. Unde nunquam, quantavis dignitas illarum fuerit, Romanæ pares sunt habitæ: nec qui *cathedram* PETRI, *sedem* PETRI, *Apostolicam sedem* simpliciter & κατ ἀντονομασιαν dixit, *Alexandrinam* unquam, *Antiochenamve*, sed *Romanam* semper intellexit: tantum abest, ut vel *caput omnium Ecclesiarum* eæ dicerentur, vel qui obtinebant sedes illas, *successores* PETRI, *apex Pontificatus*, *communionis centrum*, PETRUS aut *Petra* nominarentur. Heinc adeo est, quod tametsi supra modum, si documentis quibusdam credimus, *Alexandrini* Antistites auctoritatem jactare suam & explicare consuessent: (71) EULOGIUS tamen in iis, quas S. GREGORIO scripsit, literis, copiosus fuerit in *S. Petri Apostolorum Principis* commendanda *cathedra*. Inter cætera hoc enim posuit: *sedere* etiamnum S. PETRUM *in suis successoribus Romanis Præsulibus*, quæ occasionem res S. GREGORIO dedit, ut pro literarum Officio sedem unam & unius in locis tribus esse, ei rescripserit. Sed longe gravissimum damus testem JUSTINIANUM ipsum in epistola ad urbis regiæ Patriarcham. *Promulgavimus*, ait Imperator, *edictum*, *ita ut nullo modo mutaverimus statum Ecclesiasticum*, *in omnibus servato unitatis statu Ecclesiarum cum Papa Romano. Non patimur*, *ut quidquam eorum*, *quæ ad Ecclesiasticum pertinent statum*, *non etiam ad Romani Pontificis referantur beatitudinem*, *cum sit* CAPUT *omnium Dei sacerdotum*: *vel eo maxime*, *quod quoties in his locis hæretici pullularunt*, *sententia & recto illius sedis judicio coerciti sunt.* Qui locus non id solum demonstrat & meridiana perfundit luce, quod

 in

(69) Vid. Antverp. Biographos Tom. III.
(70) in epist. ad Eulog. Alexand. Registri lib. VI. 37.
(71) Socrates L. 7. C. 7.

in præſentiarum evincendum ſuſcepimus illuſtrandumque: verum os etiam FEBRONIO & corrivalibus ejus poteſt conſuere, cum ab Imperatore nominari STATUM *Eccleſiam* audiunt, & veri quidem propriique nominis ſtatum, eundemque ut finibus, ſic, quæ ad finem referuntur, rebus, totoque genere ſuo a civili profanoque ſtatu diſcretum.

IV. Quid multis? Experientia teſtis eſt, cui ſiquid ſapimus, refragari non poſſumus. Idque BARLAAMUS in eo quem indicavimus loco multis probat: & ex recentioribus vir longe doctiſſimus admonet LUDOVICUS THOMASSINUS in parte I. operis de vetere & nova Eccleſiæ diſciplina. In cujus primi libri decimo tertio Capite BAHANIS PATRICII pronunciatum adfert, qui in octava Synodo contra PHOTIUM, Eccleſiam in Patriarchis collocatam dixit. Quare fieri inferebat non poſſe, ut omnes una in errorem præcipitentur. *Sed quando duo*, inquit, *capita ceciderint; currunt ad tria; cum tria ceciderint, currunt ad duo: cum vero quatuor forte ceciderint; tunc unum, quod permanet in omnium capite Chriſto Deo Noſtro, revocat iterum reliquum Corpus Eccleſiæ.* Ad quæ iſta adnotat Thomaſſinus: " Quæ in hac argumentatione artes, quæ fraudes deliteſcant, excutere ſuperſedeo. Hoc unum moneo: Græcorum artes, offuciaſque in coæquandis quinque Patriarchis prohibere non potuiſſe, quin experimento tot ſæculorum, quæ luculentiſſima, certiſſimaque eſt ſcripturarum interpretatio, conſtet, illum unum qui primus eſt inter Patriarchas, cæteris affuiſſe ſæpiſſime ab errorum, hæreſumque barathro educendis; nec eguiſſe ipſum unquam beneficii viciſſitudine.

Tum iſta ſubnectit: " Deinde quamvis ſubinde exiſteret, & emicaret Græcorum jactantia: indubitatum tamen eſt, in hac ipſa generali Synodo VIII. plurimum diſcriminis interpoſitum fuiſſe Papam inter & Patriarchas cæteros: in fauſtis etiam acclamationibus, quæ deſinentibus ſeſſionibus iterabantur: ut ne opus quidem ſit alio documento ullo ad primæ Sedis ſingularem præcellentiam adſtruendam. „ Quod poſtremum quam multo veriſſimum ſit, patebit ubi analyſin hujus Concilii dabimus.

§. VII.

Primatus ille a Romana Eccleſia avelli non poteſt.

I. Sed nunc ego in quæſtionem ingredi cogor, quæ ſi tolerabilis videri potuit ſcholarum retenta ambitu & diſputatorum ſtrepitu; in forum

rum certe producta, atque adeo inter pacis collata leges, publicæque cum heterodoxis ineundæ concordiæ, monſtrum eſt, quod qui educeret, & per plateas agitaret, mulierculiſque atque juvenibus oſtenderet, nemo aptior JUSTINO FEBRONIO, & corrivali ejus JANSENISTA Batavo fuit. Eſt autem quæſtio, *an avelli ab Romana Eccleſia, & transferri alio Primatus poſſit*? Quod adfirmat ille quidem, ex eoque conficit, quod, ut BELLARMINUS eſt auctor, potuiſſet PETRUS vel *Antiochiæ* vel nullibi ſedem ſtabilem ſibi defigere. Atque hanc ſuam tametſi veriſſimam ſententiam non placere Romanis ait, & iraſci ei præ cæteris BENEDICTUM XIV. in ſuo opere de Diœceſana Synodo. Addit, non diffiteri hunc tamen, in aliquo ſenſu dici poſſe, ſupremam Eccleſiæ Monarhiam *jure tantum humano* Romanæ Sedi annexam eſſe, ſed quo ſenſu, non id eum exprimere. Tandem concludit, quidquid de re ſit, hactenus cauſas defuiſſe legitimas, ac quo minus alio migrare PETRUS juberetur, omnem prudentem defuiſſe rationem, merito credi. CHRISTUM tot inter viciſſitudines ac tempeſtates conſervaſſe Eccleſiam Romanam Primatumque ejus: idem porro facturum probabiliter, ſiquid proviſum improviſumve humano animo accidat: nec vero ſuum eſſe in adyta divinæ providentiæ ingredi. (72)

II. Nihil non male. Atque illud primo, quod non explicare BENEDICTUM ait, quo ſenſu *humano tantum jure* Primatus Sedi Romanæ poſſit adnexus dici; vellem, oſcitantiæ liceret adſcribere. Sed non poſſum: debeo aliud cogitare, quod quale ſit, nolo rurſum heic dicere, quoniam dixi, ubi *theorema* propoſui, quod demonſtrare decreveram. Interim verum eſt. Nam ne vox quidem aut una ſyllaba intercipitur: ſed ſtatim iſta Pontifex ſubjungit: *Quia nimirum utriuſque unio, nexus & colligatio ortum habuit ex facto Petri*; (73) quæ & ſenſum & rationem manifeſte ſignificant. Nec modo non rejicit ſed laudat ac facit ſuam omnino BELLARMINI de colligatione illa ſententiam: & in eodem quidem numero primi Capitis, quem cavillator citat ac vidit; neque enim, ſi non vidiſſet, citare poterat tam adcurate ac religioſe.

Et quale illud, adpellandumne mitius? *iraſci ſingulariter* BENEDICTUM *iis*, qui Primatum poſſe alio transferri putent? Ubi quæſo? Verba ſunt: *Attamen non videtur poſſe ſuſtineri illorum opinio, qui aſſeruerunt, præfatam*

(72) Feb. Tom. I. Cap. II. §. III. in init. & N. 6.
(73) Bened. XIV. de ſynod. Diœceſ. Lib. II. Cap. I. N. I.

tam annexionem ita esse de jure humano, ut possit ab Ecclesia dissolvi, & una ab altera separari. Prô excandescentis & iracundi exemplum hominis! Nempe nihil cogitat, nihil loquitur, nihil dormit aut somniat iste vir, nisi invidiam & contemptum primæ Sedis. Atque utinam aptus esset ad ratiocinandum aliquid sobrie! toleraremus fortassis, sed non est. Quin est plumbea prorsus in semetipsum illius incursio, conflictusque summus verborum, & incredibilis levitas. Vide exemplum!

III. Scribit sic: *Quod autem is qui* ECCLESIÆ TOTIUS CAPUT *erat, in urbem totius orbis dominam* PERVENERIT, *ibique sedem* FIXERIT *suam; singulari divinæ providentiæ consilio factum videtur, ut scilicet ipse ejusque successores inde quasi ex sublimi specula excubias agere, & muneris sui partes commodius implere possent.* (74) Subdit continuo, ac vix duabus interfertis lineis: quod a Græcis in Chalcedonensi Concilio est dictum, *Sedi senioris Romæ Patres privilegia tribuisse*, id de Patriarcharum non tantum privilegiis propriis posse intelligi; sed posse eo etiam trahi, quod beneficio Patrum colligatio ista ipsa Primatus cum Romana Ecclesia perfecta sit. Quis capiet ista? Quis hominum? PETRUS Romam pervenit in urbem totius orbis dominam; nec ut Apostolus tantum, sed ut *Ecclesiæ totius Caput* pervenit. Pervenit autem, & istic Sedem fixit. Fixit inquam, & quare? ut ipse, ut successores ejus eandem occupaturi sedem, inde quasi ex specula excubias agere, & muneris sui partes commodius explere possent. Et sunt ista quidem omnia singulari divinæ providentiæ consilio facta. Per Deum! ecquid igitur Patribus, quod ipsi hac in re facerent, permissum relictumque cogitari potest? Collige te, Doctor egregie! repetam, si nondum intelligis. PETRUS an Primatum habuit? negasti, sustulisti toto opere, sed heic adfirmas. An scivit, an conscius fuit Primatus sui? Dices opinor: si enim qui habuit, non fuit conscius, quis aliorum? ac si nemo; quorsum datus est? Conscius igitur muneris sui Romam ad urbem principem venit PETRUS; & in illa sedem fixit, ea mente, eo consilio, ut cum ipse, tum successores in Episcopatu hoc sui præfectura illa defungerentur commodius. Nega! non potes. Profecto ab ipsomet igitur jam PETRO, non a Patribus & urbs Roma Primatus Sedes, & Episcopi huius Ecclesiæ successores, hæredesque sunt illius constituti. Puto qui nectere utcunque didicerit, collectionem evidentem esse habiturum. Plus: si a Patribus, ut inquis, colligatio est facta Primatus cum Romana Ecclesia; a quibus? ostende! da Concilium! nam alioquin Augustini vigebit κριτηριον: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Tandem næ tu lepidus homo es! fateris procuratione, providentiaque fa-

(74) Feb. l. c. N. 5.

factum CHRISTI, ut Principatus Romam adlatus sit, steteritque istheic, & ei Ecclesiæ tot inter fluctus ac tempestates adhæserit: simul id disputas atque contendis, posse alio, ut hominibus visum fuerit, eum transferri. Quid jocularius? quasi vero ad pacem reconciliationemque conferat, si id POSSE fieri, intelligant *Dissidentes*, quod ut ne fieret UNQUAM, tot est annis impeditum divinitus?

Sed est tamen doctrina ea verissima? Immensum os! quo argumento probas? Ego vero cum sint paucissimi Theologorum, qui sic existiment; tum si exercitum contra me niti Febronianorum tantum scirem, quantus Xerxis fuisse dicitur, ut pontum Euxinum ebiberet: tuerer, nunquam ad usum admoveri doctrinam eam posse. Quod est, ut abscisse dicam, prorsus falsam esse. Id enim falsum est, cujus usus esse non potest; esto ratiunculæ quædam Disputatorum importunæ genti non desint. Nam eæ quod extra cerebrum non excurrant, vel cum sono atque strepitu fluant verborum; faciendæ pluris non sunt, quam si ne essent quidem. Sane vero quemadmodum non casu, sed divino æternoque consilio in illud tempus religio incidit Christiana, quo ut nunquam antea, gentes omnes in unius Imperii societatem convenerant: uti hujus videlicet conversione Romani Imperii, quemadmodum à Daniele prænuntiatum fuerat, in omnes gentes, Tribus atque linguas regnum Christi pervaderet: ita si non jussu; afflatu certe instinctuque Christi *Romæ* PETRUM fixisse cathedram, tota antiquitas credidit. Heinc Magni Leonis est illud celebre, urbem Romam adloquentis: *Quamvis maximis aucta victoriis jus Imperii tui terra marique protuleris: minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subjecit. Disposito namque divinitus operi maxime congruebat, ut multa regna uno confœderarentur Imperio, & cito pervios haberet populos prædicatio generalis, quos unius tenet regimen civitatis.* Quo quidem factum est, ut ab exortu jam inde religionis in Romanam Ecclesiam tanquam in signum aspectabile Imperatoris ac ducis sui Christi terrarum orbis respexerit: quod ita Paulus testatur: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo. Vestra obedientia in omnem locum divulgata est:* quorum alterum in primo, alterum in decimo septimo capite epistolæ ad Romanos scribit.

IV. Atque mirum profecto, videre novitios hesternosque homines, quod vetustatem latuit universam: in qua neque Patrum ostendi quispiam potest, quamvis innumeri sint, quorum vocibus atque scriptis Romana sedes celebretur, neque Concilium aut Imperator, cujus ea vel animum

aliquando cogitatio ſubierit, prærogativam jusque Capitis ac centri in Eccleſiam aliam transferri poſſe. Quid? *Antiochenum Alexandrinumque* moverunt loco ſuo Imperatores Orientis, ac nihil moliti non ii ſunt, ut majeſtatem Romanæ urbis *Conſtantinopolim* ſecum una aveherent: Eccleſiaſticum Principatum tantum abeſt; ut abſtrahendum putaverint, ut ne tentaverint quidem. Et quem fugit, quo ardore Conſtantius Conſtantini M. filius in LIBERII Romani Pontificis expugnandum flectendumque animum incubuerit? Quid THEODOSIUS egerit, ut NESTORIUM ſuum ab Romanis fulminibus præſtaret? Quid JUSTINIANUS, ut VIGILIUM frangeret? quid ZENO, quid ANASTASIUS, quid CONSTANS, ut vel auctoritatem quam ſumpſerant, vel hæreſin, qua irretiti faſcinatique erant, defenderent? Atqui compendio expedire ſe poterant ii Principes, ſi a Concilio edicendum curaviſſent, deinceps non amplius Romæ, ſed Conſtantinopoli principatum Eccleſiaſticæ auctoritatis, & communionis fideique centrum extiturum. Quorum nihil moliti illi unquam ſunt, neque in animos admiſerunt. Tam omnibus perſuaſum erat, non humano ſed divino conſilio Eccleſiam Romanam & cæteris eſſe præpoſitam, & PETRI privilegia jure ſibi ſuo vendicaſſe.

Nolo quærere, poſtquam tot in regna atque provincias diſtributum Imperium eſt, ſi transferenda ſit ſedes Capitis, quo transferri debeat, in Germaniamne, in Galliam, in Hiſpaniam, in Portugalliam, in Poloniam, Hungariam, Bohemiam? Quo ditiones deventuræ ſint, quas Principum, fideliumque pietas ſucceſſoribus PETRI largita eſt? quæ res ne intelligi quidem poſſunt, niſi diſſidiis omnia repleamus, bellis funeſtiſſimis involvamus, principes ad arma, Epiſcopos ad odia, contentionesque ac ſchiſma perpetuum concitemus. Ut vel inde divinæ mentis conſilium adpareat, adorarique debeat; cum non incertam domicilii, ac quaſi vagabundam dignitatem ſummi in Eccleſia Præſulis eſſe voluit, nec tanquam Paridis, ut eſt in fabulis, pomum, fomentum invidiæ atque bellorum: ſed uni urbi, uni Eccleſiæ, conſervatæ tot inter viciſſitudines & converſiones rerum, humanorumque & fortunæ caſuum, eam addixit.

V. Quod autem nos Galliæ opprimendos auctoritate FEBRONIUS putat, ac *ſæculo XVI. conſtantiſſimam fuiſſe regni ſententiam* (75) hanc ſcribit, humano tantum jure, non divino Romanum Pontificem Primatum habere,

(75) L. cit.

re, & id *ſmalcaldiæ* coram Germaniæ Principibus a Legato ſic fuiſſe propoſitum: video omnia in iſta ſcriptione, quæ auctori probroſa ſunt. Etenim adfirmaverat ipſe hæc duo: Primatum, dignitatemque ipſam Capitis in Eccleſia divini juris eſſe: ſed quod Romanæ urbis Antiſtiti Primatus idem concreditus fuerit, id non CHRISTI, ſed Eccleſiæ perfectum eſſe auctoritate. Atqui quod *ſmalcaldiæ* ſic eſt dictum a Legato, *ſentire Regem Gallorum, jure tantum humano, non divino Rom. Pontificem habere Primatum*; ſi vere dictum, nec commentum Sleidani eſt (is enim eſt auctor hujus narrationis) non de ſecundo, ſed de primo ex duobus procedebat, Primatumque ipſum tollebat, quem, ut MELANCHTHON in Locis Theologicis tradiderat, ſic & BELLAIUS Legatus non a CHRISTO ſed ab Eccleſia inſtitutum putare Regem ſuum, dicebat. Quare aut prorſus mentio narrationis iſtius facienda a FEBRONIO non erat (quod quidem multis nominibus, ſiquid ſaperet, videri conſultius ei debebat) aut vero conficiendum hoc plane, nullum in Eccleſia Primatum, ac ne vagum illum quidem *divini juris* eſſe: quemadmodum & anonymus contubernalis ejus ex eadem concluſit. (76)

Deinde quid illud? etiam regni, regni inquam, hoc eſt Epiſcoporum Theologorumque, ad quos iſta pertinent, conſtantiſſimam & eandem fuiſſe ſententiam, quam Legatus eſſe Regis ſui in illo Conventu profeſſus eſt? Loquar mitiſſime: nihil falſius. Sunt enim verba Legati apud ipſum Sleidanum: *De Pontifice placere Regi, non eſſe primum neque præcipuum jure divino, ſed humano, ſicut Philippus affirmet: Theologos affirmare Caput illum eſſe Eccleſiæ jure divino.* En Regis, en & regni ſententiam! itane una, conſtans, eademque fuit illa amborum?

Univerſe ſi ex Legati illa oratione doctrina regni metienda foret; in pleriſque Catholicum jam eſſe Galliæ regnum tempeſtate illa deſiiſſet. (77)

 Id

(76) Janſeniſta anonymus de Primatu Rom. Pontificis pag. 304. Videtur etiam ex geſtis in Collatione Smalcaldienſi. ſententiam hanc in Gallia prævaluiſſe ſæculo decimo ſexto: nam inter varia Capitula nomine Regis Franciſci I. Alemannis propoſita a Guillelmo du Bellay, Regis hujus legato; ſic unum habet: Credit Rex Galliæ Romano Pontifici Primatum competere ex Jure humano, minime vero divino. Sleidan. hiſt. Lib. IX.

(77) Sleidanus l. c. folio mihi 145: Legatus idem egerat privatim cum Pontano, cum Melanchthone, cum Landgravianis, & Jacobo Sturmio, de multis dogmatis, & quæ Regis eſſet de ſingulis opinio, quæ Theologorum ſententia per Galliam, Lutetiæ præſertim, explicabat, de Primatu Pontificis, de Cœna Domini, de Miſſa, de mortuo-

Id autem memoriæ non modo non proditum eſt; verum & monumentis poteſt refutari, non dico, probabilibus, ſed plane certis atque evidentibus. Ex quibus hoc etiam habemus, Regem alioquin optimum, quo neſcio fato procliviorem aliquamdiu fuiſſe ad Germaniæ magiſtros novos audiendos, & in his MELANCHTONEM. Experientia autem, non niſi tranſeuntem & fugientem, ut ita dicam, fuiſſe nebulam hanc docuit: cujus tametſi mentio ab iis poſſit impune fieri, qui temporum conſcribunt ephemerides: intolerabile tamen eſt facinus. neſcioque, quo adpellandum ſit nomine, cum ſcriptor Catholicus id, quod non debuit fieri, laudat factum, & in auctoritatem exemplumque adſumit id, cujus eum, qui fecit, minime dubium eſt, quin pœnituerit; ſi tamen fecerit: nam hoc ipſum in dubitatione eſt.

Atque hæc ſatis de re præſenti. Satis inquam, Primatum quem nos deſcripſimus, & deſcripturi pluribus deinceps ſumus, divino Jure conſtitutum eſſe. Satis, Succeſſorem hæredemque hujus aliquem in Eccleſia perpetuo & divino rurſum Jure atque inſtituto eſſe oportere. Satis, quod ante quoſcunque Imperatores, ante quodcunque Eccleſiæ Concilium, ante quoſcunque poſt Petrum Pontifices maximos (libet CANI enim hæc verbis eloqui) ſemper a viris Eccleſiaſticis Romanus Epiſcopus PETRI Succeſſor eſt agnitus. Satis quod nunquam in mentem Imperatoribus, utut inimiciſſimis, venerit, trahere alio prærogativam hujus poteſtatis. Satis, quod nec potuerit, ut regnorum in divina mente viciſſitudines, diviſioneſque deſcriptæ erant, Eccleſiarum res ea remitti arbitrio, ne bellis perpetuis Eccleſia exponeretur, & Primatus (quod inde non fieri, miraculi foret perſimile) ad Unitatem, Eccleſiaſticumque, quem dixi, *Statum* conſervandum redderetur inutilis. Satis, ut hoc iterum cum CANO dicam, quod ipſo etiam rerum experimento comperimus, CHRISTI de PETRO & Succeſſoribus vaticinia in Eccleſia Romana manifeſtius impleri. Hanc enim conſtat, fixam & immobilem, orbe etiam toto omni illam machinarum genere quatiente, in fide & auctoritate PETRI permanſiſſe. Et cum cæteras Apoſtolorum Eccleſias vel ab infidelibus occupatas ſine fidei veſtigio, vel

rum invocatione, de ſtatuis, de libero arbitrio, de Purgatorio, de Juſtificatione, de votis monaſticis, de Cælibatu Sacerdotum. In pleriſque dicebat Regem eſſe non alienum a libro Philippi, quo locos ille tractat communes Theologicos: de Pontifice vero placere dicebat Regi, non eſſe primum, neque præcipuum Jure divino, ſed humano, ſicut Philippus affirmet . . . . Theologos quidem affirmare " Caput illum eſſe Eccleſiæ jure divino; ſed tamen poſcenti Regi non illud potuiſſe demonſtrare: vulgatam quoque de Purgatorio igni opinionem ab eis defendi: nam ex eo fonte manare Miſſam, exequias anniverſarias, legata, & quidquid eſt nundinationis: Miſſa vero ſublata, rationem ipſis omnem auferri tuendæ potentiæ ſuæ &c. &c.

vel ab hæreticis aliquando affectas viderimus; adversum hanc unam Romanam Sedem nec Pagani nec hæretici prævalere potuerunt. Hæc inquam aut singula aut complexa satis sunt. Fit enim ex illis, ut sive præcepto, quæ mihi probabilior semper est visa sententia, sive instinctu afflatuque saltem & arcano ductu divinæ providentiæ PETRUS Romam emigraverit, & Primatum eo suum adtulerit. Quorum si primum verum sit; impietatis profecto erit, de transferenda alio PETRI cathedra cogitare: sin alterum; imprudentiæ erit ac temeritatis. Ut rebellionis modo crimen heic taceam, in quo non minus; qui tam perniciosa garriunt, & executioni mandata cupiunt, (78) versari mihi videntur, ac si de Regum antiquissima prosapia, quo modo dejici, ac de solio deturbari ea possit, disputarent. Quod cum nunquam ferendum sit; longe minus, si a larvis & privatis homuncionibus fiat, tolerari & impunitum manere debet.

ARTICULUS II.

QUÆ HACTENUS TRADITA SUNT, OSTENDUNTUR VERA ESSE EX CONSENSU PATRUM: SIMUL EXCEPTIONES FEBRONII, JANSENISTÆQUE ANONYMI REPELLUNTUR. ADDITUR EMBOLON, IN QUO AD EXAMEN REVOCANTUR, QUÆ DE PRIMATU PRIMORUM PONTIFICUM LINI, CLETI, CLEMENTIS NUPER ALIQUIS DISSERUIT.

NOn uno loco oblata hæc nobis conditio est a FEBRONIANIS, id solum firmum ac ratum habendum esse, quod semper & ab omnibus fuisse creditum demonstrari possit. Eam ut modo legem accipiam; placuit in cumulum conferre sanctorum Patrum & Ecclesiæ magistrorum sententias: nam ea res ad frangendam pervicaciam aptissima est; atque ut supra, cum in scripturæ pertractando argumento versabamur; perdere operam eos monuimus, qui ut locum unum alterumve vexare possint suis calumniis & subtilitate nugarum, conantur velut in partem tantisper eum seducere, neque multitudinem seriemque ipsam sententiarum respiciunt, nec ut hæ-

 reant,

(78) Quorsum disputantur ista a FEBRONIO, si non ad comminationem?

reant, ut ſint connexæ, ut fulciant, ut colluſtrent ſeſe mutuo, attendunt: ita nunc idem profecto dicimus atque monemus, quoties ad fidei comprobanda dogmata teſtes antiqui vocantur Patres, adhibenturque, ut Traditionis Apoſtolicæ memoriam decurſumque ad ætatem uſque noſtram manifeſtent. Horum enim non una omnium ſcribendi eſt ratio: ſed alii fuſius diſertiusque, alii brevius rem eandem eloquuntur: nonnullis, quo neſcio, contingit vitio, ut ſint quædam ab iis poſita obſcurius. Quare patebunt hi quidem cavillationibus obſtinatorum, cum ſoli & quaſi palantes in eorum ungues inciderint: ſed ſi juxta ſe omnes collocentur; ſi in aciem ordinentur; nullius hominis tam ſubtilis eſſe malignitas poterit, quam non vincant collecto robore, diſſipentque ac deſtruant.

Primum igitur hoc faciam, ut continenti ſerie ponam Patrum & hiſtoricorum ſententias abſolute atque ſimpliciter; niſi forte cum intelligentiæ clarioris cauſa adſpergendum heinc inde aliquid videbitur: dein univerſe quod volo conficiam: atque tandem peculiares quaſdam profligabo calumnias, quas contra IRENÆI CYPRIANIque teſtimonia homines nuperi, & Theologi momento nati invenere. Finis ac fructus is erit, ut Catholicum, quod explanatum hucuſque fuit, de *Eccleſia* dogma ſtabiliatur. Quod ſiquis ultra putet iſta porrigi, & ἀσφαλειαν ſeu *inerrantiam* Romanæ Sedis confirmari iiſdem teſtimoniis; is, ut eſt Schola, quam ſequitur, quemadmodum tranſigat cum adverſariis ſuis, ipſe viderit. (79) Neque enim ulla eſt mihi cum bonis hominibus, ſed cum malis tota hæc ſuſcepta contentio. Hoc dico, hoc CATHOLICUM eſſe adfirmo, eſſe *Corpus*, *ſtatum*, *rempublicam* Eccleſiam CHRISTI: hujus ſive *Caput* Corporis, ſive *centrum* ſtatus, ſive *apicem* & nexum reipublicæ *Romam* eſſe & illius Antiſtitem: ſolam adeo quæ ROMANA eſt atque dicitur, veram eſſe CHRISTI Eccleſiam. Quæ res cum fundamentum ſit omnium, quæ hoc libro ſcripturi ſumus; tum ſequentibus demonſtrari ſanctorum Patrum dictis atque ſententiis, immo & veterum monumentis aliis perſpicue ac luculenter poteſt.

§. I.

(79) Pleraque ex iis teſtimoniis Petrus BALLERINIUS ad infallibilitatem Romani Pontificis comprobandam nuper tranſtulit in opere, *de vi ac ratione Primatus Rom. Pontificum.* Is igitur videndus, ſi cui placuerit.

§. I.

Ex doctrina Patrum oſtenditur; Romanam Eccleſiam ejusque Pontificem Eccleſiaſticæ unitatis centrum eſſe.

I. Irenæus Lib. III. adverſus hæreſes capite III, *Sed quoniam valde longum eſt, in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones; maximæ & antiquiſſimæ & omnibus cognitæ, àglorioſiſſimis duobus Apoſtolis* Petro et Paulo Romæ *fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ eam quam habet ab Apoſtolis traditionem & annunciatam hominibus fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos indicantes, confundimus omnes, qui* PRÆTER QUAM OPORTET, COLLIGUNT. AD HANC ENIM ECCLESIAM PROPTER POTENTIOREM PRINCIPALITATEM NECESSE EST OMNEM CONVENIRE ECCLESIAM, *hoc eſt, eos qui ſunt undique, fideles; in qua ſemper ab his qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Vixit Irenæus Imperatore Commodo, & Eleutherio ſummo Pontifice, ac ſub Severo Imperatore martyrium fecit circa finem ſecundi ſæculi.

Tertulliani, qui proxime ſequitur, non eſt perinde quidem diſerta & explicata ſententia de Eccleſia Romana: ſed ſi verba verbis comparentur, ſi cum Irenæo Tertullianus, ut plane debet, contenditur; ejusdem ille traditionis locupletiſſimus teſtis eſt. Utemur libro, quem de Præſcriptionibus veræ Eccleſiæ adverſus hæreticos ſcripſit; nam in hoc, ut ſupra monuimus, Eccleſiam eſſe *ſtatum* oſtendit. In hujus igitur vigeſimo capite: *omne*, inquit, *genus ad originem ſuam cenſeatur neceſſe eſt. Itaque tot ac tantæ Eccleſiæ una eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ & omnes Apoſtolicæ, dum unam omnes probant unitatem.* Et capite proximo: *Conſtat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam; reliquam vero omnem de mendacio præjudicandam. Communicamus cum Eccleſiis Apoſtolicis, quod nulla doctrina diverſa: hoc eſt teſtimonium veritatis.* Ex quibus verbis manifeſte id primum conficitur, Eccleſiam congeriem non eſſe omnium ſectarum, ſed unam: deinde alterum: nexum ac vinculum hujus unitatis eſſe eas Eccleſias, quæ ab Apoſtolis fundatæ, & *Apoſtolicarum* exinde nomen ſortitæ ſint. Quas quidem enumerans capite XXXVI., *Proxime*, inquit, *eſt tibi Achaja? habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia; habes Philippos, habes Theſſalonicen-*

ſes.

ses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde & nobis auctoritas præsto est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Atqui experimento, ut dixi, compertum est, vel ipsas ab Apostolis fundatas illas Ecclesias aut ab infidelibus occupatas esse sine fidei vestigio, aut ab hæreticis affectas a communione unitateque Corporis defecisse. Itaque neque vinculum eædem erant cæterarum, nisi quatenus in una nectebantur ipsæ, & profectas a se reliquas in eadem ista UNA nectebant. Hæc vero quæ sit, IRENÆUS paulo ante nos docuit. Non enim opus esse adfirmat in cæterarum, quæ ab Apostolis ortum habent, Ecclesiarum origines, successionemque ac doctrinam inquirere: sed sufficere, in *omnium maximam, antiquissimam,* & tanquam ex monte, universorum objectam oculis *Romanam* Ecclesiam intueri: hac sola indicata rubore suffundi hæreses, propterea, quod convenire cum ista una propter *principalitatem ejus potentiorem* Ecclesias omnes, etiam Apostolicas necesse sit; quique adeo præter hanc unam Evangelii sementem colligant, eos perperam, nec ibi ubi oportet, colligere IRENÆUS tradit.

Et vero quantum Ecclesiæ huic TERTULLIANUS detulerit, potest ex eo statui, quod prope sola hac ad refutandos, contra quos scribit, contentus sit. *Statu felix*, inquit, *Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Videamus, quid dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit?* Et capite XXII. Apostolos Apostolis componens: *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claves regni cælorum consecutum & solvendi & alligandi in cœlis & in terris potestatem?*

II. Luculentiora sunt, & ad traditionis faciendam fidem certissima, quæ CYPRIANUS *Carthaginensis* in Africa Episcopus, idemque Martyr, non uno loco consignavit literis. Velut in epistola ad Papam CORNELIUM, in qua de pseudo Episcopo FORTUNATO agens, qui FELICISSIMUM cum literis Romam miserat, ut circumveniret & in partes suas pertraheret summum Pontificem: *Navigare*, inquit, AUDENT & AD PETRI CATHEDRAM, *atque* AD ECCLESIAM PRINCIPALEM, *unde* UNITAS SACERDOTALIS EXORTA EST: *a schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non potest accessum.* (80) Et in alia ad eundem Pontificem: *Nos singulis navigantibus, ne*

(80) Epist. LV. Edit. Pam.

ne cum scandalo ullo navigarent, rationem reddentes, scimus, nos hortatos eos esse, ut ECCLESIÆ CATHOLICÆ RADICEM ET MATRICEM *agnoscerent ac tenerent.* Statimque: *ut te universi Collegæ nostri, &* COMMUNICATIONEM TUAM, *id est*,. CATHOLICÆ ECCLESIÆ UNITATEM *pariter & charitatem probarent firmiter ac tenerent.* (81) Adeo & Romana Ecclesia Catholicæ mater & radix, & quod inde consequens, communicatio cum ejus Antistite communionis cum Catholica Ecclesia γνήσιος tessera, characterque erat ex mente CYPRIANI, cæterorumque Africæ Episcoporum.

Componendæ sunt autem hæ sententiæ cum iis, quibus Ecclesiam super PETRUM ædificatam esse, *unitatis* formandæ & ordinandæ causa, CYPRIANUS dicit. Ut in epistola LV. ad CORNELIUM Papam: *PETRUS tamen, super quem ædificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia, unus pro omnibus loquens, & Ecclesiæ voce respondens.* Et epistola XL., quæ ad plebem data est: *Deus unus est & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una super PETRO Apostolo Domini voce fundata. Quisquis alibi collegerit, spargit; adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcunque humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur.* Tum epistola LXX. quam ex Concilio ad Numidas dedit: *Quando & baptisma unum sit, & Spiritus sanctus unus, & una Ecclesia super PETRUM origine unitatis & ratione fundata.* Septuagesima prima tandem, quæ est ad QUINTUM (non enim omnes recensere opus est) *Nec PETRUS*, inquit, *quem primum Dominus elegit, super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum PAULUS de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, ut diceret se Primatum tenere, & obtemperari a novellis & posteris sibi potius oportere: sed consilium veritatis admisit.* Quem in locum recte est a Petro COUSTANTIO animadversum, non negari, sed confirmari a CYPRIANO Primatum PETRI; idque, qui hebes non est, puto quemlibet, si modo legerit, posse capere.

Jam juxta se ista ponantur, comparenturque & contendantur cum iis, quæ primo protulimus: an erit, qui altercari de CYPRIANO nobiscum velit, & esse traditionis illum testem neget idoneum? Puto, qui sapiat, neminem fore. Nam si & Primatum inter Apostolos PETRUS habuit, estque ædificata super eum Ecclesia; propterea que super unum istum, ut Ecclesia una, Cathedra una foret; Cathedra vero PETRI Ecclesia Romana est;

 eadem-

(81) Epist. XLV.

eademque principalis eſt idcirco Eccleſia, radix & mater Eccleſiæ Catholicæ: ab eademque ipſa Unitas ſacerdotalis perinde atque ab ipſo PETRO exorta eſt; proinde communione, ſocietateque cum ea jungi, Catholici Character eſt hominis: profecto neque typus, figuraque tranſiens unitatis fuit PETRUS, ſed formavit, conſtituit, centrumque ſolidum illius fuit; neque extincta eſt cum illo hæc proprietas, ſed permanſit, & ad ſucceſſores, eoſque non alios, quam Romanos Pontifices dimanavit.

Quod ut magis etiam intelligi poſſit, CYPRIANUS in eo loco, qui ex epiſtola quadrageſima a nobis depromptus eſt, ſuammet contra FELICISSIMUM defendit cauſam, ſchiſmaticum hominem, qui Carthaginenſis ſe Eccleſiæ Epiſcopum fecerat. A quo uti gregem ſuum CYPRIANUS removeat, nec niſi unum in quavis Eccleſia poſſe Epiſcopum eſſe oſtendat; exemplum a generali ſumit Eccleſia, quæ ſupra unum ædificata, in uno nectitur, & colligatur. Futilis profecto & vacua boni ſenſus argumentatio, ſi non ut plebs cum uno Epiſcopo, ſic Epiſcopi cum uno capite copulati omnes forent, inque Corpus & rempublicam ſacram concederent! Id quod pulcherrime a Ludovico THOMASSINO obſervatum eſt in eo libro, quem gallice de unitate Eccleſiæ catholicæ ſcripſit. Nam poſtquam alterum hunc ille adtuliſſet locum CYPRIANI: *Et idcirco Dominus inſinuans nobis unitatem de divina authoritate venientem, ponit & dicit: Ego & Pater unum ſumus: ad quam unitatem redigens Eccleſiam ſuam, denuo dicit: Et erunt unus grex & unus Paſtor, ſi autem grex unus eſt, quomodo poteſt gregi annumerari, qui in numero gregis non eſt? aut Paſtor haberi quomodo poteſt, qui manente vero Paſtore, & in Eccleſia Dei ordinatione ſuccedanea præſidente, nemini ſuccedens, & a ſe ipſo incipiens, alienus ſit & profanus*? Hæc inquam ille cum ſic protuliſſet; tum iſta, quæ latine verto, ſubjunxit: " Eſto, ſermonem fortaſſis habuerit CYPRIANUS de " particulari Eccleſia, in qua non niſi unus eſſe Epiſcopus poteſt: multo " ſplendidius, quod dicit, & majori cum majeſtate in univerſalem Eccle- " ſiam convenit. De hac quippe, quæ totum perfectumque Corpus eſt " JESU CHRISTI, longe eſt verius, unam eſſe, nec poſſe dividi, trahereque " unitatem ſuam ab unitate Patris, & Filii, fundatamque a JESU CHRISTO " eſſe ſuper petram, ſuper ſanctum PETRUM, ſuper fidem, quam ille con- " feſſus eſt. Hi enim explicatus ſunt verborum ſcripturæ, omnes veri, " probatique a viris ſanctis. Unaquæque particularis Eccleſia in partem " venit emolumenti iſtius, unitatiſque divinæ, quia portio eſt Eccleſiæ " univerſalis. Sed Eccleſia, quam JESUS CHRISTUS fundavit, ſine dubio " univerſalis præcipue eſt, diffuſa per totum mundum, & ſpatia ſæculo- " rum. Abſit, tenuiora cogitemus de magnitudine, de immenſitate, de

" æter-

" æternitate, de omnipotentia Incarnati Verbi. Pretium ſanguinis ejus, " magnumque opus, quod eſt molitus, non rebus parvis circumſcribitur. Immovero Eccleſia eſt hujus Univerſi, Eccleſia omnium ſæculorum. Majoris autem res eſt momenti & intereſt pluris, unitatem Eccleſiæ ſtabiliri, quæ regionum temporumque ſpatiis non finitur, quam " particularis alicujus Eccleſiæ. Iſtius enim, quæ univerſalis eſt, pax pacem " omnium includit cœterarum, fulcitque illam atque ſuſtentat. Quodſi " ſingulis igitur Eccleſiis unum JESUS CHRISTUS Epiſcopum, unum Caput præpoſuit ad conſervandam unitatem; quid? non ille Caput, non " vinculum unitatis toti ſuæ Eccleſiæ providerit? Atqui ſi ſit clariſſimum, " Apoſtolos & Succeſſores eorum Epiſcopos ab eo poſitos, ut particularium eſſent Eccleſiarum capita: haud certe minus manifeſtum eſt ex " Evangelio, S. PETRUM Caput ab illo conſtitutum eſſe, tam Collegii Apoſtolici, quam totius Epiſcopatus, qui Apoſtolatui univerſalis Eccleſiæ " ſuccedit. Hæc vir ille doctiſſimus.

Peccaverim ego verò, ſi libri, quem de unitate Eccleſiæ CYPRIANUS ſcripſit, mentionem non fecerim: nam præſtantiſſimus is eſt, omniumque, quæ ſunt de Eccleſia ejusque ſtatu a nobis dicta, compendium. Elucubratus eſt contra NOVATIANUM, qui mortuo FABIANO, cum in locum illius CORNELIUS Romæ Pontifex creatus eſſet, NOVATI Carthaginenſis Presbyteri, nefarii, impuriſſimique hominis uſus opera atque conſiliis, ſchisma fecerat: cumque a pauciſſimis ſuæ partis Epiſcopus electus eſſet; in Africam, qui numerum augerent factionis, & in communionem ſuam incautos traherent, legatos miſit; & ut EULOCHIUS apud PHOTIUM eſt auctor, PUROS *nominavit eos, qui ſecum agmen contra Eccleſiam facerent*, CORNELIANOS *vero, qui ejus ambitionem & dementiam deteſtarentur.* Adverſus hunc hominem multa ſunt a S. CYPRIANO in epiſtolis diſputata. Sed in hoc opere, quod de unitate Eccleſiæ ſcripſit, in eo totus eſt, ut a factione ſchismatica Chriſtianos deterreat. Demonſtratque, Eccleſiam non niſi unam eſſe poſſe, quæ tametſi fuſa ſit per terrarum orbem; tametſi Epiſcopos & Epiſcopatus habeat multos: unum Corpus, una reſpublica, una Eccleſia nihilominus ſit, ſupra PETRUM, PETRIque cathedram ædificata. Cathedram PETRI autem Romanam nominari Eccleſiam a CYPRIANO, aliquanto ſupra oſtenſum eſt. Libet verba ſancti Doctoris adſcribere. Poſtquam dixerat, *aſtutia Diaboli ortas hæreſes eſſe ac ſchiſmata*, ſubjungit: *Hoc eo fit, fratres dilectiſſimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec Caput quæritur, nec Magiſtri cœleſtis doctrina ſervatur. Quæ ſiquis conſideret & examinet; tractu longo atque argumentis opus non eſt. Probatio eſt ad fidem*

facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: *Ego tibi dico, inquit, quia tu es* Petrus, *& super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non vincent eam. Ego tibi dabo Claves regni cælorum, & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis: Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat. & dicat: sicut misit me Pater, & ego mitto vos; Accipite Spiritum sanctum; si cui remiseritis peccata, remittentur illi, si cui tenueritis, tenebuntur: tamen ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit* Petrus, *pari consortio præditi & honoris & potestatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus* Petro *datur, ut una Christi Ecclesia, & cathedra una monstretur. Et Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur.* Et paulo inferius: *Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? qui Ecclesiæ renititur & resistit, qui cathedram* Petri, *supra quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* Ac rursum: *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quæ in multitudinem latius incremento fæcunditatis extenditur, quo modo solis radii multi, sed lumen unum, & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum. Et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: a fonte præcide rivum, præcisus arescet. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas Corporis separatur: ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit; profluentes largiter rivos latius expandit:* Unum *tamen caput est, & origo una, & una mater fæcunditatis excessibus copiosa.* En locum, quem, tametsi prolixus esset, mihi totum est visum adscribere, quod sint in eo varia, quæ notari desiderem.

Primo quidem nulla vox neque in iis, quæ modo protulimus, neque in toto, qui de unitate est, libro ostendi potest; qua sit id agere visus Cyprianus, ut electionem Cornelii cum Novatiani electione contendat, hancque nullam, istius legitimam esse demonstret. Adsumit vero,ponitque tacite potius, solum Cornelium verum esse Romanum Episcopum: quo

quo posito in id unum convertit operam, ut Ecclesiam non nisi unam esse posse, eamque in PETRO illiusque cathedra requiescentem probet. Quæ quid ad scopum faciat disputatio; quemadmodum feriat illum, in quem est suscepta, nemo quantumvis perspicax idem sit, meo judicio intelliget: nisi hæc ratio CYPRIANO constiterit, non posse eum, qui a successore sancti PETRI legitimo sese sejunxerit, cathedramque cathedræ opposuerit, & schisma cum NOVATIANO fecerit, aut Episcopum omnino esse, aut Ecclesiæ membrum.

Tum illud vero quid est: *ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit*? Equidem FEBRONIO & Contubernali ejus hariolari sic placuit: CHRISTUM, cum unum PETRUM est adlocutus, non rem solidam contulisse huic Apostolo; sed adlocutionis ipso modo, tanquam typo & adumbratione quadam fluxa indicasse velle, se ut communi opera, & conjunctis studiis Evangelii propagationi omnes incumberent. Quod si verum est (est autem falsum multis nominibus) *manifestationem* ego quidem unitatis qualemcunque video; *unam cathedram*, cathedram, quæ manifestandæ unitatis causa sit posita, prorsus non video. Nisi forte pro eodem habere nos ista volunt: *hominem adloqui*, & *sedem ponere*; *adloqui unum & cathedram unam constituere*? Quod vero sic etiam quis nescio, fraterculis iisdem persuasit, *unius cathedræ* nomine *totam Ecclesiam à* CYPRIANO significari, tam est id turpe, ut explicari verbis non possit. Foret hujusmodi enim verborum CYPRIANI sensus: *Christus ut Ecclesiam unam faceret*, *aut ut ostenderet*, *esse unam*, *se velle*, *unam fecit*: quæ ταυτολογια & aliena est ab humano sermone, & CYPRIANO non nisi à furentibus potuit aspergi. Est igitur evidens & luce clarior viri sancti sententia: CHRISTUM cum apud MATTHÆUM, JOANNEMque adlocutus est PETRUM; non adlocutum esse duntaxat; sed adlocutum sic, ut super unum ædificarit Ecclesiam, cathedramque unam, id est, cathedram PETRI, tum, quando adloquebatur, constituerit: itaque in PETRO, ejusque Cathedra Ecclesiam ipsam & Episcopatus omnes requiescere, hoc est, Ecclesiam unam, cathedram unam fieri: quod ego aliter sic soleo dicere: *statum*, remque publicam, & principatum componi unum ex multis. Et ut hoc etiam consideremus, quod proxime sequitur: *unitatis originem ab uno incipientem auctoritate sua disposuit*: quid? nihil hæc tibi, quam adumbrationem & fugientem cum sono pompam significare videntur? Ego vero *disponere*, & *pro auctoritate* disponere, ad rem solidam, permanentem ac stabilem pertinere arbitror. Quare cum originem hujus unitatis incipientem ab uno pro auctoritate disposuisse CHRISTUM, CYPRIANUS dicat; cumque peractum non ille hunc quasi ludum um-

 bratilem

bratilem Jerosolymis ac Cæsareæ Philippi, punctoque temporis illo, quo adlocutus est CHRISTUS PETRUM, putaverit; sed Romanam Ecclesiam Cathedram PETRI nominet, Ecclesiam principalem, radicem, matricemque Ecclesiæ Catholicæ, ex qua unitas sacerdotalis, ipsa illa, quam ab uno incipientem auctoritate sua CHRISTUS disposuit, exorta sit, & in omnes manaverit: puto, nisi equis ac remis fugiamus quæ vera sunt, dubitari ultra non posse, quin & pro statu, reque publica Ecclesiam CYPRIANUS habuerit, & hujus nexum ac centrum in Romana collocatum Ecclesia (id quod nos opere hoc toto agimus, & in quo vis momentumque est omne positum disputationum nostrarum) judicarit.

Atque heinc jam intelligitur, quo illa spectent: *Dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur.* Et inferius: *unum tamen caput est & origo una.* Ac quod de radio non avellendo a sole, de ramo non separando ab arbore, deque rivo non abducendo a fonte CYPRIANUS differit. Quis enim neget, in centrum illud unitatis, seu in cathedram PETRI ista cadere? Quanquam propius, an remotius eo pertineant, nolim de hoc quidem contentiosus esse. Patiar bifariam exponi posse. Nam & Ecclesia velut radiorum ramorumque ac rivorum spectari multitudo potest, & inde cum sole, radice, fonte aut capite comparari. Quo quidem sensu si CYPRIANUM locutum esse dixerimus; nihil est porro, cur quid idem *solis*, *radicis*, *fontis* atque Capitis significarit nominibus, cur inquiramus: est enim perspicuum, *cathedram* PETRI significasse. Rursum *Ecclesia tota*, ut Episcopatus & Ecclesias singulas complectitur, comparari cum *singulis* eum in modum potest, quo *totum* ad *partem* referimus, ac cum illa contendimus, atque sic *solis*, *arboris*, *fontisque* nomina Ecclesiæ quidem competunt; sed Ecclesiæ, ut est totum quoddam: totum autem, ex disparatis præsertim rebus, & quarum perfecta est suo quæque in genere, sine nexu quodam communi neque fieri neque cogitari potest ulla ratione. Quis autem nexus ille ex CYPRIANI sententia? Dixi, nec est iterum ut dicam necesse. Id solum observo, JURIÆO ipsi tam esse mentem hujus sancti Doctoris visam conspicuam, ut cum torquere, quo maxime vellet, ejus verba non posset; prorsus intestabilem coactus sit facere, & adversarium profiteri. Atque hæc satis de CYPRIANO in præsens. Jam enim adverto, cum abscisse nominare Patres statuissem; in CYPRIANO nescio quo modo prævaricatum me propriam legem, nec promissis stetisse.

III. CYPRIANO συγχρονος & familiaris fuit FIRMILIANUS Cæsareæ in Cappadocia Episcopus. Atque is eodem errore cum esset correptus, qui CYPRIANUM invaserat, ab hæreticis verum baptisma non posse conferri; scrip-

ſcripſit iſta ad CYPRIANUM de STEPHANO Romano Pontifice. *Atque ego in hac parte juſte indignor ad hanc tam apertam & manifeſtam* STEPHANI *ſtultitiam, quod qui ſic de* EPISCOPATUS SUI LOCO GLORIATUR, *&* SE SUCCESSIONEM PETRI TENERE *contendit*, SUPER QUEM FUNDAMENTA ECCLESIÆ COLLOCATA SUNT, *multas alias petras inducat, & Eccleſiarum multarum nova ædificia conſtituat, dum eſſe illic baptiſma ſua auctoritate defendit. Nec intelligit* (hæc enim ſequuntur poſt pauca) *obfuſcari a ſe & quodammodo aboleri Chriſtianæ petræ veritatem, qui ſic prodit & deſerit unitatem.* (82)

Faciam alibi, ut objeciſſe FIRMILIANUM CYPRIANUMque nobis, quantum ad contentionem eſt illam cum Papa STEPHANO, FEBRONIUM & corrivalem ejus *Janſeniſtam* pœniteat. Nunc primum illud adverti volo, STEPHANUM virum ſanctiſſimum & CHRISTI Martyrem, cum CYPRIANO, ne *innovaret contra atque traditum eſſet*; præcepit; Epiſcopatus ſui commendaſſe locum: id quod FIRMILIANUS, ut acrimonia & dolor animi dictabat, *gloriandi* maluit verbo, quam modeſtiore, ut debebat, alio exprimere. Obtendiſſe ſucceſſionem S. PETRI, atque iſto nomine, quid agendum prætermittendumque eſſet, pro auctoritate mandaſſe. Quid? adeone jam pudet nos *Romani* nominis, quo & Majores noſtri gloriati ſemper fuerunt, & ab inimicis etiamnum adpellamur nos atque ſecernimur, ut quod integerrimi ſanctiſſimique ſunt teſtati Pontifices, id repellendum, quod error & iracundia FIRMILIANO ſuaſit, laudandum, oſtentandum, imitandum eſſe nobis putemus? Atqui quantumvis iratus hic, non negabat, ſuper PETRUM fundamenta Eccleſiæ collocata eſſe: non negabat, STEPHANUM ſucceſſorem eſſe ſancti Petri; non negabat; immo vero adſumebat, certiſſimumque habebat, unitatem Eccleſiæ unitate petræ contineri. Sed pugnare ſecum ipſo Stephanum putabat, qui tot petras, quot hæreticorum baptiſmata, videretur invehere. In quo falſus ille quidem eſt: ac ſi acerbius multa ſcripſit, effuditque in STEPHANUM; pro præjudicio valere non poteſt. Sed de hoc alias pluribus.

IV. Ducit me ordo ad ea tempora, quibus cum Ariana hæreſi Eccleſia conflictabatur. Sed cum multa conferri indidem ad argumentum diſputationis poſſint; fere Ethnici hominis teſtificatione, atque iis, quæ hic de LIBERIO Romano Pontifice conſignavit literis in hiſtoriarum decimo quinto libro, eſſe contentus volo. Atque id ſane conſtat, quemadmodum in ATHANASIUM, quo tum præcipue res catholica in oriente nitebatur, Arianorum converſa ſint odia. Certabatur in ejus perniciem totis

tis

(82) Epiſt. 75. inter epiſt. Cypriani.

tis Imperii opibus, (83) ſed ille unius Liberii auctoritate ſtabat, quod ab Ammiano his eſt verbis expreſſum: Imperator *Athanaſio ſemper infeſtus, licet ſciret impletum* (de exauctoratione Athanasii loquitur) *tamen auctoritate quoque, qua* potiores *æternæ urbis Epiſcopi, firmari, deſiderio nitebatur ardenti.* (84) Scilicet tam alte animis inſidebat Arianorum iſta, ut Athanasius ſcribit, cogitatio: *ſi Liberium in noſtram ſententiam traxerimus, omnes brevi ſuperabimus.* (85) Extant literæ hujus Pontificis ad Constantium Auguſtum, quibus, cum hic ſuperbiam ei objeciſſet, quod auctoritate ſedis ſuæ unus omnibus ſeſe opponeret, ille ſic huic reſpondet: *Secutus morem ordinemque Majorum, nihil addidi Epiſcopatui urbis Romæ, nihil minui paſſus ſum.* (86) Tum quod eſt expreſſius ad communionis cum Romana ſede neceſſitatem comprobandam, ad Euſebium Vercellenſem idem Pontifex ſcribens: *Me*, inquit, *frater cariſſime, ad ſolatium vitæ præſentis erigit invicta fides tua, qua ſecutus Evangeliorum præcepta, nullo genere a conſortio ſedis Apoſtolicæ diſcrepaſti.* (87)

V. Optati *Milevitani* pervulgatus quidem eſt locus; ſed vereor, ut perinde vim ejus, ac maxime debent, omnes intelligant. Is poſtquam in ſecundo libro contra Parmenianum, Eccleſiam unam eſſe docuerat; ſubinde dotes, quibus diſcerni dignoſcique ea poſſit, enumerare inſtituit. Quas quidem eſſe quinque adſerit; ſed eas ita aptas & colligatas, ut quæ Eccleſia unam, eadem omnes teneat: neque enim divelli ac ſeparari invicem poſſe. Harum omnium principem, ex qua cæteræ nectantur, eſſe *cathedram Romanam*: tum ſequi, immo duci ab illa *Angelum*, quæ eſt ſecunda dos; ubi Angeli nomine Eccleſias reliquas, quæ ab Apoſtolis fundatæ, Apoſtolicæque ab Antiquis dictæ ſunt, intelligit. Sunt enim ſeptem iſtarum adnotatæ in Apocalypſi a Joanne Apoſtolo, & uniuſcujuſque Epiſcopus adpellatione Angeli deſignatus. Quare qui cum Romana Eccleſia communione conjuncti ſunt, eos & cæteris Eccleſiis conjungi, atque una reliquas habere dotes, Optatus ſcribit: ab his vero avulſos, neque

(83) Quantum cordi Imperatori fuerit Athanaſii exitium, declarant verba hæc ejus in Dialogo cum Liberio: *Nullam victoriam tanti facio, ne illam quidem, quam de Magnentio retuli, ac de Sylvano, quanti ut hic ſceleratus ab Eccleſiæ adminiſtratione ſubmoveatur.* Apud Pet. Couſtantium Tom. I. Col. 438.

(84) L. 15. Cap. VIII.

(85) Athan. in epiſt. ad ſolitariam vitam agentes.

(86) Couſtant. Tom. I. Col. 425.

(87) Ibid. Col. 422.

que dotes habere veræ Ecclesiæ, neque in Ecclesia Christi esse omnino. Sed libet verba adtexere. *Videndum*, inquit, *ubi sint quinque dotes, inter quas cathedra est prima. Igitur negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, unde & Cephas adpellatus est* *: *in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedra unica, quæ est prima de dotibus. Sedit prior Petrus, cui successit Linus*, cæterique, quos ex ordine ad ætatem usque suam enumerat: tum de SIRICIO: *Qui*, inquit, *hodie noster est socius, cum quo nobis totus orbis commercio formatarum, in una communionis societate concordat.* Et aliquanto inferius: *Contra quas portas claves salutares accepisse legimus*, PETRUM, PRINCIPEM *scilicet* NOSTRUM, *cui a Christo dictum est: Tibi dabo Claves regni cœlorum, & portæ inferorum non vincent eas. Unde est ergo, quod claves regni vobis usurpare contenditis, qui contra* CATHEDRAM PETRI *vestris præsumptionibus & audaciis, sacrilegio militatis?* Ac rursum: *Igitur de dotibus supra dictis cathedra est, ut supra diximus, prima, quam probavimus, per Petrum nostram esse: qui ducit ad se Angelum. Nisi forte eum vobis vindicantes, habetis in loculis clausum? Mittite illum, si potestis, excludat septem Angelos, qui sunt apud socios nostros in Asia, ad quorum Ecclesias scribit Apostolus Joannes. —— Extra septem Ecclesias quidquid foris est, alienum est. Aut si inde habetis aliquem unum; per unum communicatis & cæteris Angelis, & per Angelos memoratis Ecclesiis, & per ipsas Ecclesias nobis.* Denique: *probatum est*, inquit, *nos esse in Ecclesia sancta catholica, & per cathedram Petri, quæ nostra est, per ipsam & cæteras dotes apud nos esse.* Proxime dixerat: *Intelligite vel sero, vos esse filios impios, vos esse abscissos palmites a vite, vos rivum concisum a fonte.* Hactenus ille. Sunt autem iis, quæ CYPRIANUS scripsit, hæc ita similia, ut pœnitere jam me prope incipiat, in explicandis vindicandisque hujus sententiis prolixiorem aliquanto operam me fecisse. Quis enim OPTATO interpres melior? nam & Afer est ut CYPRIANUS, ac si non elegans perinde & comptus, haud certe indoctior.

Quid autem si & ii, quos ille persequitur, de nulla re magis, quam ut *Romani* videri possent, laboraverint? Id de omnibus quidem hæreticis memoriæ proditum est; sed quoniam in OPTATO versor, quid de DONATISTIS hic duntaxat protulerit, quid coram objecerit, volo verbis ejus adscribere . . Postquam communionem cum cathedra Ecclesiæ primam dotem esse OPTATUS dixerat; dein ista subjungit: *Vestræ cathedræ vos ori-*

 ginem

* Verba hæc, *unde & Cephas adpellatus*, adsuta sunt.

ginem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vindicare! Sed & habere vos in Urbe Roma partem aliquam dicitis? Ramus eſt veſtri erroris, portentus de mendacio, non de radice veritatis . . Tum pſeudo Epiſcopos, quos Donatiſtæ Romam ablegaverant, atque ut alter alteri ſuffectus fuerit, qu o communionem cum Romana cathedra jactare poſſent, recenſet. Oſtendit vero, ad communionem non modo nunquam fuiſſe admiſſos, ſed *ſpeluncam quandam foris a civitate gradibus ſepſiſſe, ut conventiculum habere poſſent*, & *Montenſes* fuiſſe inde adpellatos. Ita cathedram non habuiſſe, niſi peſtilentiæ: hoc enim proprium eſſe peſtilentiæ, ut qui illa decedunt, in ſpeluncis ſepeliantur. Ubi ſpeluncas argute *inferos* vocat; contra *inferos* vero claves ſalutares accepiſſe Petrum dicit. Verba: *ſi Victori diceretur* (fuit is primus, quem Donatiſtæ Romam legaverant) *ubi ſederit; nec ante ſe aliquem illic fuiſſe monſtraret, nec cathedram aliquam, niſi peſtilentiæ oſtenderet. Peſtilentia enim morbis extinctos homines ad inferos mittit. Qui inferi portas ſuas habere noſcuntur, contra quas portas, claves ſalutares accepiſſe legimus Petrum, principem ſcilicet noſtrum.* Et cætera, quæ modo retulimus. Quare tantidem (non enim alium opinor ſenſum quis eruet) tantidem prorſus OPTATUS fecit, a communione Romanæ Sedis diſcluſum eſſe, atque inferis jam eſſe addictum; & id CHRISTUM ſignificaſſe, cum PETRO claves dedit, & Eccleſiam ſuper eum ædificavit. Nunc cæteros abſciſſe proferam.

VI. GREGORII *Nazianzeni* vulgatum carmen eſt de Roma vetere.

Fides vetuſtæ recta erat jam antiquitus,
Et recta perſtat nunc item, nexu pio
Quodcunque labens ſol videt, devinciens,
Ut *univerſi præſidem mundi* decet. (88)

AMBROSIUS de obitu fratris ſui: *Advocavit ad ſe Epiſcopum, nec ullam veram putavit niſi veræ fidei gratiam, percontatuſque ex eo eſt, utrumnam cum Epiſcopis Catholicis*, HOC EST CUM ROMANA ECCLESIA CONVENIRET. Nempe in locum is quendam incurrerat, de quo dubitabat, hæretici an Catholici eum incolerent?

Ipſius AMBROSII celebratur vox ea ab ARNULPHO Mediolanenſi hiſtorico: *Cupio*

(88) Carmi. de vita ſua. p. 9.

pio in omnibus Romanam sequi Ecclesiam. (89) Et *Aquilejense* Concilium sub eodem AMBROSIO in epistola ad Imperatores: *Totius orbis Caput Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam Apostolorum fidem ne turbari sineret, obsecranda fore clementia vestra. Inde enim in omnes venerandæ communionis* JURA *dimanant.* (90)

S. DAMASUS pro eodem habuit, Ecclesiæ, aut Romanæ Sedi copulari: hinc ad PAULINUM *Antiochenum* scribens, *ne tibi*, inquit, *scrupulus resideret, & volentes forsitan* ECCLESIÆ *copulari, tua cautio probanda differret, fidem misimus, non tam tibi, qui ejusdem fidei communione sociaris, quam his, qui in ea subscribentes, tibi, id est,* NOBIS *per te voluerint sociari.* Et SOZOMENUS de eodem DAMASO. *Cum hæc quæstio* de divinitate Spiritus sancti *agitaretur, & contendendi studio magis magisque cresceret; Episcopus Urbis Romæ scripsit ad orientales Ecclesias, ut unam Trinitatem consubstantialem cum occidentalibus Episcopis confiterentur. Quo facto, utpote* CONTROVERSIA JUDICIO ROMANÆ ECCLESIÆ TERMINATA, SINGULI QUIEVERE, ET CONTROVERSIA FINEM ACCEPISSE VISA EST. (91) Ipse Gratianus Orientis Imperio potitus, legem tulit, *ut ædes sacræ iis traderentur, qui cum Damaso communicarent*: de quo Theodoretus est testis. (92)

Prudentius in Hymno S. HIPPOLYTI:

Fugite o miseri execranda Novati
Schismata, Catholicis reddite vos populis.
Una fides vigeat, prisco quæ condita templo est,
Quam tenet cathedra Petri.

Et cujus non calamo illud detritum est, quod Hieronymus ad Papam Damasum scribit, cum id quæreretur, tres, an unam in Trinitate hypostasin liceret dicere? quod cum Meletius quidem adfirmaret; vereretur vero quid nescio doli suspicatus Hieronymus; consulendum Damasum hic sibi putavit: extantque literæ ejus hac de re duæ, quarum in prima, quæ est decima quarta inter cæteras: *Ego*, inquit, *nullum primum nisi Christum se-*

(89) Lib. 3. Hist. Mediol. C. 15. sententia sumpta est ex Ambros. L. 3. de sacram. qui si Ambrosii fortassis non sit, perinde habet: nam est pervetus saltem.
(90) Tom. 2. operum S. Amb. p. 89.
(91) Epist. 5. apud Coustant.
(92) Sozom. L. 6. Cap. 21.
(93) Theodor. L. 5. hist. Cap. 2.

ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione conſocior. Super illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Siquis in Arca Noe non fuerit, peribit. Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Ac poſtea: *Decernite ſi placet, obſecro. Non timebo tres hypoſtaſes dicere. Si jubeatis, condatur nova poſt Nicænam fides*, ubi *fidei* nomine profeſſionis formulam ſignificat, *& ſimilibus verbis confiteamur orthodoxi.* In ſecunda vero ad Damaſum, quæ eſt ſexta decima: *In tres partes*, inquit, *ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat. Ego interim clamito, qui cathedræ Petri jungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, Paulinus tibi hærere ſe dicunt. Obteſtor literis Beatitudinem tuam, ut mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare, ſignifices.* Non ſum ego neſcius, ac probe memini, *ampullata* a FEBRONIO iſta dici. Quod a DUPINIO ſuo mutuatus eſt, qui *officioſe ac per exaggerationem* HIERONYMUM ea ait ſcripſiſſe. Sed cur adulationem, quæ a mendacio nihil admodum diſtat, inſcitiamque non vocant? Errant vero, ſi reſponſurum his me putent calumniis: nihil opus eſt apud bonos ac pios; præſertim quoniam & IRENÆI & CYPRIANI & OPTATI recitatis ſententiis HIERONYMI tam ſunt dicta ſimilia, ut ovum ovo. Id æque frivolum eſt, neceſſitate prudentiæque legibus compulſum fuiſſe HIERONYMUM, ut, cum in tres partes videret ſciſſam Orientalem Eccleſiam; ipſe ad Occidentalem ſe reciperet; & eo magis, quod Alexandrinam cum Patriarcha ſuo THEOPHILO in eadem eſſe opinione cum Occidentali perſpiceret. Quaſi vero non diſerte a S. *Petro, ejuſque cathedra* rationem ſumpſiſſet HIERONYMUS, aut quaſi non contra etiam, atque ipſe & Alexandrini optabant, ſi modo juſſiſſet DAMASUS, ad nominandas tres Hypoſtaſes paratum ſeſe fore ſcripſiſſet?

VII. AUGUSTINI hoc celebre eſt ex epiſtola XLIII., *Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ cathedræ viguit Principatus.* Atque in Pſalmo contra partem Donati: *Venite*, inquit, *fratres, ſi vultis, ut inſeramini in vite. Dolor eſt, cum vos videmus præciſos ita jacere.* Quid ita? Ubi vitis? *Numerate ſacerdotes vel ab ipſa Petri ſede, in Ordine illo Patrum quis, cui ſucceſſit, videte. Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Quæ ſunt ex OPTATO, ut patet, quaſi hauſta compendio. S. PROSPERI laudatum eſt carmen: *Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis, Relligione tenet.* Quo etiam ſenſu auctor libri *de vocatione gentium Lib. II. Cap. XVI. per Apoſtolici Sacerdotii principatum amplior facta eſt arce religionis, quam ſolio poteſtatis*

ſtatis, Imperatoriæ videlicet. De LEONE M. dicam alias. Ponam ex re Liturgica nunc, quod BALLERINIUS, & ante illum MAMACHIUS adnotarunt ex Codice Sacramentorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quem quidem Codicem Joſephus Auguſtinus Orſius Ordinis Prædicatorum a S. Gelaſio Pontifice, Blanchinius vero a Leone primo digeſtum exiſtimat. In quo hæc habentur: *Vere dignum, qui ut hanc ſedem regimen Eccleſiæ totius efficeres, & quod hæc ſervaſſet, oſtenderes ubique ſervandum, ſimul in ea & Apoſtolicæ principem dignitatis, & magiſtrum gentium collocaſti.* Et in alia Miſſa: *Qui ſecundum promiſſionis tuæ inviolabile conſtitutum Apoſtolicæ Confeſſioni ſuperna dignatione largiris, ut in veritatis tuæ fundamine ſolidatæ nulla mortiferæ falſitatis jura prævaleant, ipſaque ſit ſacri Corporis ubique compago, quæ te diſpenſante devota ſubſequitur, quidquid ſedes illa cenſuerit, quam tenere voluiſti totius Eccleſiæ principatum.*

Conſentit ſancti PETRI *Chryſologi* illud, quod ad Eutychen Conſtantinopolitanum Archimandritam ſcripſit: *In omnibus hortamur te, frater, ut his quæ a Beatiſſimo Papa Romanæ Civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria ſede & vivit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.*

Et EPIPHANIUS, Conſtantinopolitanus ille, non Salaminæ in CYPRO Epiſcopus, ubi de electione ſua HORMISDAM certiorem facit; *Eſt mihi ratio*, inquit, *magnopere uniri me vobis.* Atque STEPHANUS *Lariſſæ* Epiſcopus in libello, quem BONIFACIO II. obtulit: *Auctoritas ſedis Apoſtolicæ, quæ a Deo ſalvatore noſtro ſummo Apoſtolorum data eſt, ſanctarum Eccleſiarum privilegiis antecellit, in cujus confeſſione omnes requieſcunt Eccleſiæ.*

MENNAS item Conſtantinopolitanus Epiſcopus in ſynodo ejusdem urbis: *Nos*, inquit, *Apoſtolicam ſedem ſequimur, & obedimus, & ipſius communicatores, communicatores habemus, & condemnatos ab ipſa & nos condemnamus.* Quid? ſi pro eodem ſemper ſit habitum, ad *Eccleſiam Romanam*, aut ad *Catholicam* reverti *Eccleſiam*, ſiqui ex ſchismate ad primam ſalubritatem reſpexiſſent? Id quidem profeſſio illa teſtatur, quæ in Appendice operum S. GREGORII legitur: *Prona & ſpontanea voluntate ad* UNITATEM SEDIS APOSTOLICÆ, *divina gratia duce reverſus ſum, & ne non pura mente, ſeu ſimulate reverſus exiſtimer, ſub mei ordinis caſu ſpondeo & anathematis obligatione = ſemper me in* UNITATE SANCTÆ ECCLESIÆ CATHOLICÆ, & COMMUNIONE ROMANI PONTIFICIS *per omnia permanſurum.*

Nec aliter venerabilis BEDA: ſcribit enim in Caput XVI. Matthæi, ver-

baque illa, *& tibi dabo claves regni cælorum: Ideo Beatus Petrus, qui Christum vera fide confessus, vero est amore secutus, specialiter claves regni cælorum, & principatum judiciariæ potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicunque ab unitate fidei vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec januam possint regni cælestis ingredi.* BEDAM imitatus est, ac prope exscripsit RABANUS in idem Matthæi caput. ANSELMUS vero, is qui auctor *enarrationum* est in Matthæum, ad eundem locum: *ideo*, inquit, PETRUM *principem Apostolorum instituit, ut Ecclesia quasi unum principalem vicarium Christi haberet, ad quem diversa Ecclesiæ membra recurrerent, si forte inter se dissentirent; quoniam si diversa essent capita in Ecclesia, unitatis vinculum rumperetur per diversa schismata.*

Et HINCMARUS Remensis in trigesimo tertio opusculo, quadragesimo quinto capite: *Quæ sunt in universo mundo, quaquaversum se Catholica diffundit Ecclesia, licet per terrarum plagas dispersa, sub uno tamen Pastore ac Pastorum principe* CHRISTO, *unitate fidei in ovili uno conclusa, suscipere meruit prima sedes; & omnium Ecclesiarum in toto orbe terrarum mater atque magistra.* Sic etiam is, cujus ad Eugenium TOLETANUM extat epistola sub nomine S, ISIDORI: *Dignitas potestatis*, inquit, *& si ad omnes Catholicarum Ecclesiarum Episcopos est transfusa; specialius tamen Romano Antistiti, singulari quodam privilegio, velut capiti cæteris membris celsiori permanet in æternum. Qui igitur debitam ei non exhibet reverenter obedientiam, a capite sejunctus, acephalorum schismati se reddit obnoxium.*

Tandem Alcuinus, ut is agmen claudat, nec infiniti simus, sic in epistola LXX.: *Ne schismaticus inveniatur, & non catholicus, sequatur probatissimam sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, ut unde Catholicæ fidei initia accipimus, inde exemplaria salutis nostræ semper habeamus; ne membra a capite separentur suo; ne claviger regni cælestis abjiciat, quos a suis deviasse intelligit doctrinis.* Et in epistola ad Leonem: *vere dignum esse fateor, omnem illius gregis multitudinem suo pastori, licet in diversis terrarum pascuis commorantem, una caritatis fide subjectam esse.* (94)

Ite nunc boni, & interpretamenta, immo nugamenta, quæcunque vultis, confingite: ego quidem & veritati & rationi & pudori intulisse bellum

(94) Epist. 72.

bellum vos dicam, Nam *traditione* cum res agatur, & ſæculorum iſta curſu ac propagatione conſtet; quid eſt ſtolidius, quam ut vim ejus propulſes, in uno, quod pro ſe loqui non poteſt, teſtimonio Patris alicujus vexando fatigare equuleum: quod omnes, quod una voce dicunt, quod diuturnitas ſæculorum clamat vociferaturque, id neque curare velle, neque attendere? Atqui fruſtra jam porro quæretur, quid *Eccleſia principalis* Cypriano, quid *principatus Apoſtolicæ cathedræ* Auguſtino ſignificent? Eſt *Irenæus* enim interpres, atque Eccleſiam eſſe dicit, ad quam cæteras convenire omnes neceſſe ſit. De *Irenæo* item fruſtra, quo ille ſenſu *conveniendum ad hanc* omnibus ſcripſerit, quæretur. Nam CYPRIANUS exponit, cum Eccleſiam unam ac ſuper unum fundatam, & in uno nexam ac colligatam toto libro oſtendit. Atque hoc ipſum rurſus ne cavillationibus tricisque pateat, OPTATUS, facit. Nam explicatiſſima eſt hujus ſententia, Eccleſiam CHRISTI eſſe non poſſe, quæ communione cum Romana cathedra exciderit: hanc primam dotem eſſe veræ Eccleſiæ, ac trahere cæteras, & quæ ſimilia diſertiſſime ab illo ſunt ſcripta. Denique ne cuncta repetam, quære de ſingulis; reſpondebunt omnes pro ſingulis, centrum ac vinculum omnium Eccleſiarum Romanam eſſe Eccleſiam: ita cum innumeri Epiſcopatus ſint, atque Eccleſiæ, fieri unam eo modo ex omnibus, ut ſit ſola vera, quæ Romana ſit atque dicatur. (95)

Atque his ego contentus eſſe omnino poteram, nec erat neceſſe, ad ſordes ac nugas Febronii & gregalis ejus admovere calamum. Sed faciam tamen, quoniam intereſt omnium, quid pervicacia inſcitiaque poſſit, ac quantas vires frons habeat perfricta & obdurata, exemplo horum duum, ſi nondum ſciant, cognoſcere.

§. II.

(95) Scriptorum, quorum junior eſt ætas, infinitum prætermiſi numerum; ne decepti falſis decretalibus dici poſſint. Sed quoniam duos Adverſarii ipſimet nominarunt & in nos commoverunt, horum verba admetiri placet. Sic JOANNES *Sariſbergenſis* Tom. XV. Bib. PP. epiſt. 83. *Navem Piſcatoris egregii Eccleſiam eſſe ſcimus: Romanum Pontificem Principis Apoſtolorum non ambigimus eſſe Vicarium, qui ſicut Rector clavo navem, ita ſigilli ſui moderamine Eccleſiam regit, corrigit, & dirigit univerſam.* Goffrid. Viterb. Chron. p. 16. *Adſentior autem matri noſtræ R. Eccleſiæ, quæ fundata eſt ſupra* CHRISTUM, *id eſt petram.*

§. II.

Irenæi textus a FEBRONII & JANSENISTÆ calumniis vindicatur.

I. Ex quo disputari de Primatu Romanorum Pontificum cœptum est; IRENÆI illa quam dixi sententia propugnaculum semper firmissimum, aheneusque, ut ita loquar, murus fuit causæ catholicæ. Hujus enim objectu sagacissimus Europæ regum aliquis a consortio hæresis diverti se passus est: hac triumphatum est semper a nostris, atque a Gallia comprimis, quæ quemadmodum sinu suo hunc aluit sanctissimum Præsulem, sic quod ab Apostolis idem acceperat, transmisitque posteris, celebrare scriptis atque sermonibus suis nunquam destitit. Quid ageret factio? illa quam toties, quam jure, quam convictam rebus atque verbis suis hoc voco nomine, FEBRONIANA factio? an stylo parceret? an cederet? daret, quod eripere nulla nobis ratione potest? Equidem cum primo classicum insonaret ad tumultuandum, hoc est, cum tomum primum ederet FEBRONIUS; permittendum utcunque locum IRENÆI esse nobis putavit; sed dissimulandam vim: id quod apud imperitos & incuriosos istarum rerum, atque in loquacitate præsertim tanta, non modo non arduum, verum etiam facile, immo facillimum erat. Sed anonymus JANSENISTA majores animos sumpsit. Novam commentus ille est interpretationem verborum S. IRENÆI, quæ quod in manus interea venisset adparanti tertium tomum FEBRONIO; pronum conjectu est, qua lætitia qua voluptate perfusus sit. Continuo totam exscripsit: exscripsit autem? Devoravit, adeo verum putabat, amicorum communia esse omnia oportere. En una & furtum & interpretationis prodigium!

SCHEMA FURTI.

JANSENISTA *Anonymus* *Lib. de Prim. R. a pag. 454.*	FEBRONIUS *Tom. III. Tit. II §. VI. a. pag. 47.*
IRENÆUS sui temporis hæreticos refellens, Ecclesiarum traditionem eis objicit, erroribus eorum contrariam, & quæ ex doctrina Episcoporum, qui Ec-	S. IRENÆUS sui temporis hæreticos refellens, Ecclesiarum Traditionem illis objicit, erroribus eorum contrariam, quippe quæ ex doctrina Episcoporum,

qui

JANSENISTA *Anonymus*.

clesiis præfuerant, dignosci facile poterat.... " *Traditionem itaque Apostolo-*" *rum* &c. (Recitat textum usque ad " verba, *præterquam oportet, colligunt.*) Huc usque nihil video quo stabiliatur Ecclesiæ Romanæ seu ejus Episcoporum auctoritas. Imo cum eis IRENÆUS alias Ecclesias, earumque Episcopos exæquat, utpote qui etiam ab Apostolis doctrinam, institutionemque acceperint.... *At ecce petra scandali.* " Ad hanc enim " Ecclesiam (pergit IRENÆUS) propter " potentiorem Principalitatem necesse est " omnem convenire Ecclesiam, hoc est " eos qui sunt undique fideles, in qua " semper ab his qui sunt undique con" servata est ea, quæ est ab Apostolis, " traditio. En textus, in quem illiduntur jurisdictionis divinæ ac universalis Paparum defensores. . . . . Sed totam viam errant &c. *Vide infra Num X.* Et vero si intelligi deberent de potestate Papali cujusmodicunque sit, quid sequentibus verbis significaretur, *necesse est omnem convenire Ecclesiam*, nisi aut necessarium esse omnem Ecclesiam cum Romanis Pontificibus in eadem doctrina convenire, aut necessarium esse in eadem communione cum ipsis esse. At . . . si voce ista *convenire*, IRENÆI interpres intellexisset consensionem doctrinæ, aut communionem Ecclesiasticam, non dixisset profecto, *ad hanc enim Ecclesiam*, sed, *cum hac enim Ecclesia necesse est omnem convenire Ecclesiam;* cum ista elocutio, *convenire ad*, ex usu non adhibeatur ad designandam

FEBRONIUS

qui Ecclesiis hactenus præfuerant, dignosci facile poterat: " *Traditionem*, " inquit S. *Martyr* &c. (Recitat textum usque ad verba, *præterquam*, " *oportet, colligunt.*) „ Hucusque nihil, quo stabiliatur *Monarchia* Romanæ Ecclesiæ & Episcoporum ejus in alios *Imperium*. Imo cum eis IRENÆUS alias Ecclesias, harumque Episcopos exæquat, utpote qui etiam ab Apostolis doctrinam, institutionemque acceperint. Verum prosequitur IRENÆUS: *Ad hanc enim Ecclesiam* (Romanam) PROPTER POTENTIOREM PRINCIPALITATEM necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt UNDIQUE *fideles, in qua semper ab his, qui sunt* UNDIQUE *conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* En locus, ad quem adpellit impetus defendentium jurisdictionem Papæ Monarchicam. *At potentior*. . . . *Vide infra Num. X.* Et vero si intelligi deberent de potestate Papali, cujusmodicunque ea sit, quid sequentibus verbis, *necesse est omnem convenire Ecclesiam*, significaretur, nisi consensionem doctrinæ cum Ecclesia Romana vel communionem Ecclesiasticam cum eadem. Verum eo sensu S. Pater profecto non dixisset, *ad hanc enim Ecclesiam*, sed CUM *hac enim Ecclesia necesse est omnem convenire Ecclesiam;* quandoquidem ista elocutio *convenire ad*, ex usu non adhibeatur ad designandam unitatem doctrinæ, aut societatis, sed translationis de loco ad locum. Hoc ultimo sensu eandem elo-

JANSENISTA *Anonymus.*

unitatem doctrinæ aut societatis, sed translationem a loco in locum. Hoc ultimo sensu eandem elocutionem interpres usurpat multis aliis locis. Sic Libro 2. contra hæreses c. 39. dicit: *Moris erat Judæis ex omni regione tempore hoc convenire in Jerusalem.* Lib. 1. n. 12. de hæreticis ait: *In omnem diem festum Ethnicorum primi conveniunt* Lib. 2. c. 39. *Omnes Seniores, qui in Asia apud Joannem Discipulum Domini convenerunt.* Et Lib. 3. c. 25. de septuaginta Interpretibus scripturæ loquens: *Convenientibus autem ipsis in unum apud Pholemæum.* Ex variis his exemplis patet, vocem hanc *convenire* ad mentem interpretis idem sonare ac *ire, se conferre, congregari.* Unde concludendum est, verbum hoc in objecto textu non aliud significare. Hoc autem eo magis probabile est quod addat IRENÆUS: *hoc est, eos qui sunt undique.* ... Cum enim Ecclesiæ integræ illuc (Romam) ire non possent, postulabat ratio, ut mentem suam aperiret, has voces *omnem Ecclesiam* limitando ad fideles, qui Romam ex omni Ecclesia confluebant. Hincque facile videtur, istis aliis vocibus, *potiorem Principalitatem,* nullo modo designari supremam Ecclesiæ Romanæ aut ejus Episcoporum jurisdictionem. ... Quis igitur verus ac genuinus sensus hujus IRENÆI textus? iste profecto: intelligit nempe sanctus Doctor, cum Roma Imperii Caput esset, Sedes Imperatoris & Senatus, centrum totius civilis potestatis, necesse esse ad

FEBRONIUS

cutionem IRENÆUS ipse aut ejus interpres (originario enim, id est, græco textu caremus) pluribus aliis locis usurpat. Sic Lib. II. Cap. 39. dicit: *Moris erat Judæis ex omni regione tempore hoc convenire* IN *Jerusalem.* Item Lib. I. n. 12. de hæreticis ait: IN *omnem diem festum Ethnicorum primi conveniunt.* Dein Lib. II. Cap. 39. *Omnes Seniores, qui* IN *Asia* APUD *Joannem Discipulum Domini convenerunt.* Demum Libro III. Cap. 25. de septuaginta Interpretibus scripturæ loquens: *Convenientibus autem ipsis* IN *unum apud Pholemæum.* Ex variis his exemplis patet, hanc vocem *convenire* ad mentem IRENÆI aut interpretis ejus, idem sonare ac *ire, se conferre, congregari.* Unde concludendum, idem verbum non aliud significare in textu, de quo agitur. Porro quid per *omnem Ecclesiam* intelligat sanctus Pater, ipse explicat subdens: *hoc est eos, qui sunt undique, fideles.* Cum enim Ecclesiæ integræ Romam ire non possent, postulabat ratio, ut mentem suam aperiret, has voces *omnem Ecclesiam* explicando per *fideles*, qui illuc ex omni Ecclesia confluebant. Inde etiam colligitur, aliis illis vocibus *potentiorem Principalitatem* nullo modo designari supremam, multo minus unicam seu solitariam, Ecclesiæ Romanæ, aut Episcoporum ejus *jurisdictionem.* Iste econtra eorum genuinus sensus est, quod, cum Roma Imperii Caput esset, Sedes Imperatoris & Senatus, Centrum totius civilis potestatis, necesse sit ad

JANSE-

Jansenista *Anonymus.*	Febronius
hanc Urbem, & proinde ad Ecclesiam in ea florentem undique convenire fideles, ob negotia seu privata seu Ecclesiarum suarum. Ita ut Roma quasi Concilium generale tunc esset perpetuo congregatum, sicque fons purus Apostolicæ doctrinæ, cujus conservationem juvabant aliarum Ecclesiarum fideles: *In qua semper ab his* &c. Idcirco Irenæus, ut coævos suos confunderet hæreticos, satis ducebat, si eis Romanæ Ecclesiæ testimonium objiceret. Convicti enim traditione hujus Ecclesiæ, ad quam fideles undique convenientes orbis universi fidem ferebant, omnium simul Ecclesiarum pondere revera obruebantur. Verum quid hæc juvant suppositititiam illam, summam ac divinam Ecclesiæ Romanæ seu Episcoporum ejus Jurisdictionem? Nonne similiter de Constantinopoli dixit Nazianzenus: ad eam undique ab extremis terræ convenire fideles; nonne ideo *oculum universi* nominavit eam, communemque fidei fontem? " *Civitatem orbis oculum, ad quam extrema terræ undique conveniunt, & a qua velut communi fidei emporio incipiunt.* Orat. 32. Num propterea voluit S. Doctor, Ecclesiæ Constantinopolitanæ communionem omnibus ad salutem esse necessariam? aut ipsius Episcopis divinam competere in omnes Ecclesias Jurisdictionem? Sensus juxta quem omnibus necesse est cum Romanis Pontificibus communione sociari, aperte refellitur ipsa Irenæi agendi ratione. Cum enim	eandem Urbem, ac proinde ad Ecclesiam in ea florentem, *undique* convenire fideles, ob negotia, seu privata, seu suarum Ecclesiarum. Ita, ut Roma quasi Concilium generale tunc esset perpetuo congregatum, sicque fons purus Apostolicæ doctrinæ, cujus conservationem juvabant aliarum Ecclesiarum fideles: quod sic expressit sanctus Pater: *in qua semper ab his* &c. Idcirco Irenæus, ut coævos, suos confunderet hæreticos, satis ducebat, si eis Romanæ Ecclesiæ testimonium objiceret. Convicti enim traditione hujus Ecclesiæ, ad quam fideles undique convenientes orbis universi fidem ferebant, omnium simul Ecclesiarum pondere revera obruebantur. Quod de Ecclesia Romana dixit Irenæus, hoc de Constantinopolitana Gregorius Nazianzenus Oratione XXXII; scilicet ad eam undique ab extremis terræ convenire fideles: *Civitatis orbis oculum*, inquit, *ad quam extrema terræ undique conveniunt, & a qua veluti communi fidei emporio incipiunt.* Non propterea voluit S. Doctor, Constantinopolitanæ Ecclesiæ vel ipsius Episcopo Monarchicam competere in omnes Ecclesias Jurisdictionem, aut ab illa nullam Ecclesiam, etiam ex causa utcunque legitima ad tempus separari posse. Repeto, quod alibi dixi, omnibus necesse esse, cum Romanis Pontificibus communione sociari; sed vel ex ipsius S. Irenæi sententia suas habet hæc regula limitationes &c. Cum Victor Papa a communione sua Episcopos &

Jansenista *Anonymus.*	Febronius
Victor a communione ſua Epiſcopos & Eccleſias Aſiæ reſecaſſet, quod Paſcha die lunæ 14. celebrarent, non ſolum hunc actum condemnavit Irenæus; ipſumque Victorem acriter reprehendit, ſed etiam in eorum communione perſeveravit, quos a ſua ſegregaverat hic Papa.	Eccleſias Aſiæ, reſecaſſet eo quod Paſcha die 14. Lunæ celebrarent; non ſolum hunc actum palam CONDEMNAVIT Irenæus, ipſumque Victorem acriter reprehendit, ſed etiam in eorum communione perſeveravit, quos a ſua hic Pontifex ſegregaverat.

II. Quid dicam? humanæ ac naturalis vim intelligentiæ eſſe tantam in uno homine, acumenque tantum? Ego vero commentatione putem iſta nihil præſtantius, nihil divinius poſſe fieri: prorſus ut in mentem nunc illam devenerim, in cœmeterio ſancti Medardi clam atque furtim hoc ſibi oraculum Janſeniſtam abſtuliſſe: publice enim, ut conſtat, non amplius loquitur S. Diaconus. Bene habet: meditabimur nos ſingula, quantum heic opus eſt. Primum hoc docet; cum viveret S. Irenæus, conſueſſe ex omnibus mundi partibus Chriſtianos Romam venire, ut coram Imperatore, ſenatuque ac populo negotia ſua ſive privata ſive Eccleſiarum ſuarum exponerent. Id ei narranti quis volet reſiſtere? Atque utinam prius narraſſet! eſt enim dudum, quod pias mentes offenderit *Janſeniſtarum* facinus, cum neque Pontifices, neque Epiſcopos audiunt; ſed utroſque, & Eccleſiam ipſam, ac Religionis noſtræ myſteria, & fidei doctrinæque cœleſtis capita ad profanas curias rapiunt, inque ſtrepitum & calamiſtrum committunt Cauſidicorum. Quod quam multo nos æquius tuliſſemus, ſi Irenæi novum interpretem habuiſſemus! Nam ſi Nerones, Domitianique, & coronati, ut fere erant, carnifices Eccleſiarum arbitri ſedere poterant; ſi ſenatus ac Conſules, quorum omnis non ad Imperii tum quidem tuendos ac propagandos fines amplius, ſed ad tenebrarum, idololatriæque ac ſcelerum amplificandum regnum explicari ac diſtendi auctoritas videbatur, convertebantur ſtudia, referebantur conſilia, cogitationes omnes; ſi de Deo ac JEſu Christo, de Religione ac ſacris legibus, de Epiſcopis & ſacerdotibus, de officiis populi (hæc enim Eccleſiarum tum erant negotia) in Capitolio, & apud venerem impudicam, martem adulterum, Jovem, non illum regno magis, quam vitiis principem, cumque ipſis ſuis fulminibus in amores ardentem improbos, ſceleratos, nefandos:

&

& ut verbo dicam, si superstitio de sanctitate, sacrilegium de virtute, de pudore lascivia, de hominibus belluæ, atque Babylon de regno cœlorum disceptare judicareque poterant: quæ queat ratio reddi probabilis, cur non & hodie summa fidei ad Civiles abduci magistratus possit, disceptarique in foro, & a profanis Causidicis declamari? Nisi forte quod Gentilibus fuisse datum concedimus, id Christianis fas esse negemus?

III. Sed absit, illius nos testem vesaniæ atque furoris IRENÆUM esse credamus. Quæ enim *participatio Justitiæ cum iniquitate?* inquit Apostolus. *Aut quæ Societas Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templo Dei cum idolis?* Neque sane tam incuriosos putare possumus & immemores sui atque Evangelii primos sanctissimosque illos Patres fuisse, uti contra atque monuerat eos Christus, *margaritas ante porcos projicerent*, & *sanctum canibus darent:* quique pœnam inter sese ultimi exempli habebant, *pro Ethnico & publicano* devitari, apud Ethnicos asylum ipsi virtutis, & in arce scelerum atque vesaniæ præsidium honestatis, religionis, fidei, legum, sacerdotii & Evangelii quærerent. Apage! commentum hoc est, quod nec aures ferre Christianæ possunt, nec est probabile omnino, sed falsum, stolidum, impium, solis hostibus dignum Christiani nominis.

Quid? quod profana nequidem & privata negotia tractare Romæ & apud senatum Christianis fas fuerit? Id enim caverat Apostolus, & acerrime in Corinthiis suis reprehenderat. *Audet aliquis vestrum?* (sic scribit in prima ad eos epistola) audet aliquis, *negotium habens adversus alterum judicari apud iniquos, & non apud sanctos? Ad verecundiam vestram dico: sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit dijudicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud infideles?* Christiani itaque primis sæculis edititios habebant judices ex cœtu fratrum: plerumque Episcoporum suorum arbitrio stabant, eorumque nutu atque sententia transigebant. Erant ad hæc lites inter eos rarissimæ, sed summa pax & animorum concordia. Quæ quidem ipsa gravissimum odium invidiamque illis concivit. Unde Ethnicus apud MINUTIUM FELICEM: *Eruenda*, inquit, *prorsus hæc & execranda consensio: occultis notis & insignibus noscunt & amant se mutuo, antequam noverint:* fuitque hæc ratio, cur flagitiosissimi & turpissimi passim crederentur, qui, quid inter se agerent, summo silentio occultarent. Quid autem? persuadere post ista *Batavus*, FEBRONIUSque nobis volunt consuesse Romam Christianos undique confluere, exemploque ac more gentilium litigare in foro & in senatu;

 & qui-

& quidem quotidie, aut tam frequenter, ut quasi *Concilium* tum quoddam Romæ perpetuum Christianorum esset, dicique posset? ubi mens?

Atqui ne hoc quidem verum est, cum gentilibus habere causas ac lites Christianos consuevisse. Nam iis, quibus viverent, rebus contenti erant, ac neque mercaturam exercebant, neque patrimoniis inhiabant. Quin usque eo erant invisi & intestabiles; sola ut *religionis* ad eos damnandos *exceptio*, immovero ad perdendos sufficere passim crederetur. Age vero, quo exemplo purgabunt se isti nobis fraterculi, ne scripsisse stolide nos eos putemus? Si unum vel duo proferant (quæ vereor, ut ex tota antiquitate possint extundere;) nos multo plurima, obvia, quotidiana desiderabimus. Ea enim necessaria omnino sunt, ut commentum de *Concilio* illo suo in urbe *perpetuo* probabilitatis aliquo colore obducant. Tandem quid in foro Christiani facerent, qui in cavernis ac cryptis esse tuti non poterant? Sic omnibus rebus laborat fabula; omnibus: nec modo veri habet speciem nullam; sed ad vecordiam amentiamque comparata tantam est, quantam, si experimentum non ejus cepissem, credidissem non posse cadere in humanam naturam.

IV. Est autem de cætero longe clarissima IRENÆI sententia, nec fuit necesse, ad dilucidandam & collustrandam illam, tot ineptiarum committere se pelago, verecundiæque & sanæ rationis naufragium facere? Etenim hæreticorum ille dogmatum vanitatem ut ex novitate refelleret, ad Apostolicam traditionem eos provocat: quam ex omnibus illis Ecclesiis, in quibus ab Apostolis constituti sunt Episcopi, & eorum successoribus ad suum usque tempus posse repeti ait. *Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire: & habemus enumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur.* Dein quod in omnium Ecclesiarum tabulas ac forulos ingredi, & Episcoporum percensere catalogos, molestioris res operæ esset ac tædii plena: unius Romanæ Ecclesiæ Episcopos percenset IRENÆUS. *Sed quoniam valde longum est,* inquit, *in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ eam quam habet ab Apostolis traditionem & annuntiatam hominibus fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.*

Ita-

Itaque & maximam & antiquiſſimam, & omnibus cognitam & a duobus Apoſtolis fundatam conſtitutamque Eccleſiam IRENÆUS ROMANAM eſſe dicit. Deinde non aliam, quam ROMANAM deſignat, cui hoc proprium ſit ut Eccleſiæ fidelesque omnes neceſſario ad eam conveniant. Quare autem? *propter potentiorem principalitatem*, ejus utique ipſius Eccleſiæ, quæ eſt *maxima*, *antiquiſſima*, *omnibus cognita* & aſpectabilis. & ab Apoſtolis PETRO & PAULO fundata. Hanc enim Eccleſiam *principalem* eſſe, etiam CYPRIANUS & AUGUSTINUS ſcripſerunt. Et IRENÆUS hoc ipſo in loco cum ἀρχαιοτατην nominavit, non eo intellexit ſenſu *antiquiſſimam*, quod ſit ortu prior Eccleſia *Romana* Eccleſiis reliquis; ſunt enim prius revera formatæ plures, ut *Jeroſolymitana* & *Antiochena*; ſed præſtantiam intellexit ac principatum; ut ſit ἀρχαιοτατην pro eodem ac ſi *principaliſſimam* ac *præſtantiſſimam* dixiſſet. Enimvero eſt ἀρχαιον græcis non id ſolum, quod priſcum, ſed & *primum*, *principale*, *præcipuum*. Unde ἀρχαιος λογος apud eos dicitur, id eſt præcipua & capitalis ratio: & ἀρχαιον καταλυθεντες, qui principatu dejecti ſunt. ORIGENES item itineris ſui reddens rationem apud EUSEBIUM, εὐξαμενος, inquit, τ̈ ρωμαιων ἀρχαιοτατην ἐκκλησιαν ἰδειν, *quod in optatis haberem Romanam videre Eccleſiam omnium principem.* Nam ita vertendum eſſe recte ab HALLOISIO (96) eſt obſervatum.

Quanquam quid his opus habemus? *Ad hanc enim* ECCLESIAM, inquit, *propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire* ECCLESIAM: ubi Romani heic mentio Imperii? ubi Imperatoris? ubi ſenatus? ubi conſulum? Tollantur igitur humanus ſermo, uſus, voces, judicia, communis ſenſus! quæ quorſum habeantur, ſi pervertere corrumpereque liceat, quidquid clarum, manifeſtum, evidens eſt, non capio, non intelligio. —— Adhæc ſi de civili principatu IRENÆO ſermo fuit; quid eſt, quod POTENTIOREM nominarit? *Potentiorem* enim non ſine comparatione ad *plures* vocat. Quamobrem plures neceſſe eſt principalitates tum fuerint. In Romano autem Imperio nulla, præterquam Romæ fuit; qua in urbe tota majeſtas continebatur. Quodſi de *Eccleſia*, ut debet, intelligatur IRENÆUS; aptiſſima locutio eſt: quot enim Eccleſiæ, tot principatus ſunt item ſacri; quemadmodum qui IRENÆO proximus fuit, ORIGENES ſcripſit, nosque alibi ex illo probavimus. Sed tamen hæc etiam præteriri patiar. Repetamus ſententiam!

IV.

(96) Notat. ad Cap. 7. vitæ ORIGENIS præfixæ defenſioni ejus p. 9.

V. *Maximæ & antiquissimæ*, ait, *& omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo fundatæ Ecclesiæ eam* QUAM HABET AB APOSTOLIS *traditionem & annuntiatam hominibus fidem* PER SUCCESSIONES EPISCOPORUM *pervenientem usque ad nos* INDICANTES *confundimus omnes.* Subjicit Romanorum Pontificum catalogum a PETRO & PAULO usque ad ELEUTHERIUM, quem duodecimum numerat. *Fundantes igitur & instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Succedit autem ei Anacletus: post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens: Huic autem succedit Evaristus, & Evaristo Alexander. Sextus ab Apostolis, constitutus est Sixtus, & ab hoc Telesphorus, ac deinceps Hyginus, post Pius, post quem Anicetus. Cum autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius.* Concludit, ac nulla voce intercepta subjungit: *Hac* ORDINATIONE AC SUCCESSIONE, *ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio & veritatis præconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, unam & eandem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata & tradita in veritate.*

Quis ista legens, cumque somniis novorum Interpretum ea componens moderari sibi, ne a se exeat, possit? Scribit IRENÆUS, id esse verum, quod ab Apostolis traditum sit. Dein testem conservatricemque atque etiam disceptatricem hujus traditionis *successionem* facit Romanorum Episcoporum; recensetque idcirco singulos, concluditque, hac *ordinatione*, hac *successione* eam, quæ est ab Apostolis, traditionem & veritatis κηρυξιν (sic enim græce locutus fuerit) dimanasse ad posteros: & ἀποδειξιν seu demonstrationem hanc esse plenissimam, non fide alia homines salvari, quam quæ Episcoporum sit illa Romanorum conservata vocibus atque scriptis: quare vel ista sola indicata omnes hæreses confundi. Hæc inquam IRENÆUS: nec putabam ego hactenus, qui vellet aliter interpretari, ullum sub sole hominem me reperturum. Sed sum deceptus. Aliter JANSENISTA ac tiro ejus. Nihil, si hos audimus, IRENÆUS de *Ecclesia principe* locutus fuit, nihil de PETRO & PAULO, nihil de Episcoporum successione Romanorum. Quid igitur? quod in mentem sancto Martyri nunquam venit, nec ex verbis ejus ne iste œdipus quidem vel Apollo Delphicus queat extundere. Hoc, *cum ex omnibus partibus mundi ad Capitolium Christiani confluant*; *una fidem eos omnium Ecclesiarum inferre Romæ.* Scilicet non hoc est furere? Non Catilinæ in modum, ac tanquam ex patera adversus veritatem, evidentiam, lucem, insaniam bellumque bibere?

V.

V. Sed ſtate viri! Ait Irenæus: *ſed quoniam valde longum eſt* (ſunt enim repetenda rurſum S. Martyris verba) *in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones; maximæ & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, a duobus Apoſtolis Petro & Paulo fundatæ Eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos, indicantes, confundimus omnes. Ad hanc* ENIM *Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam.* Si hoc modo ille dixiſſet: *ad hanc* INSUPER *Eccleſiam*; foret radiolus aliquis veritatis in fabula. Conjunxiſſet duo enim argumenta traditionis, rectæque fidei: alterum in conſenſione poſitum adventantium undequaque Romam Chriſtianorum; alterum, idemque primum, quod a ſuccedentium ſibi poſt Petrum Epiſcoporum Romanorum ſerie ducitur. Sed Irenæus, *ad hanc* ENIM dicit. ENIM. Quæ cum ſit cauſæ index particula; rationem neceſſe eſt ſuperioris partis ſententiæ pars poſterior contineat. Ergo hoc erit modo Irenæi informanda argumentatio: " Qui veræ fidei " amantes ſunt, ii exquirant, quid Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores do-" cuerint: eſt enim ſucceſſio illa velut tradux quidam Apoſtolici ad nos " ſeminis. Sed quoniam omnium ex Eccleſiarum tabulis ac laterculis Epi-" ſcoporum catalogos texere nimis longum eſt: ſatis fuerit, in *Romanam* " intueri Eccleſiam, & in ea, quam Petrus & Paulus depoſuerint fidem, " advertere. Reſcietur ea autem, ſi attendatur, quid docuerit Linus Pe-" tro proximus, quid Anacletus, quid Clemens, cujus potentiſſimæ eti-" amnum literæ ad Corinthios extant? quid Evariſtus, quid Alexander? " tum quid Sixtus, Teleſphorus, Hyginus, Pius, Anicetus, Soter? & " hoc ipſo tempore quid Eleutherius doceat? Hujus illuſtrata & pate-" facta doctrina ſucceſſionis, nihil porro ad cujuſvis nominis hæreticos " diſſipandos opus erit. Ecce theſin Irenæi! Quei probat autem? probare quidem certe particula ENIM indicat. Quodſi hariolis duobus credimus; probat ſic: quia Romam negotiorum cauſa ex omnibus mundi finibus Chriſtiani conveniunt, & eo fidem ſuam ſecum aſportant. Hæc anne collectio eſt? an argumentatio ſui compotis, & quid agat atque dicat, ſentientis hominis? Jam ergo & plumas molles eſſe ex eo probabo, quia lapis durus eſt, & ceſpitem viridem, quia olor albus eſt. Prô portenta pervicaciæ & obſtinationis! malunt cæci, malunt inſani eſſe, & inſaniſſimos ſecum omnes, etiam doctiſſimum quemque Patrum ſanctorum facere, quam pati, eſſe veri ab iis ſcriptum aliquid, atque contra, quam ipſos furor iſte ſuus, dolorque & animi rabies docuerunt. Quid tam male de vobis Irenæus meruit, ut tam incredibilem ei vecordiam & inſcitiam adfingeretis?

Sententia clara eſt. *Ideo, ideo* ſatis eſſe ait, Romanæ traditionem Eccleſiæ, Epiſcoporumque, qua conſervari ea debuit, perſpectam habere ſucceſſionem, quoniam princeps eſt iſta Eccleſia, centrumque ac communis nexus cæterarum: á quo qui ſe disjungunt, ii *præter quam oportet, colligunt*, ut ibidem IRENÆUS addit, atque adeo *ſpargunt*, ut HIERONYMUS interpretatur; *Catholici* autem, ut eſt apud AMBROSIUM, adpellari omnino non poſſunt. (97) Hic ſenſus verborum eſt: *ad hanc enim Eccleſiam*; nihil ſordes attinebat conquirere. Sicut quoniam terraquei hujus eſt globi ea ſtructura, uti corpora parteſque omnes gravitate ſua ferantur ad centrum, contineanturque illo, & in illud incumbant, ac globum faciant: ideo *convenire ad illud* univerſa dicimus, tametſi quieſcant, nec mota loco fuerint.

V. Quo quidem apto & quotidiano exemplo etiam futilis ea diſſipatur ac inſulſa novorum interpretum ratio, ex *conveniendi* ſumpta verbo, quod peregrinationem ſignificare putant. Miſerrima & commiſeratione digna ratio. Etenim lapidem ad centrum dico *ferri*, etiam cum rupi hæret: terram, maria, ac res omnes *convenire* ad centrum dico, tametſi ſitum nunquam mutaverint. Itaque & de Eccleſiis hoc modo IRENÆUS ſcripſit. Ut enim ſphæram iſta unam univerſa, ſic Eccleſiæ ſingulæ Eccleſiam unam conſtituunt: & ut avulſus a centro lapis & in altum projectus, relabi debet niſu & quaſi caſtigatione quadam revocatus violatæ ac repugnantis naturæ: ſic & Eccleſiæ: quæ cum ab Romana, omniumque principe Eccleſiarum ac centro diſcedunt; pervertunt deſcriptum ſibi a CHRISTO ordinem ac ſitum, redireque debent, non templorum utique translatione ac corporum, verum animis atque ſententiis.

Quanquam ut hoc fingamus, quod non ego conceſſerim, parum latine iſta dici: IRENÆUS quidem græce ſcripſit, & qui tranſtulit, de verbo & κατα ρητον interpretatus eſt. Heinc adeo paginæ omnes ac lineæ græciſmis refertæ ſunt: velut hoc ipſo in capite: *adeſt perſpicere omnibus; habemus annumerare*, & ſic deinceps. Eſt autem uſitata græcorum phraſis: συμβαινειν προς τινα; quam ſi ad verbum reddas; *convenire ad aliquem* ſignificat; ſed revera pro ſocietate, fœdere, concordia & conſpiratione ſumitur. Atque ita vel ipſe CLAUDIUS SALMASIUS acatholicus & Calvinianus homo IRENÆUM expoſuit. *Neceſſe eſt dicit* (ſunt verba SALMASII) *omnem*

(97) Vid. ſup. pag. 38. 40.

nem Ecclesiam convenire ad Romanam, id est, ut græce locutus fuerat Irenæus, συμβαινειν προς την τῶν Ρωμαιων Εκκλησιαν, *quod significat, convenire & concordare in rebus fidei & doctrina cum Romana Ecclesia.* (98) Sicut & Paulus in secunda ad *Corinthios* epistola, τις συμφωνησις, inquit, χριστῳ προς βελιαλ; *quæ conventio Christi ad Belial?* id est, cum Belial.

Ex quo sane patet, quam sit inanis a Jansenista & ejus discipulo in quatuor aliis Irenæi describendis textibus impensa opera. Velut quod Judæis fuisse in more dixit, *convenire in Jerusalem*; hæreticis *ad omnem diem festum Ethnicorum*; quod seniores *apud Joannem convenisse*, LXX. Interpretes apud Ptolomæum. Quis enim græce latineve loquens velit aliter ista dicere? Certe εἰς *in*, παρα *apud*, *conveniendi* juncta verbo, nunquam nisi ad conventum, hoc est, itionem significandam ponuntur; idque pueri docebamur in scholis, & res ipsa loquitur. Sed προς pro *cum* usitatissimum & quotidianum est Græcis, cum Societas indicatur. Inde σπονδας ποιειται προς ἀυτȣς, *fœdus cum illis iniit*, Dionysius *Halicarnasseus* dixit, Xenophon συμμαχιαν προς ἀυτον ποιȣνται societatem cum eo ineunt. Et Synesius ἀφιςασθαι κοινωνιας προς τȣς ἀποτροφȣς abstinere commercio cum alienis. συμφωνειν tandem vel συμβαινειν προς τινα, *consonare, convenire ad aliquem*, hoc est, concordem cum illo esse. Atque hoc, non alio Irenæum sensu scripsisse de Romana aliisque comparatis inter se Ecclesiis, puto, nisi me nimium amo, demonstratum perspicue ac luculenter fuit.

VI. Sed tamen insistunt illi: ecquid inquiunt *conspirandi* aut *concordandi* non igitur verbo Interpres Irenæi usus est? Quæ est vanissima profecto & puerilis quæstio: perinde ac si de eo, qui epistolam Pauli ad *Corinthios* latinam fecit, percontaretur sic aliquis: Ille quod in undecimo capite συνερχομενων ὑμων ἐν τη ἐκκλησια, & ἐπι το ἀυτο dixit Paulus, vertit: *convenientibus vobis in Ecclesia*, & *in unum*: ecquid igitur, quod est ita positum græce: τις συμφωνησις χριστῳ προς βελιαλ, non latine magis & ad grammaticæ nostræ regulas transtulit: *quæ societas aut quæ conventio Christi cum Belial*? Cur *ad Belial* posuit? quod nos nunquam, nisi tum, cum itionem significamus, dicimus. Ut hic ergo verba verbis reddidit; sic & Irenæum qui est interpretatus: nec negari hoc potest nisi ab illo, qui vel legerit nunquam Irenæi libros, vel neque græce neque latine didicerit. Certe in utramque peccavit linguam Jansenista, cum ex adverbio *undique* deducit, Irenæum non de consensione Ecclesiarum cum Romana, sed de adventu Christianorum Romam intelligendum esse. quod oppido frigidum

(98) De Primat. Papæ Cap. 5.

est: adeo frigidum, ut posset solum in iis, quos forte ignis *Febroniani*, *Quesnellianique* hujus incendii incautos corripuit, ardores ac flammas omnes extinguere. Est enim tam græcum *παντᾳχοθεν*, quam latinum *undique* ambiguum, & ut est verbum, cui jungitur, jam motum, jam quietem indicare potest. Sicut cum dico: *hominibus improbis, calumniatoribus, Ecclesiæ atque pacis perturbatoribus* UNDIQUE *cingimur*. Aut cum HIERONYMUS; *Cœlum undique & undique pontus*. Et IRENÆUS in eodem ipso, qui objicitur loco: *qui sunt*, ait, *undique fideles*; ac rursum, *ab his, qui sunt undique*, hoc est, qui existunt & commorantur ubivis locorum: ubi non motum, sed quietem vox *undique* significat.

VII. Urinus quoque & *ὑπηνεμιος* est ille fœtus deserti ingenii: IRENÆUM, *si consensionem aut communionem intellexisset; elocutionem hanc*, OMNEM ECCLESIAM, *non explicaturum fuisse per istam:* HOC EST, EOS, QUI SUNT UNDIQUE FIDELES. *Quandoquidem*, inquit Jansenista, *priori elocutione nec magis perspicua fit posterior, nec magis ad S. Doctoris suppositum objectum conveniens*. Nugæ, prorsus nugæ. Generalis est ista vox, *omnem Ecclesiam*: evolvitur autem, fitque dilucidior, si *fideles qui sunt undique*, ei substituam. Neque vero *Valentinianos*, *Cerdonianos*, *Marcionitas*, *Gnosticos*que, & quos alios in iis libris impugnat IRENÆUS, ad Ecclesiam pertinere voluit; sed fideles tantum. Unde in proximo statim capite sub initium, Ecclesiam furibus ac latronibus opposuit: *omnes autem reliqui*, inquit, *fures sunt & latrones, propter quod oportet devitare quidem illos: quæ autem sunt* ECCLESIÆ, *cum magna diligentia apprehendere veritatis traditionem*. Quare quod Ecclesiam modo interpretatur *omnes fideles*, aut eos, qui sunt undique fideles, facit aptissime vir doctus ac sanctus. Nam est tantumdem ac si dixisset, oportere omnes qui cum furibus ac latronibus censeri non velint, ad Romanam adhærere Ecclesiam omnium principem, atque centrum Ecclesiarum.

VIII. Jam illud quo loco collocabimus, quod Jansenista, ejusque institor de Constantinopolitana ponunt urbe, hanc *orbis oculum*, a GREGORIO *Nazianzeno*, & *emporium commune fidei* fuisse adpellatam? Fateor, scripsit ista GREGORIUS, atque ut nihil vereor, *orbis oculum*, dixit, *terra marique potentissimam, Orientalis atque occiduæ oræ velut nodum & vinculum: in quam extremi totius orbis fines concurrant, & a qua velut communi fidei emporio incipiant*. Quid igitur? IRENÆO nuntium dabimus? Atqui quod modo obiter notatum volo, non sane scripsit GREGORIUS, *πρoς ἣν συμβαινει*, sed *εἰς ἣν συντρεχει*, *in quam concurrunt: concurrere* autem *in urbem*

bem, nemo aliter, quam de adventu, adeoque motu & translatione interpretabitur. Quare quod ita vertit Janſeniſta: *ad quam conveniunt*, ſum anceps, quam in partem accipiam. Neque enim imperitus ille linguæ græcæ volet videri, qui tria verba & quidem integra græce poſuit. Malim fidem igitur hominis accuſare. Nam tametſi ſi in uno nos GREGORIO hæreremus, non ea culpanda foret translatio, proprerea quod ſive *concurrere* ſive *convenire in urbem* dicas, eodem recidat: tamen qui IRENÆUM ex GREGORIO illuſtrare voluit, verborum quam qui maxime habere debebat rationem. Alioquin enim ſi non hæc eadem uterque adhibuerit; quam poterit lucem alter alterutri fœnerari? cum de verbis ſit ipſa & eorum ſenſu ac intellectu contentio. ——— Deinde dixit græce GREGORIUS, *εἰς ἥν τα πανταχοθεν ἀκρα συντρεχει*, quod ad literam: *ad quam concurrunt quæ ſunt undique extrema*, hoc eſt, *qui habitant undique in extremis terræ finibus*. Quare vel ex ipſa Gregorii illa ſententia conſtare poteſt, vocabulum *undique* ambiguum eſſe etiam Græcis, neque motum neceſſario requirere. Poſſem eadem enim relicta phraſi, ſic exempli cauſa dicere: *εἰς τα πανταχοθεν ἀκρα φημη ἐσεπτετο*: ubi non homines undique ad famam, ſed ad illos, qui ſunt undique, tametſi nec loco motos volaſſe famam ſignificarem. Sed ut dixi, iſta obiter ac per ſaturam.

Quod volo magis; diſcrimen manifeſtum eſt. GREGORIUS enim ut audientiam, Oratorum more, ſibi conciliet, a laudibus Conſtantinopolitanæ urbis exordium ſumit: quas totis paginis proſequitur, ac quemadmodum a tenuibus initiis (fuerat oppidum enim Byzantium Epiſcopatu vix olim inſigne) velut gutta quædam exilis ad majeſtatem ingentis fluvii, aut tanquam ſcintilla ad flammam cœlo æmulam, aut tanquam ſinapis granum ad amplitudinem vaſtiſſimæ & late ramos ſuos portendentis arboris pertigerit, deſcribit. Dein hoc ipſo quod Imperatorum eſt facta ſedes urbs illa, mundi oculum adpellat, orientiſque & occidentis nodum ac vinculum: atque tandem velut eloquentiæ quodam uſus jure, propter hominum eo adventantium frequentiam, *ἐμποριον* ſeu mercatum quaſi publicum fidei. Jam iſta omnia ad IRENÆUM, amabo, interpretandum, illuſtrandumque quid facient? Aperiat mihi divinator hoc aliquis; non enim capio. Oratorem an fortaſſis agit IRENÆUS? an laudes Romanæ urbis proſequitur? Immo in hoc eſt, ut ſermone plano ac ſimplici, quemadmodum fidei detegenda & demonſtranda veritas ſit, doceat. Id igitur verum eſſe ait, quod ab Apoſtolis traditum eſt; traditum porro id, quod Apoſtolorum ſucceſſores Epiſcopi tanquam per manus ſibi invicem porrexerint. Hac via, hoc modo (Bone Deus, quot ictibus opus eſt, ut in obſtippa & du-

ra capita tam manifesta res penetret) repetam igitur, hac ordinatione & successione (neque enim sermo nisi de successione est in illo toto capite) conservari eam, quæ est ab Apostolis, traditionem, & transmitti ad posteros, IRENÆUS scribit. Nec tamen opus esse contendit, singularum idcirco successores Ecclesiarum investigando persequi; verum sufficere, si ad maximam, antiquissimam a PETRO & PAULO fundatam Ecclesiam convertamus oculos, & quid PETRUS *Lino*, ille ANACLETO, iste CLEMENTI, tum alii aliis reliquerint, adtendamus. Quare autem? quare satis hoc, & cur minime opus est, *Jerosolymitanæ*, *Antiochenæ*, *Cæsareensis Ephesinæ*que & aliarum, quæ ab Apostolis institutæ sunt item, Ecclesiarum Episcopos & successiones nosse? manifesta responsio: *Ad hanc enim Ecclesiam*, inquit, hoc est, quia ad hanc Ecclesiam, ad hanc maximam, antiquissimam & a duobus Apostolis PETRO & PAULO fundatam Ecclesiam necesse est omnem convenire Ecclesiam. Atqui jam ego dixi, & dico, frivolum, putidum, boni sensus, & intelligentiæ vacuum hoc esse responsum, probationemque illam & rationem, si de adventantium populorum concursu, non de communionis autem consensionisque cum Romana Ecclesia necessitate locutus fuerit IRENÆUS. Quid enim adventus ille populorum SUCCESSIONEM juvat?

Sed neque poterant convenire Romam tum ad senatum, & ad Ethnicos Imperatores Christiani; sicut Constantinopolim postea ætate GREGORII, cum pacatæ res erant, & Imperatores ipsi, totumque Imperium, idolorum dimissa vanitate serviebat CHRISTO. Non etiam dixit GREGORIUS: ad *Ecclesiam*, quæ est Constantinopoli, sed ad *Civitatem* extremi fines conveniunt. IRENÆUS vero *ad hanc Ecclesiam*, inquit; & ad hanc *propter potentiorem principalitatem:* nec modo *conveniunt* dicit, sed *necesse est convenire omnes*: de civili autem Imperio nulla vox ac ne apex quidem apud IRENÆUM. —— Tandem quod hic ita subjungit: *in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio*, ubi unquam GREGORIUS, ubi alius de Byzantina scripsit Ecclesia? Equidem Batavus ad παροξυσμον heic rursus suum, & *convulsionem* revertitur, ac de Concilio putat ista dici, quod inter catastas, rogos, & gladios habitum Romæ somniavit. Sed nihil minus est. Habemus interpretem ipsum sui IRENÆUM; hic audiatur. Significanter enim, & exemplo, quod scripserat, illustraturus, ubi ad CLEMENTEM in ea quam dixi, recensione Pontificum Romanorum venit; sub hoc ait, cum schisma non leve fuisset ortum inter Corinthios, potentissimas ad eos literas dedisse Romanam Ecclesiam, ac cum ad concordiam revocasse animos dissentientes, tum periclitantem inter

ter

ter eos fidem expositione & doctrina sua reparavisse. (99) Sic tum igitur CORINTHII, sic alii in Romana Ecclesia *conservabant fidem*: hoc est præsidium in ea firmum, arcem, centrum, vexillumque habebant Imperatoris ac ducis sui: in hanc intuebantur, huic auscultabant, non quod Diaconus S. Medardi istum docuit Catharum, veniebant Romam undique, ut in foro, coramque Ethnicis litigarent.

IX. Atque hactenus presse persecutus sum fabulam: Quid, si liberalis nunc forem? Ero: dabo sane, de populorum concursu IRENÆUM exponi posse: quid? ad senatumne, an ad *Ecclesiam* conveniri S. Martyr scripsit, idque *necesse* sic esse *propter principalitatem ejus potentiorem*? Quare nisi omnis ab Jansenista aufugerit ratio; fateatur oportet, quemadmodum civilis Imperii caput, nexus ac nodus in senatu & in Capitolio, sic in PETRI Sede & ejus urbis Ecclesia omnium aliarum fuisse centrum Ecclesiarum, totiusque vinculum, verticem, ac fastigium Ecclesiastici *Status*. Hoc enim est, negotiorum causa necesse omnes habuisse ad illam propter potentiorem principalitatem accedere. Quo modo MARCION post HYGINI obitum ad eam accessit ex finibus Asiæ, ut communioni, qua a parente Episcopo mulctatus fuerat, restitueretur. Sicut & MONTANUS, BLASTUS, FLORIANUS, aliique *Cataphryges*: de quibus uti & aliis ejus generis exemplis plura nos, cum ad locum, qui iis est proprius, pervenerimus.

Nunc ne senatum mihi identidem dormire pergat Jansenista catharus; libet, cujus ipse memoriam mihi refricavit, AURELIANI Imperatoris referre dictum, quod apud EUSEBIUM in VII. Libro historiæ Ecclesiasticæ legitur, egregiumque est ad rem præsentem, atque adeo solum, nisi gravissimus lethargus sit, ad sanitatem mentis revocare hominem potest.

Imperium adivit AURELIANUS septuagesimo circiter anno, ex quo Martyrium S. IRENÆUS fecerat: nec in Christianos ab initio is barbarus fuit. Jam eo imperante, Antiochiæ decertabant duo de Episcopali domo, PAULUS *Samosatenus*, quem Episcopi variarum convictum hæresum in Synodo deposuerant; & DOMNUS, quem ei suffecerant, vir pius & apprime Catholicus. Sed PAULUS, quod ZENOBIÆ frueretur gratia, & ea staret, abire domo non voluit. Quare cum post devictam ZENOBIAM Antiochiæ AURELIANUS degeret; Catholici Episcopi sive triumphum, sive æquitatem principis tentandam rati, ad eum confugiunt, opemque contra damnatum a se hominem implorant. Qui eis respondit, illi ex duobus tribuendam domum esse, *cui Italici Christiani Sacerdotes, & Romanus Pontifex scri-*

(99) Irenæ. l. c.

ſcriberent. Rectiſſime, ait EUSEBIUS; vel ut RUFFINUS vertit, *religioſe ac ſancte*: Sed nec minus ad Janſeniſtam, ejuſque ſocium excitandos a ſomno ſuo perquam accommode. Age enim, volo de duobus illi mihi reſpondeant.

Ajunt ab IRENÆI jam inde ætate, atque multo etiam longius, quodque conſequens ſit ex iſta fabula, a cunis quaſi & primo exortu religionis, Chriſtianos Romam confluere, & ad ſenatum, Cæſarumque deferre arbitrium conſueſſe cauſas ſuas. Ajunt, tam hoc eos frequenter, tam copioſe feciſſe, ut velut Concilium tum Romæ perpetuum ac ſuccidaneum quoddam eſſet ex orbe toto. Ajunt non privatas modo, civileſque cauſas, verum & eas, quæ Eccleſias concernebant, diſceptatas eſſe in illo foro: hæc enim verba ſunt, *ob negotia ſeu privata, ſeu Eccleſiarum ſuarum.* Jam ſi iſta vera ſunt, nec commentitia potius falſiſſimaque; quæſo, cur eſſe Judex AURELIANUS non voluit? Cur ne per ſuos quidem? Popularis videri res debuit, & pro gentilis ingenii captu expedita ac facilis: nam de domo agebatur. Agebatur de homine, quem ſeptuaginta, Chriſtianus cum ipſe eſſet, Chriſtiani damnaverant jam tum Epiſcopi. De homine, quem una mulier hactenus foverat; mulier & Romani inimica nominis atque Imperii, & modo victa, triumphoque & contumeliæ deſtinata.

Inſto, & hoc alterum eſt. Noluit per ſe judex eſſe AURELIANUS: Sed quid? Siquidem Romam dimittenda erat judicatio; cur ad ſenatum non eam dimiſit? cur ad Pontificem? cur ſignificanter ad hunc expreſſisque verbis? ignorabat ille fortaſſis, quid Chriſtianis in more eſſet? Ergo vel iſtud ſolum AURELIANI reſponſum ab epilepſia morboque ſontico ſuo revocare, ut dixi, ambos poteſt. Docet enim, non ad ſenatum, ſed ad *Eccleſiam*, quæ Romæ eſt, Chriſtianos convenire conſueſſe: iſtheic cauſas, iſtheic negotia Eccleſiarum apud eum, qui omnium Caput erat, diſceptaſſe. Quod & AMMIANUM obſervaſſe vidimus Scriptorem Ethnicum, ubi de ATHANASIO agens, teſtatur, auctoritatem præcipuam in Epiſcopis Romanis reſidere, & inde robur accipere, quæ ſint alibi, etiam in oriente a quibuſcunque ſancita. Et CYPRIANI heinc illud intelligimus, quod de tyranno DECIO his ſcripſit verbis: *Cum multo patientius & tolerabilius audiret levari adverſus ſe æmulum principem, quam conſtitui Romæ* ÆMULUM *ſacerdotem.* (100) Nec non alterius, neſcio cujus jam, illud Idololatræ: *Facite me Romanæ urbis Epiſcopum, & ero protinus Chriſtianus.*

X.

(100) CYP. in epiſt. ad Antonianum, quæ eſt LII. Edit. Pamel.

X. Quæ cum ita ſint; quid thraſonibus faciemus, viriſque audacibus, quorum alter, cum præter ineptias, puerorumque nugas nihil exprompſerit, jubere; alter cum ineptire nequidem poſſit de ſuo, inſultare etiam nobis non dubitavit? *Jam ergo*, inquit Batavus, *hæc* IRENÆI *verba non ultra proferantur!* Protulimus, proferemus. *Ita abunde*, ait Febronius, *ſatisfactum putem iis, quæ ex decantato illo S. IRENÆI loco ad affectatum triumphum uſque cum ſuis exaltat noſter Italus, adeo ut non dubitet adſerere, celeberrima illa S. Patris verba omnes Romanæ Apoſtolicæ Sedis adverſarios jugulo ſemper petitura.* Furuncule! tuumne eſt, quo ſatisfactum putas? Quid, ſi ne fur quidem ſatis idoneus ſis, ſed hebes ac plumbeus? ſcripſit Janſeniſta: *Elocutiones a S. Doctore adhibitas non ſolum juriſdictionem divinam non indicare, ſed nequidem ad Eccleſiaſticam poſſe accommodari.* Hæc cur tu non reliquiſti? Cur iſta ſubſtituis: *Potentior principalitas, non eſt ſola principalitas, ſed ſaltem major & eminentior inter cæteras principalitates, quas aliis Eccleſiis non negat Irenæus?* Ad Eccleſiamne igitur ſaltem, quæ Romæ erat, *principalitatem* pertinere *potentiorem* illam credebas? ſi credebas; ecquid negaſti hoc ipſum continuo, & ad furta, rapinamque converſus, ut cœperas, cum Janſeniſta ad *urbem Romanam, Caput Imperii, Imperatoris Senatus*que *Sedem, centrum totius civilis poteſtatis* IRENÆI verba ſententiamque torſiſti? - - - Sed adſequor mentem tuam. Apertiora videbantur, quæ Janſeniſta poſuit, nec comparata ſatis ad ſimulationem. Quid ageres? Omitti conſultius erat. Sed quam bene, quod nos ex ligno ſecti non ſimus! Pergit JANSENISTA tuus, atque quod dixerat, comprobaturus, non ad *divinam*, ac ne ad *Eccleſiaſticam* quidem Juriſdictionem R. Pontificis verba IRENÆI adcommodari poſſe; *Et vero*, ait, *ſi intelligi deberent de poteſtate Papali, CUJUSMODICUNQUE ſit. Cujuſmodicunque*, adverte animum! hoc eſt, *ſive divina ſive Eccleſiaſtica.* Hæc tu nonne pariter debebas omittere? Non omiſiſti: exſcripſiſti cum reliquis. Vides igitur, quam in furando ſis adeo decipiendoque non ſubtilis, ſed plumbeus? Quamobrem deſine (id vehementer a te, ac magnis ſtudiis contendo) deſine jactare iſta porro inſolentius! *Triumphabimus* nos IRENÆI verbis: triumphabunt non Romani ſolum, ſed Germani, Galli, Hiſpani, Catholicique cæteri: Jugulumque dum hæreticorum hoc telo petimus; petimus tuum. Vale tantiſper! cogor alio enim excurrere.

E M B O L O N

De Primatu Lini, Cleti, Clementis, primorum Pontificum.

I. Jansenista postquam pharetram suam exhauserat adversus *Primatum* D. Petri, in id arma convertit, ut nec *Episcopum* Romæ Petrum unquam fuisse, nec si fuisset, successores & hæredes habere Primatus sui Romanos Episcopos, demonstraret. Primum ex temporis inita ratione suadet; sed falso ac nequiter, nec tam ut causam, quam est adortus, Catholicam, quam Tillemontium, & Chronotaxin hujus persequatur. Quasi vero quod iste tempora non apte conciliet, de rebus gestis, substantiaque dogmatis sit actum. Quare nihil huic quidem insultui, præter contemptum ac risum, opponi debet. —— Alterum ex Irenæi probat verbis. Neque enim Petrum & Paulum inter Romanos *Episcopos* ab eo recenseri; nec etiam *Successores* illorum adpellari Linum, Cletum, Clementem, cæteros. Quid? quod Linum adeo ipse Petrus dum viveret, Romanæ administrandæ Ecclesiæ præfecerit? *Fundantes & instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ* tradiderunt. Ex qua quidem re necti nodum putat inextricabilem. " Quid " enim respondebunt, ait, si quæram, cui post hanc traditionem propri- " us manserit hic Primatus? sibine soli eum Petrus servavit? Eone depo- " sito integrum Lino contulit? An Primatum hunc sibi retinens, ipsius " tamen Linum fecit participem? Si primum respondeant; primus Romæ " Episcopus sine Primatu fuit: eminens ergo hæc prærogativa a Roma- " na Sede separata manet, proindeque Rom. Pontifices non in alio stant " gradu, ac cæteri omnes Episcopi. Si secundum; ipse Petrus Lino in- " ferior factus est, contra Salvatoris institutum. Si tandem tertium; eva- " nescit ergo Primatus, in nihilumque redit opinatum hoc unitatis cen- " trum, cum Primatus nec in duobus, nec cum æqualitate subsistere pos- " sit. Quis aliunde Petro potestatem fecisset, privilegium suum sibi ser- " vatum cum aliis tamen communicare? " Addit, in eadem fuisse sententia Tertullianum, siquidem ita is scribat: *sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum a Joanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum.* Ordinatus autem si a *Petro* est Clemens; certe cum esset in vivis Petrus, ordinatus fuit. (101)

II.

(101) Pag. 348. seq.

II. Equidem mirabar apud me ego vehementer, quid esset, quod cum tam multa levissimo pretio emerit ab JANSENISTA FEBRONIUS; istud tamen quamtumvis præcellens atque novum inventum in rejectaneis habendum sibi putaverit? Nisi forte, quod in magnis sceleribus solet, ei acciderit? Nam ita fere usuvenit, ut quantumvis temerarius quis sit, & ad audendum projectus, si sit novum tamen & invisum facinus, quo vult alium imbuere, periclitetur primum, semel, iterum, tertio; dimidiatumque, non statim totum expromat scelus, neque sic etiam aperte, ut mactari horrore, qui imbuendus, seducendusque est, possit.

Quod utut sit; stupui, cum in foliis disputationi non ita pridem expositis incrustatam hanc ipsam perniciem viderem. Quarum quidem auctor thesium, seu *Exercitii*, ut ipse vocat, *Historici*, ex IRENÆO primum id sumit, indubitatumque ponit, fuisse LINUM & CLETUM viventis PETRI in Episcopatu Romano Successores, atque adeo separatum tum fuisse *Primatum* in universali Ecclesia ab Episcopatu Romano. Ac quoniam TERTULLIANUS est item testis, CLEMENTEM a PETRO ordinatum fuisse Romæ Episcopum; ordinari autem nemo nisi a vivente potest: sequitur (sic iste quidem) nec CLEMENTEM Primatum ab initio gessisse cum Episcopatu. Mortuo autem PETRO an gesserit, id vero sibi incertum videri ait. Pedetentim potius Romanam Ecclesiam *omnium matrem* esse effectam; propterea quod cum aliæ quidem velut filiæ sint ex illa egressæ, tum aliæ vero accedendo optandoque, in matrem sibi eam elegerint. Hæc fere summa systematis. Cujus quis demum exitus sit, quove abducat, non magno acumine est opus, ut præsagiri, determinarique possit. sed neque necesse habeo, multis operam in persequenda novitate hac facere. Occupavit enim omnem meam industriam vir pereruditus, & familiaris meus.* Dicam hoc breve solum: quicunque thesium auctori animus in scribendo fuerit, quem quidem non ego malum suspicari debeo, quoniam publice theses posuit; ac sive principem habuerit erroris Jansenistam illum, de quo loquebar, sive fortuna factum sit, ut fere una succurreret utrique cogitatio; quod cur ἀδυνατον sit, nondum video: errasse illum, errasse multum ac graviter. Sane enim non id erat, quod IRENÆUS, quod OPTATUS, quod AUGUSTINUS tradiderunt. Provocant ad *successionem* illi, non qua Episcoporum qualiumcunque successio est, sed qua *Romæ* Episcoporum; Episcoporum Ecclesiæ, ad quam aliunde *propter principalitatem* ejus *potentiorem* convenire omnes necesse est; (102) Episcoporum in ea cathedra,

 quæ

* V. Disquis. crit. in systema novum &c. Authore *Hyacinthο Berg*, S. J. Coloniæ 1772.
(102) Vide pag. 353.

quæ *prima dos* eſt Eccleſiæ veræ, quæque *Angelos* poſt ſe *ducit*, id eſt, Eccleſias ab Apoſtolis fundatas reliquas: (103) ſucceſſio, quæ ob eam cauſam in Eccleſia Auguſtinum tenuit, quoniam a PETRI exorſa ſede decurrit. *Tenet me*, inquit, *in Eccleſia ab ipſa ſede* PETRI, CUI PASCENDAS OVES SUAS POST RESURRECTIONEM DOMINUS COMMENDAVIT, *uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum*, (104) Et ut repetam, quæ modo poſui: *Venite fratres*, ait, *ſi vultis, ut inſeramini in vite. Dolor eſt, cum vos videmus præciſos ita jacere. Numerate Sacerdotes vel ab ipſa Petri Sede, in Ordine illo Patrum quis, cui ſucceſſit, videte! Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Succeſſio demum, ut hoc etiam addam, quoniam ſic incidit, qua ſola VICTOR atque STEPHANUS Pontifices freti, præcipiendi, coercendique jus ſibi ſumpſerunt. (105) Et ut verbo: ſucceſſio, ſed in *Apoſtolorum Principis* locum. Ad hanc Patres provocaverunt, ad hanc Majores noſtri, ad hanc Theologi omnium ætatum atque nationum. Quare cum catalogos iidem Pontificum texunt, exordiumque ab ipſo PETRO ducunt; quotquot certe, poſt obitum ſaltem D. PETRI ſederunt in Eccleſia Romana Pontifices, eoſdem & hæredes fuiſſe *Primatus*, & ſucceſſores in Primatu PETRI, aut ſumunt, aut indicant.

Ac quale id, obſecro, poſt tractum temporis, poſt jactationem annorum centum ac plurium, ad Romanam demum Eccleſiam tanquam ad litus ex diuturno naufragio Primatum adpuliſſe? Quid? Eccleſiæ Occidentis, Orientiſque an ſciebant, inſtitutum a JESU CHRISTO Primatum aliquem eſſe, & eundem in Eccleſia ſtabilem eſſe oportere? Reſpiciebantne in hoc CHRISTI mandatum? ſi non ſciebant, ſi ſcientes non eo reſpexerint; profecto non illum, quem CHRISTUS inſtituit, ſed quem *ipſæ*, arbitrarium inquam Primatum, & humano juri, fortunæque & rerum humanarum caſibus ſubjectum Romano Epiſcopo detulere. Quo qui confugit, næ is non hilo ab hæreſi diſtat. Quodſi ſciverint, reſpexerintque ad illud CHRISTI mandatum; velim noſſe, an collatis conſiliis in Romanam urbem conſpiraverint? An in Synodo? an ope literarum? Ubi veſtigium, ubi umbra ejus rei in vetuſtate? Atqui taceri res & publica & tam gravis momenti non poterat. Illa igitur cur omnes hactenus latuit? cur in mentem ab annis mille ac ſeptingentis, præterquam uni ante aliquot menſes, non ſubiit? —— Quodſi ne conſiliis quidem collatis, ac neque

(103) Pag. 336. ſeq. (104) Contra Epiſt. fundam. Cap. 4. (105) Vide locum Firmiliani ſupra pag. 335. De *Victore* alias.

que in ſynodo, neque per literas confecta res fuerit, & in voluntatem, juſſumque Chriſti tamen omnes reſpexerint, quando Romam elegerunt; id ego non providentiæ eſſe communis dico, ſed *miraculum* veriſſimi ac proprii nominis. Quid autem? Sapientiſne eſt ac ſine fuco ſcribentis, cum inſtitutum a JESU CHRISTO *Primatum*, eumque ſtabilem fateatur, & futurum perpetuum in Eccleſia; cumque Deum agnoſcat, qui nunquam rebus ſuis deeſt, & cui quam fuit facile inter Apoſtolos PETRUM eligere, tam nihil facilius fuit, quam infinitis viis ac modis, quis ejus hæres ſucceſſorque foret, oſtendere: nihilominus non illud factum ab eo eſſe putare, ſed neglectum, idque propterea, ut miraculo, in annos excurrente centum ac plures, eodemque ignoto, neque prius quam poſt ſæcula octo ac decem manifeſtando, Primatus ſedem defigeret. Dixi, non debere me malum ſuſpicari. Atqui illud tamen adfirmo, ſi peſſumdare Primatum decreſſem, neque palam, ſed per inſidias vellem id conſequi; fore, ut cum Auctore theſium rem adorirer.

Cæterum ſic & illum & JANSENISTAM meum (ignoſcat, neque enim, quos argumenti conjunxit ratio, ſeparare potui) habere exiſtimareque volo: Quidquid collatum a me hactenus fuit, ſeu ut *Primatum* demonſtrarem D. PETRI, ſeu ut *ſtatum* remque publicam eſſe CHRISTI Eccleſiam; ſeu ut cogitari aut eſſe *ſtatum* illam non poſſe ſine centro ac vinculo; ſive rurſum ut centrum atque vinculum iſtud in Romana conſtitutum fuiſſe Eccleſia; ſive hanc ipſam uti Eccleſiam Romanam, *cathedram Petri*, *ſedem Petri*, *ſedem Apoſtolicam*, *apicem Pontificatus*, *fontem Sacerdotii*, *caput omnium Eccleſiarum*, Epiſcopoſque, qui eam rexerunt, *ſucceſſores Petri*, *Apoſtolicos*, *Petrum*, *petram* & conſtanter, & ubivis, & in literis Pontificum, & in geſtis Conciliorum, & in Fidelium, Epiſcoporumque & Patriarcharum ſcriptis, & in Codice legum, & in libellis hæreticorum, & in precibus Eccleſiarum, & ut verbo, ab Eccleſia tota adpellari conſueſſe: totum hoc inſtar infiniti cujuſdam ponderis in ſe incumbere, ac contra illud ſibi eſſe luctandum. Eſt autem, non dicam cujus: de re tot monumentis conteſtata litigare velle, propterea, quod quo ſit modo, quove tempore primum peracta, poſt annos mille ac ſeptingentos determinari liquido a nobis non poſſit. Quid? æſtum maris, ſolem ac lunam moveri negas, quoniam nec iſte, unde oriatur, nec planetæ a quo moveantur, demonſtrari poteſt? Mentitumne DANIELEM, quoniam initium finemque hebdomadum quas prædixit, definire non poſſumus; CHRISTUM neque natum, neque paſſum putabimus, quoniam de tempore diſputatur? Atqui quidquid eſt, & modum habeat ſuum & tempus, neceſſe eſt. Quare quod eſt certiſſime, cer-

tiſſimiſque argumentis probatur eſſe, id quin & *modum* (106) habuerit ſuum, ac tempus (107) cum eſſe cæpit, dubitari non debet. Sed de hoc quidem adcuratiſſime auctor *criticæ Diſquiſitionis* in ſecunda parte. Quare non eſt, cur dicendum pluribus mihi videatur.

IV, Quam autem illud miſerum jejunumque eſt, quod ex *tradendi* ſumitur verbo: *Apoſtoli Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ* TRADIDERUNT? Quaſi vero non latine atque græce dicatur commode, *moriendo decedere de provincia, ac ſucceſſori eam tradere*? Ac ſi viventes Apoſtoli Epiſcopatum LINO tradiderint; an tanquam ſummo Epiſcopo tradiderunt? Et qui tum vicariam navabat operam, ut EPIPHANIUS putat, an poſt obitum PETRI, ſuccedere pleno jure non poterat? Non ſic etiam CLETUS? non CLEMENS tametſi manuum impoſitionem a PETRO is olim acceperit, ut TERTULLIANUS indicare videtur? Nam illud quidem viris magnis placuiſſe ſentio, fuiſſe ſub exordia Religionis Chriſtianæ nonnunquam plures in una Eccleſia ab Apoſtolis creatos Presbyteros, " Epiſcopali charactere & " poteſtate præditos, ut eſſet parata copia Præſidum & Epiſcoporum, " quos ad alias, quas deinceps fundarent, Eccleſias adminiſtrandas deſti- " nare poſſent; (108) atque etiam qui, cum in varias ipſi provincias, ut res fe-

(106) De modo, quo colligata invicem ſunt Epiſcopatus Romanus, & ſupremi in Eccleſia Capitis dignitas, vide quæ diximus art. I. hujus capitis §. VII. p. 319. ſeq. Id quidem ſatis eſſe omnibus debet, Chriſtum Primatum in Eccleſia inſtituiſſe & ut perpetuus is eſſet, & in Succeſſores Petri tranſiret, voluiſſe. Succedunt autem Petro Romani Epiſcopi. Quod ſive præcepto Chriſti, ſive afflatu inſtinctuque factum ſit, parum intereſt. Jam enim factum conſtat, & factum ita, ut mutari non poſſit.

(107) Rationem temporis apte compoſuit Henſchenius, quem ſunt ſecuti viri doctiſſimi, Schelſtratius, Pagius, Card. Noriſius, ac noviſſime P. Adrianus Daude. Ex horum ſententia ſit annus Æræ vulg. 29. σταυρώσιμος Chriſti: & ad eundem conſignetur prima perſecutio diſcipulorum, Martyrium Stephani. Ad annum 30. converſio Pauli. Ad annum 33. hujus iter Hieroſolymam, ut videret Petrum. Inde Petrus Antiochiæ fixit ſedem: tametſi jam alii ex diſcipulis diſperſis, atque etiam Paulus & Barnabas Evangelii ſementem iſtheic ſparſerint. Act. XI. Ad annum 34. converſio Cornelii centurionis, & inde nata apud Judæos turbatio, apologia Petri. Ad annum 40. Apoſtolorum diviſio. Fundatio Eccleſiæ Romanæ a S. Petro. Subin circa annum 43. excurſio Petri in Palæſtinam, captivitas, liberatio. Ad annum 45. ordinatio Pauli & Barnabæ. Ad ann. 47. reditus Pauli Jeroſolymam, & ibidem habita Synodus. Inde quocunque tempore, aut quotieſcunque Romam ad ſuam Eccleſiam reverſus ſit Petrus, perinde habet, ſatis eſt Martyrio iſthic affectum eſſe anno Æræ V. 65., qui reſpondet anno Neronis undecimo & duodecimo.

(108) Petav. in Append. Tom. III. de Eccleſ. Hierarch. L. I. Cap. I. §. IV.

ferebat, cogerentur excurrere, interim vices ſuas implerent. Quodſi nihil iſtorum omnium verum foret, atque ſi & LINUM & CLETUM ante PETRUM fuiſſe mortuos diceremus; quid ſequeretur? Illud arbitror: haud ſatis conſtare, quinam proxime a PETRO, ac deinceps per aliquot capita Pontificatum geſſerint. Ac cum de hoc quidem ſententiarum ſit aliqua apud veteres diſcrepantia; in illud omnes tamen convenire, quicunque poſt obitum ſaltem PETRI Antiſtes ſummus in Eccleſia Romana fuerit, eundem & ſucceſſorem fuiſſe Apoſtolorum principis in prima & principali cathedra, & ab hoc ipſo ſucceſſionis eſſe ducendum exordium.

At enim non adfirmat IRENÆUS, PETRUM fuiſſe Romæ Epiſcopum? Quid igitur? an negat? Atqui ſilentium unius, alteriuſque contra manifeſtam antiquitatis totiusque tot a ſæculis perductam ad nos fidem traditionis valere non debet. Neque vero IRENÆI aut TERTULLIANI intererat, Apoſtolus, an Epiſcopus a ſe PETRUS diceretur: quamvis qui Apoſtolus, idem & Epiſcopus reipſa fuerit. Paucis. Dicam, quod in re ſimili magnus PETAVIUS: ſi talia eſſent hominum iſtorum contra nos, cauſamque noſtram argumenta, ut a nobis ea diſſolvi non poſſent: magis erat, ut nos illis reſpondere non poſſe fateremur, quam ut eorum cauſa res adeo teſtatas, ac tam incredibili auctoritate compertas in dubium revocare vellemus.

§. III.

Defenditur CYPRIANI ſententia a FEBRONII, JANSENISTÆque tricis. Refutatur objectio de *Epiſcopatu uno in ſolidum.*

I. Poſt IRENÆUM ad CYPRIANUM progredior. Hujus talem fuiſſe diximus ſententiam in literis ad Papam CORNELIUM: *Scimus hortatos nos eſſe, ut Eccleſiæ Catholicæ matricem ac radicem agnoſcerent ac tenerent.* Hic quidem Romanam intelligere Eccleſiam Pamelium, alioſque Interpretes, ac videri prima fronte interpretandum ſic locum, FEBRONIUS ait. Verum genuinum eſſe ſenſum verborum CYPRIANI, hortatum ſe eſſe navigantes, *ne parti Novati adhærerent, ne ſchiſma & diviſionem ſectarentur; ſed unitatem Catholicam* (hanc quippe radicem matricemque adpellari) *agnoſcerent ac tenerent.* Et declarari hoc quidem aperte ex alia, quæ eſt ad Quintum, viri ſancti epiſtola, in qua, *ſi qui a Catholicis baptizati ad hæreticos tranſeant, & peccato ſuo cognito, & errore digeſto, ad verita-*

ritatem & MATRICEM *redeant*; ſatis eſſe ait, *ad pœnitentiam manus iis imponere.*

Velim nemo exiſtimet ſuo hominem ingenio hanc argutiam inveniſſe. Nam eſt trita, & hæreticorum, cum CYPRIANI illo loco ſe premi vident, ſolet eſſe ea reſponſio. Interim quam falſa ſit, nullius negotii erit oſtendere. Eſt enim ridiculum, cum de variis, nec uno modo ac ſenſu uſurpari vox aliqua poteſt, huic uniuſmodi velle ſenſum & explicatum ubique ſubjicere. Atqui diſcrepant profecto, cum abſolute *veritatem ac matricem* dico, & cum radicem matricemque adpello *Eccleſiæ Catholicæ.* Prius cum ita abſciſſe CYPRIANUS poneret; res ipſa loquebatur, ad *matricem* redire, tantumdem ſancto Martyri eſſe, atque a caſtris perfidiæ & hæreticorum, ad Eccleſiam, in qua quiſque per baptiſmum eſt Chriſto genitus, reverti: hæc autem Catholica eſt ipſa Eccleſia. Contra navigantibus cum non matricem ἁπλως, verum *Eccleſiæ*, *Catholicæ*, inquam, ipſius *Eccleſiæ* matricem ac radicem CYPRIANUS proponit; quoniam comparatio fit, & eſt matrix προς τι, *ad aliquid*: certe aliud matrix, aliud Eccleſia, cujus matrix nominatur, ſit atque intelligatur neceſſe eſt. Eſt autem *unitas* Catholica ne cogitatione quidem disjuncta ab Eccleſia catholica, neque radix aut matrix, ſed *proprietas.* Matricem itaque cum CYPRIANUS dixit *catholicæ Eccleſiæ*; tantumdem erat, ac ſi *unitatis* dixiſſet matricem. Eam vero Romanam Eccleſiam eſſe cenſuit, *cathedram Petri*, *Eccleſiam principalem*, unde *unitas ſacerdotalis* exorta eſt.

II. Equidem de his etiam poſtremis quid ab JANSENISTA Batavo reſponſum ſit, ſcio. Ait eo hæc dici, quod unitatis figuram geſſerit PETRUS; non quod unitatis Romana Eccleſia ſit centrum. Pulchre! quis non miretur? PETRUS Jeroſolymis figuram geſſit; geſſit momento; geſſit tum, quando unum adlocutus eſt CHRISTUS: ecquei de Eccleſia igitur, quæ *Romæ* eſt, dicere CYPRIANUS potuit, *principalem* eſſe Eccleſiam, propterea quod ſacerdotalis *indidem* exorta ſit unitas? Sed ea eſt, de qua loquebar, contumaciæ vis, ut quorum ſemel ad obſtrependum obfirmatus eſt animus, non vereantur lucem tenebras dicere, *quæque ſunt nuſpiam, ea fingant audacius, & ut in Pſalmis eſt, inania cogitent, non alia de cauſa, quam ut in ſua hæreſi perdurent.* (109)

Heine

(109) Athanaſ. de Synodi Nicænæ Decretis contra Arian. hæreſ.

Heinc eſt illud ejuſdem ſcriptoris, cum *matricem Eccleſiæ Catholicæ* CYPRIANUS dixit, non Romanam cum *Catholica*, ſed Romanam cum ſchiſmatica contuliſſe Eccleſia, ea nimirum, quam Novatiani in eadem urbe erexerant: atque ideo hortatum fuiſſe ſuos, ut *ſedulo inquirerent, ubi radix ac truncus eſſet Eccleſiæ* ROMANÆ, *Corpus Eccleſiæ matricis, in qua ſchiſmatici ipſi regenerationis Sacramentum accepiſſent, & huic Eccleſiæ tanquam veræ Eccleſiæ* ROMANÆ *adhærerent.* (110) Hæc quidem verba ſunt hominis: ſed quis intelligat? CYPRIANUS diſerte: ut *matricem Eccleſiæ* CATHOLICÆ; ille: ut *truncum* ROMANÆ. Quanti veneunt, vir? porci quanti veneunt? tu enim profecto niſi jam truncus, ſaltem non ſanus es. Quanquam cum jam iſta ſcripſiſſem, crambem veterem eſſe adverto. Jam enim JUNIUS apud GRETSERUM iſta ſcripſerat: *Matricem & radicem vocat* CYPRIANUS *germanam Catholicæ Eccleſiæ ſtirpem in privata quaque Eccleſiæ adnatæ* παραφυάδι, *ſive fruticationi hæreticarum aut ſchiſmaticarum oppoſitam.* Quibus ineptiis iſtius hominis, plane ut nos, reſpondit GRETSERUS; neque pluribus opus eſt.

Quod ſequitur, aliquanto gravius poſſet videri, niſi eſſet detritum: nam ad laceſſendos nos adeo, & inſultandum Catholicæ Sententiæ, CYPRIANUMque, quem eſſe noſtrum pugnabamus, armandum contra nos pertinet. Quale ſit autem, contuendum nunc propius.

II. Scripſit CYPRIANUS in eodem ipſo de unitate libro: *Unum Corpus & unus Spiritus, una Spes vocationis veſtræ, unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma, unus Deus:* quæ ex Paulo ſumpta ſunt in epiſtola ad Epheſios. Tum pergit: *Quam unitatem firmiter tenere & vindicare debemus maxime Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, ut Epiſcopatum quoque ipſum unum atque indiviſum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat. Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Et in epiſtola ad ANTONIANUM: *Cum ſit*, inquit, *una Eccleſia per totum mundum in multa membra diffuſa, item Epiſcopatus unus Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus.* Non poteſt dici, quantum illis in verbis FEBRONIANA ſe oſtentet levitas. Heinc enim conſequens putant fieri, univerſum orbem tanquam pro una Diœceſi ſpectandum eſſe, & omnes Epiſcopos totius orbis eſſe Epiſcopos: Itaque omnium in omnia procurationem porrigi, & quod eſt ſequi neceſſe, Juriſdictione poteſtateque eſſe pares omnes.

Ego vero ſic iſta falſo dico diſputari: dico temere colligi: dico alie-

(110) pag. 478.

nissima esse a CYPRIANI mente ac sensu. Quanquam non heic, sed alibi, quod adfirmo conficiam: non enim est loci hujus. Quod præsentis est instituti, tam puto liquidam & explicatam per se sancti Martyris esse eam sententiam, ut qui illustrare illam velit, faciat perinde, ac si lucernam soli in plena meridie admovendam putet.

Enimvero sicut multæ orationes una sunt συνδεσμῳ, id est, conjunctione: sic omnes Episcopatus cum in unum cohærent, unus Episcopatus indivisus sunt, qui ex partibus est suis compositus. Totum autem re quidem non differt a partibus, sicut non differt re syllaba a literis, ex quibus composita est, ut Aristoteles in libro septimo metaphysicorum tradit. Differt tamen ratione: alia est enim forma BA, & alia B. A. Sic alia ratio & forma est unius Ecclesiæ Catholicæ, sive unius Episcopatus indivisi, & alia singularum Ecclesiarum, sive singulorum Episcopatuum, ex quibus tanquam ex materia unus Episcopatus componitur. Quare quemadmodum literæ ut in syllabam coeant, conjunctione indigent, quæ ipsa conjunctio velut forma est, literas tanquam materiam suam imbuens: sic & Episcopatus, quem esse unum & indivisum CYPRIANUS dixit, prorsus unus esse non posset, nisi vinculum quoddam in eo foret, colligans, connectensque Episcopatus singulos. * Id autem vinculum una PETRI est cathedra. Quod quia jam docui, & compertum ex CYPRIANO est, non ero in explicanda tam manifesta re fusior. Noster est CYPRIANUS; quid volunt sibi disputatores miseri? Omnino noster. Nam & ego si de Germanico Imperio, in quo natus, educatusque sum, hoc modo dicerem, *esse Principatus in eo multos, sed Imperium unum, cujus a singulis pars in solidum administretur*; credo tam fore neminem rusticum, ut siquidem conscius ac peritus sit rerum nostrarum; interpretetur sic verba mea: *Germaniam in principatus esse multos divisam, ac tametsi portio cuique sua, quam regat, tributa sit, patere omnium tamen in omnes provincias jurisdictionem.* Verum ita si sapit, accipiet; *Principatus tametsi sint multi in Germania, copulari illos nihilo minus & devinciri uno, qui omnibus præsit.* Ut Principatus enim ex subditis atque Principe, sic ex principatibus & summo Principe existit Imperium. Est autem scitum eorum, qui de Rebuspublicis commentarios scribunt, vires subditorum reipublicæ vires esse, & in qua quisque vivit repubica, ad eam vires suas conferre, ut communis ac *solida* inde vis quædam existat. Quare Civium quidem vires in civitatibus colliguntur; Civitatum in ipsis principibus; Principum & qui inde nomen sortiuntur, principatuum in Imperatore. Inde vis illa, quam Imperii vim communem ac *solidam* nominabam. Quodsi jam ita Civitatum suarum

* Confer Turrianum in Defens. Eccles. contra Sadaelem Cap. 26.

rum viribus utatur Princeps; ut debitorem fateatur ſe eſſe Imperii; facit quod eſt officii ſui, atque jam vere commonſtrat, non qualemcunque ſed *Imperii* Principem ſe eſſe, cujus partem, ſed in *ſolidum* adminiſtrandam acceperit. Sin avellat autem vires Civitatum ſuarum, atque ita iis utatur, partemque ſibi Imperii commiſſam, tanquam obligatus & ſociatus nemini, uſurpare inſtituat: adminiſtrabit *partem* tum ille quidem Imperii, ſed non *in ſolidum*. Quid habes ad hæc? non manifeſta, non perſpicua tibi videntur? In eundem igitur ſenſum de Eccleſia CYPRIANUM intelligas velim. Non ille Epiſcopos cum Romano Pontifice, non cum Epiſcopis Epiſcopos toto libro componit: componit autem? immo vox non eſt, ex qua id colligi ac probari poſſit. Sed in hoc totus eſt CYPRIANUS, ut eſſe UNAM Eccleſiam CHRISTI, tametſi ex Epiſcopatibus multis conflatam, doceat. Quare negat, extra hanc *unam*, ſalutem poſſe hominem conſequi. Ac quoniam ſchiſma NOVATIANUS, ſejunctus *a cathedra* PETRI & Epiſcoporum communione, fecerat, Chriſtianique partem populi in conventiculum traxerat, nec jam in *ſolidum*, compagemque corporis, fidelium conferebat vires, ſed ambitioni adſerebat ſuæ: heinc eſt, quod in Eccleſia non eſſe illum CYPRIANUS contendit. Verum hæc & nunc ſatis, & ſuo loco diligentius. Re enim vera non heic animus mihi fuit de jurisdictione diſſerere; ſed id volebam, CYPRIANUM, cum *Epiſcopatum unum eſſe* dixit, *cujus pars in ſolidum a ſingulis teneatur*, corroborare, quæ ſunt de ſtatu, ejuſque centro hucuſque expoſita, non in acie contra nos ſtare.





ARTICULUS III.

PRIMATUS PONTIFICIS AN CUM JURISDICTIONE CONJUNCTUS SIT? PUERILES TRICÆ FEBRONII IN JURISDICTIONIS DEFINIENDO VOCABULO. EX GALLIÆ PRÆSULUM ET SORBONÆ SENTENTIA HÆRESIS EST NEGARE HANC SUMMO PONTIFICI. STULTA EXCEPTIO DEFENSORIS, FEBRONIUM VOCE TANTUM DIFFERRE A DOCTRINA GALLORUM. PROBATUR DOGMA EX CONCILIIS. FRAUDES, DOLI RETEGUNTUR. ITERUM PROBATUR EX FINE PRIMATUS, EX SUMMA NECESSITATE, EX STATU ECCLESIARUM, QUÆ DEFECTIONEM A PONTIFICE FECERUNT.

Protheus FEBRONIUS eſt. Primatum modo ſuſcipit, modo deſtruit, modo ſic iterum adſumit, ut coercere, non tollere voluiſſe videatur. Quod quidem poſterius, ut præſtet; ad *curationem* eum redigit & adminiſtrationem ſimplicem, cui tametſi *auctoritas* quædam præſto ſit (nec enim intelligi alioquin curatio ipſa poſſet) *jurisdictio* certe deſit omnis. (1) Primum igitur nos, quæ vocibus ex communi uſu ac ſenſu ſubjecta notio ſit, aut qua re differant *auctoritas* & *jurisdictio*, expendemus; id enim ad reſecandum ulcus, ut par eſt, neceſſarium eſſe videtur.

§. I.

Quid ſit auctoritas, quid jurisdictio? Cavillationes ineptiſſimæ FEBRONII in jurisdictionis definiendo vocabulo.

I. *Auctoritas* itaque ſi cum *jurisdictione* componitur, in modum generis patet iſta latius: ac vel ex propriis uniuscujusque ornamentis ac donis

(1) Febr. Cap. V. §. IV. per totum. Theodorus a Palude in Floribus ſparſis Cap. VIII. §.II.

nis nascitur, vel ex munere & *curatione* quadam: quæ si est *publica* ac splendida, *dignitatem* habere adjunctam dicitur, estque *honor* quidam illi proprius, non qualis ex deferentium arbitrio pendet, sed definitus ac pactus, & cum externis fere conjunctus signis quibusdam, quæ *ornamenta* vocantur a *Cicerone*. Priori vero isti, quæ ab domesticis cujusque dotibus nascitur, quæque *Ordini* illigata non est, neque *curationi* aut *muneri*, nihil præter *reverentiam* respondet ex adverso, aut præter æstimationem & cultum: quemadmodum

Pietate gravem & meritis qui forte virum quem
Conspexere, silent arrectisque auribus adstant.

Præter utramque alia est quædam auctoritas, quam *naturalem* vocare possumus, estque ea, quam parens in domum, præceptor in discipulos, tutor in pupillum obtinet: nam posteriores hi duo cum parentum sint loco, decerpunt, & in se transferunt quodammodo patriam auctoritatem. Quæ quidem auctoritas hoc ab ea, quæ *gestionis* seu muneris est, differt, sicut ab illa etiam, quæ corporis atque animi gignitur dotibus: quod *potestatem* sibi annexam habeat, aut potestas sit ipsa potius, cui *obedientia* vicissim debetur. Id quod muneris alicujus gestori, qua est hujusmodi, aut viro quantumvis gravi nequaquam convenit. Verum hujus siquis audiens dicto non fuerit, inverecundiæ notabitur; non inobedientiæ: istum vero si jubentem contempserit, non tam illi, quam magistratui inobediens dicetur: cujus est ratio, quod curationem duntaxat habet, non potestatem. Atque hæc quantum ad prioris vim est vocabuli satis.

II. Jam *jurisdictio* quemadmodum nascatur, ut jurisconsultus intelligat, velim meminisse eum " civitatem atque rempublicam (libet enim " PETAVII hæc verbis eloqui) ex domibus & familiis ortum accepisse: ut " hæ sint velut partes & elementa, ex quibus illa componitur. Etenim " prima hominum inter se conjunctio, & communitas ex natura ipsa pro-" diit, & naturali societate maris ac fœminæ, tum ab utroque procreatis " liberis, & ad usus quotidianos adjuncto servitio, quæ communitas do-" mus dicitur. Exinde multiplicatis domibus ac familiis civitates extite-" runt.

Quamobrem sicut respublica tanquam pro domo spectari una potest, sed magna & ampla, & ex innumeris conflata domibus atque familiis: sic potestas illa quoque, quæ Magistratibus in ea competit, imitatio quædam illius est potestatis, quam natura Patribus familias in suos dedit. Distant

 igi-

igitur ambæ eæ potestates: quis neget? verum non tam re, quam modo ac σχέσι, & ditionum, ut ita dicamus, amplitudine dispari; cum ad familiam altera, altera ad rempublicam referatur. Atque hæc tandem est, quam *jurisdictionem* nominamus, quæ nihil est aliud, quam *legitima in Republica potestas jubendi*: cui *obedientia* ex adverso respondet. Sicut vicissim ubi *obedientiæ* est in *Republica* debitio; *jurisdictio* sit item necesse est: non enim obedientia sine jubendi intelligi potestate potest; ea quidem, quæ in hominis officiis numeratur, de qua sola heic loquimur. Deinde nec differentiam diversam habent, qua restringantur, determinenturque potestas jubendi, & obediendi officium; sed unam: & ut genere, ita specie conjunguntur, estque argumentum altera & quasi gnomon alterius.

III. Quibus ita quidem constitutis ad *Febronianas* nugas adgredimur. Inter cætera, quæ a Tridentino Concilio aut sancita salubriter, aut ex more Majorum revocata corroborataque sunt, est etiam illud sessionis XXV. decretum, quo *præcipit S. Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & omnibus aliis, qui de jure vel consuetudine in Concilio provinciali interesse debent, ut in ipsa prima synodo provinciali veram obedientiam summo Pontifici spondeant & profiteantur. Idemque inposterum quicunque in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos promovendi, in prima synodo provinciali, in qua ipsi interfuerint, omnino observent.* (1) Hæc ea sanctio est generalis Concilii, quam vir multo doctissimus ac prudentissimus GODEFRIDUS KAUFFMANS JUSTINO FEBRONIO objecerat. Verum is, qui defensionem in se hujus suscepit protervus ac petulans homo (2), ad caput V. Libri singularis eum dimisit, cujus in IV. paragrapho sic iste disputaverat: *quantum ad obedientiam, constare, non omnem obedientiam supponere aut involvere ex opposito jurisdictionem, & apparere hoc in Patre, hero, ac magistro.*

Fateor difficile est continere stomachum ad tantas quisquilias: debeoque non minorem inferre vim mihi, ut respondeam aliquid, quam ne concitatius & iracundius respondisse videar. Amabo, boni! cujus est ista sanctio? nonne Concilii? nonne oecumenici? quis ille vero, cui obedientia præstanda est? nonne is, quem esse *primum* vos ipsimet vultis? & a quibus præstanda est? Nonne a Patriarchis, a Primatibus, ab Archiepiscopis,

(2) Cap. 2. de Reform.
(3) Joannes a Calore Art. XII. Num. 4.

pis, ab Epiſcopis? quid eſt heic non publicum? *obedientia* ergo præſtanda eſt: & ab *omnibus*: & illi, qui Chriſtianorum in illa infinita ſocietate *primus* ac *princeps* eſt. Et etiamnum quæritur, an *jurisdictione* is præditus ſit? etiamnum puerile iſtud obtenditis, parentes liberis jubere poſſe? Atqui ego non iterum dicam: dixi, patriam herilem, domeſticam poteſtatem familiæ contineri ambitu; jurisdictionem in publicum patere: quid eſt autem tam publicum, quam Eccleſia? Ad nugas hoc igitur, ut ajebam: non enim ſapientem eſſe arbitror virum, qui ſi ludificandus omnino ſit, non a quovis malit, quam a vobis ſtuporeque veſtro offucias perpeti.

IV. Qualis ſane ſtupor, & ἐμβροντησία in argumento etiam eſt, quod ſubditur: *ſcripſiſſe ita ad* INNOCENTIUM IV, ROBERTUM *Lincolnienſem Epiſcopum. Noverit diſcretio veſtra, quod mandatis Apoſtolicis affectione filiali devote ac reverenter obedio. Paternum zelans honorem* cæteraque. (3) Quæ ſiquid valeant; fiet conſequens, etiam Epiſcopos jurisdictione carere, nec niſi munus & procurationem habere ſimplicem: nam & *patres* ii appellantur, viciſſimque Presbyteros ac fideles, quos regunt, *filios*, immo & *fratres* nonnunquam ſuos vocant: quæ poſterior vox, ut eſt æqualium, jurisdictionem poteſtatemque omnem etiam repellere videtur. Eſt igitur adpellationum hujusmodi non ea ratio, quod jurisdictione careant, qui *Patres* nominantur: apage, nec in mentem niſi hæreticis veniat: verum iſta, quod profanus non ſit Eccleſiæ, ſed divinus ac ſacer principatus, quem non ſecuris, non lictor, non exercitus, non cætera ad terrorem comparata ſubditorum, ſed manſuetudo, paternaque pietas circumdent.

V. Tertium, quod ab eodem nobis objicitur, qui *Joannis* ſibi *a Calore* circumpoſuit ſtolidum nomen, fumus eſt, denſus quidem is & magni incendii teſtis, atque index, ſed fumus: huc enim reducitur. " Jubere, inquit, ſummus Pontifex nihil poteſt, niſi ex Canonum præſcripto: non ille legum jus habet ſanciendarum, niſi de voluntate ac conſenſu Præſulum. Atqui jurisdictionis vis eſt præcipua in legum ferendarum auctoritate poſita, non in judiciaria, hoc eſt, condemnandi vel abſolvendi poteſtate: nam ea minoribus etiam magiſtratibus ineſſe poteſt: præterquam quod ſit ipſa ſerius Pontifici Maximo adjecta, ignorantiaque tantum vel indulgentia Epiſcoporum. Secundum hæc quid uſpiam eſt, quod non facere ſolus in Diœceſi Epiſcopus pro ſuprema, & abſoluta

" ſua

(3) Febron. Libri ſing. Cap. V. §. IV.

" sua auctoritate possit? Quid potest autem Pontifex, quid Legatus, si
" Episcopi potestate utantur sua? *Dormiet* igitur *Papalis ea, quæ obten-*
" *ditur, jurisdictio, si Episcopalis vigilet.* Quibus si tu istud forte obje-
" ceris, indulgentias largiri Pontifices, cæteraque, quæ in gratiis ponun-
" tur; respondet, similia Imperatorem in toto Imperio facere; nec de
" jurisdictione esse ideo pronum colligere, *concurrentem* hanc ei competere
" in ditiones ac subditos Principum: id quippe peritorum juris publici
" unanimi sententiæ, decretisque adversari. * Sic iste.

VI. Ego vero non jurisdictionem *dormituram* Pontificis, sed dormire atque stertere eos puto, a quibus tam inepta garriuntur. Quid enim? est Imperii pragmatica lex hujusmodi, ut Imperator, nonnisi ex legum judicet præscriptione: tum vero nec legem facere ullam solus potest, sed ferr in comitiis, & suffragiorum numeratione facta. Quare si jurisdictionis ex eo metienda vis est, quod pro arbitrio jubere is possit, qui præest, & mandare leges, quas velit: profecto quoniam *Concurrentem*, ut loquuntur, cum optimatibus Jurisdictionem Imperator non habet; habebit nullam ille neque in ditiones Imperii, neque in ipso Imperio. Quid reponent ad hæc? Puto tam evidentem esse consecutionem, ut tergiversatione nulla eludi, nulla verbis illata vi, nullo strepitu ac *clamore* possit: nam usitatum alioquin hominibus istis est, ut, quod respondendo sobrie non possunt, clamando faciant. Imperatori igitur præter larvam quandam majestatis nihil erit porro residuum; sed administer & procurator dicendus potius Imperii atque ordinum erit. Quæ doctrina si Hippolyto a Lapide placuit, absurdo ac temerario Scriptori, probis quidem hominibus intolerabilis videri debet. Scilicet non est id verum, quod sumunt ista, pene dixerim κωφα προσωπα: Prorsus verum non est, jurisdictionem hac una definiri re, ut qui summam aut præcipuam obtinet in republica, solus & pro arbitrio jubeat leges ac migret. Id enim ad αὐτοκρατιαν duntaxat pertinet: quod genus regiminis neque omnibus accommodatum est populis, neque universe & infinite censeri optimum solet. Aliter Arabes, Ægyptiique gubernantur, & si qui præterea ad servitutem ab natura damnati sunt populi; aliter ingenuæ nationes: & in his ipsis uti rerumpublicarum, sic & jurisdictionis sunt quædam discrimina. Illa excellens vero est & digna nomine majestatis, cum hominibus multis æquipollet unus: fitque tum, cum in unum tanquam in caput ac centrum suum nectuntur & conspirant ordines, ut quod omnes creverint atque jusserint, in auctoritatem nisi probante, & adsentiente isto uno, non veniat. Hujusmodi autem Imperator est in Germania. Non enim leges fert ille quidem ordinibus invi-

* Tom. II. pag. 321.

invitis: sed neque ordines sine Imperatore mandare possunt. Atque hæc, ut plerumque ex alio in aliud institutus decurrit sermo. Puto autem tam vulgari ac prope domestico exemplo confutatam satis esse hallucinationem, non eam vulgarem, sed insolitam Defensoris miserrimi, hominemque non fore, quin commiseratione jam istius peponis ducatur: qui, cum quid lupinis æra distent? quid sit auctoritas? quid jurisdictio? in quibus hæreat? quibus rebus definiatur? aut non didicerat unquam, ut par erat, aut non meminerat: in senatum se tamen ac sellam curulem est ausus intrudere. ὀνος προς λυραν scilicet.

Sed ad Pontificem, a quo digressi sumus, ut revertamur; aptabimus locis suis, quæ de jubendi & ferendarum legum auctoritate heic dicta sunt: sicut & cætera, quæ ad coercitionis, & judiciariam spectant illius potestatem, & sunt a cavillatoribus istis arrosa temere ac imprudenter. Modo id erat susceptum, ut quæ verbis subjecta notio sit, eos doceremus: dein ut id una probaremus, vel in tricandi, nugandique artificio, quod profitentur, nihil illos esse, ac ne vim quidem eorum nominum, in quibus argutantur, intelligere. Quæ quia abunde sunt præstita: universe nunc & tanquam *in thesi*, ut ajunt, quid demonstratum deinceps velim, definiam. Neque meis, sed aliorum id verbis faciam: quo & impudentia magis adpareat nasutulorum, & quam longe a communis fidei salubritate, & catholicorum unanimi sensu discesserint.

§. III.

Primatum summi Pontificis cum verissimi nominis jurisdictione conjunctum esse, dogma fidei est ex Præsulum Theologorumque Galliæ unanimi sententia. Theodori a Palude ineptissima, falsissimaque exceptio, loquendi duntaxat modo, non re a FEBRONIO istos differre. κέρψεις & ludificationes pudendæ hujus defensoris.

I. Sic igitur habendum est: Primatum, quem divo PETRO CHRISTUS dedit, & successione Romani Pontifices tot sæculis obtinent, cum jurisdictione conjunctum esse: & pertinere id ad ejus fidei capita, qua Catholici sumus. Ita certe CLERUS *Gallicanus* censuit anno millesimo sexcen-

tesimo octogesimo primo, cujus verba hæc sunt: *Caput est Ecclesiæ, centrum unitatis: obtinet ille in nos primatum* AUCTORITATIS & JURISDICTIONIS *sibi* a CHRISTO JESU *in persona S.* PETRI *collatum. Qui ab hac veritate dissentiret*, SCHISMATICUS, *immo* HÆRETICUS *esset.* Quod anno millesimo septingentesimo vigesimo octavo, die octava Maji sic repetunt: *Primatus, quem nos in Papa recognoscimus, non restringitur intra simplicem honoris præeminentiam*: libet enim κατα 'ρητον latine reddere. Dein testimoniis quibusdam veterum adductis: *Necesse est igitur*, ajunt, *secundum catholicam fidem recognoscere in summo Pontifice primatum honoris simul & jurisdictionis, quemadmodum agnitus fuit primis quoque Ecclesiæ temporibus.* Magistri SORBONÆ anno 1683. diserte se id ajunt repetere, quod Majores sui non semel professi sint, *Romanum Episcopum esse jure divino summum in Ecclesia Pontificem, cui omnes Christiani parere teneantur, & qui* IMMEDIATE a CHRISTO *non honoris solum, sed* POTESTATIS *ac* JURISDICTIONIS *primatum habeat in tota Ecclesia.* Atque jam id antea adversus *Lutherum* anno 1542. decreverat Facultas sacra. Et cum MARCUS ANTONIUS *Spalatensis* Apostata propositionem posuisset hujuscemodi: *fuisse Romanam Ecclesiam præcipuam quidem nobilitate, existimatione & dignitatis auctoritate, non regiminis & jurisdictionis principatu*; huic hæresis ac schismatis notam celeberrimus toto orbe doctorum ille conventus adscripsit. (5)

Libet his autem privatorum par scriptorum conjungere, ab adulatione, quod omnibus constat, quam remotissimum. In quo prior sit, qui eruditione præstantior, CLAUDIUS FLEURIUS. *Episcopus*, inquit ille, *Romanus, quem hodie adpellamus Papam, semper habitus est omnium Episcoporum primus: cum habeat supra alios primatum* JURISDICTIONIS *jure divino, sitque visibile caput Ecclesiæ, & Vicarius* JESU CHRISTI, *qui est caput principale & invisibile.* (6)

Tum in Institutionibus juris Ecclesiastici, *qui*, inquit, *semper agnitus est pro superiore omnium Episcoporum ex jure divino, utpote successor Principis Apostolorum & caput visibile Ecclesiæ* (7) & in eodem libro: *Quia*

(5) Censura Facultatis: Hæc propositio est hæretica & schismatica, quatenus aperte innuit, Romanam Ecclesiam jure divino auctoritatem in alias Ecclesias non habere.

(6) Catechis. Histor. Tom. 2. par. I. Lect. 46.

(7) Parte I. C. 3. §. 6. Qui a toujours été reconnu pour le superieur de touts les Evêques. Quæ verba sic fide pessima transtulit Gruberus Latinus harum institutionum interpres: qui semper omnibus Episcopis major est habitus. Vide de hoc falsario eruditam

Quia CHRISTUS *significanter, ac nominatim* (8) *S.* PETRUM *ducem gregis sui constituit, eique mandavit, confirmare fratres suos; credimus &* JURE DIVINO *Papam* JURISDICTIONEM *habere supra omnes Episcopos, & per totam Ecclesiam.* (9)

Quod LUDOVICUS MAIMBURGUS in eo, quem de prærogativis Romanæ Ecclesiæ scripsit, libro, his item verbis testatus est: *dicam id solum, quod exploratum certumque omnes Catholici habent,* JESUM CHRISTUM *ex omnibus Apostolis unum* PETRUM *elegisse, cui Primatum non modo ordinis, honoris atque gradus conferret, primum locum ei deferendo tanquam primo inter æquales & dignitate, & donis, & facultatibus & iis gratiis, quæ ab Apostolatu & Episcopatu separari non possunt: verum* JURISDICTIONIS *insuper primatum,* POTESTATIS*que & auctoritatis in omnes fideles in tota Ecclesia, cujus ipse caput eum constituit.* (10)

Profecto siquis est prudens, & Catholicæ veritatis amans, habet in iis, quos adpellavi, certis & incorruptis testibus, unde exquirere & haurire eam possit. Tum temulentiæ idem mecum Febronianæ ac novitiæ Sectæ indignabitur, cujus opinio hæc falsa & insipiens fuit, posse, tametsi omnibus hac in re obstrepat, Catholicam nihilominus videri se, atque adeo præ primis, & quibusvis bonis Catholicam.

II. Quanquam non istos *re*, sed *voce* ac loquendi duntaxat modo ab reliquis discrepare dicet aliquis? Frivola exceptio, falsa, pudenda. Quam si tantillum adtulisset judicii THEODORUS quis ille nescio A PALUDE, defensor miserrimus; nunquam in animum eam induxisset, ut crederet, nunquam ut consignandam literis putaret. (11) Non est ita defensor! non est. (12) Nam alioquin cur vis omnis in TOURNELIO aliisque refutandis a FEBRONIO consumitur, ne, quod illi probaverant, *jurisdictionem* in summo

Dissertationem P. Clementis Becker de Potestate Papali, editam Monasterii in Westphalia: alteramque ibidem de origine, progressu, mutatione, usu ac sensu legum Ecclesiasticarum Cap. 2. §. 2.

(8) Gallice *particulierement.* (9) Ibid. part. 3.

(10) Traité historique de l'Eglise de Rome. Cap. IV. in initio: Je dirai seulement ce, dont tous les Catholiques conviennent.

(11) Tom. II. pag. 537. Quod multi jurisdictionem vocant, nos auctoritatem dicimus. Quis rectius, judicent peritiores. Forte de re convenimus, sicque inutilis esset de *voce* concertatio.

(12) Sustineat tantisper personam, quam sibi imposuit. Revera enim defensor ipse est sui.

mo Pontifice cogatur admittere? (13) Tam laborioſa, tam vehemens, tam prolixa diſputatio an nominis unquam cauſa ab iis, qui agunt ſerio, ſuſcipitur? ſed hæc ei induſtria quemadmodum ceſſerit, ſuis locis videbimus. Nunc id dabimus, ad ſolam *vocis* propulſationem conatum iſtum omnem atque ſtrepitum ſpectaſſe: quid? temeritatis petulantiæque non fuit, conſecratam & uſu ſæculorum & ſcriptis Theologorum, & fidelium linguis atque ſermonibus, adſumptamque non quaſi ex promiſcuis, aut hominum incuria, ſed cum delectu, & ut declararetur, quo Catholica ab eorum, qui foris ſunt, doctrina diſcrepet, hujuſmodi inquam vocem aſpernari, profligatam ab uſu velle, & ei bellum iſto nomine indicere, quod *juridica* (14) & ad *juridicum* limata ſenſum non eſſe videatur? Atqui neque nos in vervecum nati patria ſumus; non MAIMBURGUS, non FLEURIUS; non Magiſtri SORBONÆ, non Epiſcopi Galliæ. Scimus, quæ ſit vocum legitima & genuina notio: pluſque ſemel jam diximus, JURISDICTIONEM *jubendi eſſe in* REPUBLICA *poteſtatem, cui parere alii teneantur.* Hanc ſi admittit, cur vocabulo inſidiatur? ſed novimus artem: novimus: nimisque vecors ille ac plumbeus fuit, ſi latrocinatione putavit poſſe nos decipi. Præſertim ex quo hæreticorum ſunt præ oculis exempla, qui artificio ac dolo ſimili rem catholicam infeſtabant. Quod cum NESTORIUS, ut ex multis hunc nominem, faceret; præclare eſt illud ab JOANNE *Antiocheno* ad eum ſcriptum: *Si mens tua eum ſenſum tenet, quem Patres & Eccleſiæ Doctores, quid contriſtat pium ſenſum congruo nomine publicare?* Idem FEBRONIO Sectæque nos illius reponimus. " Si mens veſtra nequam non " eſt, ſi pie, ſi catholice creditis; cur quod recte creditis, vocabulo con" gruo non vultis exprimi? ea enim congrua vox eſt, quæ recepta; præſertim ſi optata ſtudio: eſtque uſus, qui ſignificatum vocibus tribuit, non turbulentorum deliria & febris hominum.

III. Atque ut hoc etiam dicamus, de NESTORIO ſic traditum eſt, in formam atque larvam ſeſe omnem illum induiſſe, ut de voce, non de re ipſa ac dogmate litigium feciſſe videretur. Quid autem? Certe, quid ſenſerit, eventus docuit. Et FEBRONIUM iſte ipſe, qui patrocinium in ſe illius ſuſcepit, THEODORUS A PALUDE non tam expiavit, quam turpiorem fecit,

(13) Adeatur Febronii Tom. I. Cap. V. §. IV. Hujus tale exordium eſt: Quæ pro generali legislatoria & judiciaria R. P. poteſtate ſolent & poſſunt adlegari, ea præ cæteris diligentius collegit TOURNELIUS. Subdit, brevitatis cauſa ponderaturum ſe, quæ ille graviora proferat. Nominatim ex Concilio Epheſ. Chalced. Later. Flor. Trid. Conatur deinde omnia iſta extenuare, ne juriſdictionis præferre vim aliquam videantur. N. 9. per partes conatur reſpondere ad omnia, quæ Editores operum S. Gregorii Tom. IV. protulerunt, ut oſtenderent, Gregorium Juriſdictionem exercuiſſe in Africa, Ægypto, Aſia &c. Quod qua ratione præſtet, per decurſum operis noſtri Deo dante videbimus.

(14) Pag. 537.

fecit, planeque prodidit. Age, videamus, ut caufam egerit! *Monarchicum* (fic magno impetu exclamat*) *monarchicum tu Ecclefiæ regimen a Gallis agnofci prætendis*? ZACHARIA! Itane? *an quæftionem de voce inftituis* JESUITA! hem! convitium! credo, Diabolum volebat dicere; fed eft veritus, ut fatis nigrum habere poffet. Pergit: *An Papam in Gallia pro facro Monarcha, & fupremum ejus Minifterium omnibus juris Monarchici qualitatibus inftructum haberi ferio credis? videamus ergo, quid in Gallia poffit, quid non poffit Monarcha Pontifex:* NOUS NE TENONS. Heus fugite viri! fugite, celerate fugam! NOUS NE TENONS. Sed quid præterea? Sequuntur gallice defcripta quædam ex *inftitutionibus* FLEURII, HERICOURTIO, & LACOMBIO, quorum fumma hæc eft: in Gallia *abfolutam* & " nullis temperatam legibus poteftatem Romano Pontifici non tribui: ad " antiquos canones adhærefcere nationem: quæque recentius Romæ fiant " decreta, non iis obligatam fe credere, fi a moribus regni diffentiant: " alienam effe, immo nihil alienius, & abductum magis a doctrina fanctæ " Sedis, quam opinionem illam quorundam jurifprudentum, qui, quod " eft Vicarius JESU CHRISTI fummus Pontifex, conficiunt inde, pleniffimam ei in omnes populos atque regna poteftatem competere: fic ut " cum omnibus ipfe jus dicat, folus ab mortalium nemine, qui funt fub " cœlo, judicari poffit. „ Quibus verbis, ut per fe patet, & in oculos incidit, vult id folum LACOMBIUS, non effe *regna transferendi* poteftatem in fummo Pontifice: & eundem ipfum, fi ad deftruendam Ecclefiam confilia fua converteret, a Generali Concilio corrigi, & emendari poffe.

Tandem ex PETRO COLLETO, qui Theologiam TOURNELII profecutus eft latine, quoniam fic reperit, illa defcribit. " Si foret *abfolute monarchicum* Ecclefiæ regimen, hoc eft, fi temperatum nulla ratione (de hoc " enim diferte COLLETUS loquitur) confecutura, quæ multo abfurdiffima " funt & aliena ab tota antiquitate. Ifta fcilicet: folum Pontificem conftitutum effe a JESU CHRISTO; cæteros omnes Epifcopos, etiam in unum " congregatos locum auctoritatem nullam, nifi manantem & trajectam in " fe ab ifto uno obtinere: fi falli Ecclefia non poffit, id Pontifici eam debere uni: Concilia perinde ac regni comitia a Pontifice mutuari & precariam accipere poteftatem fuam, ita fore, ut fint inferiora Pontifice, " nec provocari unquam ad illa poffit, convocenturque, non quod neceffaria omnino fint ad dogmatum fidei definitionem, fed ut a Confiliis " fint fummo Pontifici: quæ quidem ipfa vel ille boni confulere, vel afpernari omnino poffit, ut ei vifum fuerit. Concludit, non effe igitur " monarchicum Ecclefiæ regimen nominandum: neque *jurifdictionem*, " quæ feveritatem atque acumen jurifprudentum ferat, Romano Pontifici ullam competere.

 Ego

* Tom. II. pag. 531. feq.

Ego quidem, quo ſit nomine adpellandum Eccleſiæ regimen, non dicere prius apud me ſtatui, quam de re ipſa ex traditione Majorum adcurate atque ſolide fuerit diſputatum: ſed quoniam ſic incidit, miſcetque ὁ ὑπερασπιστὴς monarchiæ ac juriſdictionis vocabula: dicam, quod diſſimulare non debeo. Quæſo igitur, quas in ſe partes Patronus ſuſcepit? ut non eſſe Dominum ſummum Pontificem probet, ut non αὐτοκράτορα? ut non Monarcham, cujus vivant ac ſpirent omnes beneficio, cujus in ære ſint omnes, qui *ſolus* Paſtor, *ſolus* Epiſcopus, *ſolus* Princeps, Rex, Imperatorque ſit? id ſi quis ab eo exegiſſet, fateor, eſſe locus aliquis Colleto, Lacombio, Hericourtio, Fleurio in diſputatione ea potuiſſet. Sed neque Zacharias poſtulavit, neque alius. De hoc reſpondendum erat, ecquid JURISDICTIONE Primatum mulctarit Febronius, & ad functionem nudam, munus, atque onus, quod alicui committitur, ſplendorem iſtius omnem, amplitudinemque & majeſtatem revocarit. itane vero? Gallorum ex illis teſtimoniis conſectaneum hoc erat? an *juriſdictionis* eſt ea indoles, ut cum infinita non eſt, eſſe nullam neceſſe ſit? quis non calce proturbet ſic diſputantem? Atqui vir bone, non ita nos ratio deſeruit. Dicam, a quo purgare tuum Clientem, ſi poſſis, debeas: res plana eſt; volo oculos tantum advertas, mentemque tuam.

Ac primo quidem ignorare Febronius non poterat, cum eoſdem, quos tu nominabas, tum & cæteros Galliæ Scriptores atque Theologos, tametſi limitibus quibuſdam ſuis Primatum definiant; *juriſdictione* tamen non illum vacuum dicere.

Non inquam ignorare hoc poterat, cum & libri, & decreta, & comitia præ manibus ſint, quibus univerſe pronuntiatur, *hæreticum* eſſe, ac reum *ſchiſmatis*, qui *juriſdictionem*, eamque veri ac proprii nominis Primatui detrahat. Quid habes ad hæc?

Deinde nec quid intelligerent iidem *juriſdictionis* vocabulo, poterat eum fugere. Exponunt enim, nominatim Tournelius, Natalis Alexander, Editores operum S. Gregorii. Et Tournelius quidem in eodem, quo de Pontifice tractat loco, prorſus, quæ ex Hericourtio tu, de libertatibus, quas vocant, Eccleſiæ Gallicanæ ſcripſit. Sed de *juriſdictione* nihilominus in univerſa Eccleſia copioſiſſimum ſermonem habet. Quam cum exemplis & documentis demonſtrat ex prima antiquitate ſumptis; ſimul cujuſmodi illa ſit, oſtendit. Quod tu iterum, ſi quid ſapis, fatebere. Profert exempla vero S. Victoris imprimis, qui Aſiaticos, ſi minus Pa-

ſcha

ſcha dominico die, judaico deſerto more celebrarent, reſciſſurum ſe ab Eccleſiæ corpore comminatus fuerat, tum S. STEPHANI, qui pœnam ſimilem S. CYPRIANO intentarat; COELESTINI I., LEONIS M., GREGORII pariter Magni: dein acta Conciliorum generalium, *Epheſini*, *Chalcedonenſis*, cæterorumque: quibus generatim conficitur, jubendi coercendique poteſtatem in Romano Pontifice reſidere. Sed quid jam cliens tuus? Quid? audi, & pudorem expedi, ſi habes. Eundem ille TOURNELIUM & eoſdem Editores S. GREGORII operum, dato ſtudio, deque inſtituto & ſignificanter adortus eſt, documentaque & exempla adlata ab iis ſingula obſcurare tenebris adniſus. Quod cum fruſtra ac pueriliter tentaviſſet, velut nec ipſe confidens ſatis ſuis quisquiliis, in blaſphemiam demum, tanquam in aſylum & receptum quendam ſe abdidit communem perfidiæ; ſceleroſumque, pro eo ac QUESNELLIANUS de Primatu Scriptor, iſtud effutiit, etiam ſanctiſſimos Pontifices remotos non fuiſſe a faſtu, ſed ambitioni velificatos, & proferendis finibus ſtuduiſſe. Qua quidem calumnia ille S. VICTOREM, S. STEPHANUM, INNOCENTIUM, COELESTINUM, LEONEMque & Magnum GREGORIUM, Divorum omnes adſcriptos numero de auctoritate nominatim dejicit. Nega Defenſor, ſi quid omnium iſtorum potes! Quod ſi non potes; habes JURISDICTIONEM igitur, quam reverentur Galli, & ex præſcripto quidem, ut ipſi loquuntur, Catholicæ fidei. habes id ſimul, quemadmodum cliens iſte tuus in eandem ipſam labefactandam JURISDICTIONEM data opera & contento ſtudio incubuerit. Quorſum prævaricari igitur tu? Quorſum quod minime quæritur, id agere, & litem, quo non ſpectat, divertere? Itane? ſola voce diſcrepare tibi FEBRONIUS ab catholica, Theologorumque & Epiſcoporum Galliæ doctrina videri potuit? Ego vero præfidentem iſtiuſmodi & contemptorem communis de ſe judicii advocatum pellendum foro puto. *Pereant, qui nigrum in candida vertunt.* Sed nunc dimittamus ranam illam paluſtrem, coaxetque in ſua palude, donec virus excreverit: potius quid concilia doceant, audiamus, ex iiſdemque tanquam ex puris ac limpidis fontibus hauriamus.

§. IV.

Quid Conſtantienſis Synodus de jurisdictione ſummi Pontificis? exceptio inaudita Febronii. Aliæ exceptiones duæ Janſeniſtæ anonymi. Quid ſynodus Florentina? Tridentina? In utraque vexanda Febronii artes atque præſtigiæ &c. &c.

I. MARTINUS V. inter cæteras, quas ſciente & adprobante ſacra *Conſtantienſi* & œcumenica ſynodo declaravit, propoſitiones hanc etiam com-

complexus est: *Papam Canonice electum esse successorem D. Petri, & habere in Ecclesia Dei* SUPREMAM AUCTORITATEM. (15) Est autem *suprema auctoritas* in Ecclesia, *jurisdictio* utique suprema: id enim supra docui, & etiamnum quo meliorem excitare testem non possum, communem adpello sensum humani generis. Nam quis, per Deum! priusquam nova latrocinantium ista prodisset cohors, unquam aliter loquendum sibi de tota *republica*, & *auctoritatem*, quam in ea summam quis obtinet, a *jurisdictione* itidem summa separandam esse putavit? Debebatur FEBRONIO, ejusque vindici ista novitas, profana, peregrina novitas, *a Patrum exorbitans vestigiis, & anathemate vindicanda*, quemadmodum est vere a PETRO *Cellensi* traditum. (16) In qua tamen ipsa comminiscenda, præcipitatio sua eos fefellit. Cum enim Conciliorum ipsi vim atque sensum ex *acceptione & sensu fidelium* æstimari præcipiunt: (17) quæso quem mihi Episcopum ostendent, quem Theologum, quem hominum ea ætate, cui interpretatio ista verborum *Constantiensis* Concilii, & *auctoritatis* a *jurisdictione* discretio in mentem aut calamum venerit?

Celebrata est *Constantiensis* synodi postrema sessio anno millesimo quadringentesimo decimo octavo, mense Aprili. Excepit hanc anno millesimo quadringentesimo trigesimo primo *Basileensis*. At ea, tametsi in schisma demum ipsa deflexerit, & ipsius, ut vulgo, notum est, *Constantiensis* freta synodi pronunciatis quibusdam, in *Eugenium* moverit: id tamen, quod de *auctoritate* legitimi Pontificis ista eadem decreverat synodus, nunquam aliter, quam de *jurisdictione* veri ac proprii nominis intellexit. Quam in rem extat synodalis responsio ad *Tarentini* Episcopi monita, qui causam Eugenii peroraverat. *Tarentinus*, inquiunt, JURISDICTIONEM & POTESTATEM *summi Pontificis late explicat, quod sit caput & Primas Ecclesiæ, Vicarius* JESU CHRISTI, *& a Christo, non ab hominibus vel a synodis prælatus Pastor Christianorum. Quod uni dictum: Tu es Petrus, & solus in plenitudinem potestatis vocatus sit, alii in partem sollicitudinis: quæ cum vulgatissima sint, minime necesse erat recensere. Ita* PLANE FATEMUR ET CREDIMUS, *operamque in hoc S. Concilio dare intendimus, ut omnes eandem sententiam teneant.* Quid? conglobata hæc, & ab oratore Pontificis congesta studio; dein ab iis, quorum quidvis fateri potius intererat, comprobata;

(15) Harduin. Tom. VIII. Col. 915.
(16) Novitas illa, quæ a Patrum vestigiis exorbitat, tam in fide, quam in moribus, semper anathematizanda est. In Præf. Tom. 9. Biblioth. PP. Col. 824.
(17) Febr. Tom. I. Cap. I. §. 9. pag. 65.

bata; non eam vim habeant, uti *auctoritatis supremæ* nomen sensumque ac notionem illius nobis exponant? (18)

Iidem de suo AMADEO, quem exauctorato EUGENIO objecerunt æmulum, statuerunt: huic tanquam unico & indubitato Ecclesiæ Romanæ *Pastori ab omnibus Christi fidelibus de* NECESSITATE SALUTIS OBEDIENDUM *esse.* (19) Quæ ex *Constantiensi* sunt iterum derivata: nam in eo Concilio damnatus est hic WICLEFFI primus & quadragesimus articulus: *non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.* (20) Quare sic ea *suprema* est; & qui illam regit Episcopus, ita *caput*, successorque PETRI; ut *obediendum* sit illi *ab omnibus* Christi fidelibus. *Obedientia* autem hujusmodi neque est, neque potest esse sine *jurisdictione*: quod assensuros jam mihi omnes opinor, qui non pueriliter contentiosi esse maluerint, quam sani ac sobrii.

II. Et vero judicii ac pudoris plusculum quam FEBRONIUS, anonymus de Primatu scriptor præ se tulit. (21) Non enim ille diffitetur, *supremam in Ecclesia Dei auctoritatem, & jurisdictionem* itidem *supremam* uniusmodi habere significatum: sed effugia quærit, atque primo sic excipit, non fuisse œcumenicam synodum. Quid facias? FEBRONIUS, qua parte œcumenica non fuit, omnino ac plenis faucibus fuisse clamat œcumenicam: iste, qua fuit, certoque & omnium consensu catholicorum ac judicio fuit, fuisse negat. Quanquam cur istud quæro? quasi dubitandum, quid faciendum sit iis, quibus tantumdem est, quid scribant, verum falsumne sit; si noceat? nam id quidem toti isti cohorti unice propositum est. Atqui FEBRONIUM pulsabimus postea: nunc *Anonymo* istud dicimus, esse falsum, falsissimumque, quod sumit, *Constantiense* Concilium, quo tempore doctrinam hactenus traditam stabilivit, desertum fuisse a magna Ecclesiæ portione, ab *Italia* scilicet, ac *Hispania*, *Lusitania*, omnibusque Regionibus sub ditione illorum Regnorum positis. Immo ab nulla Ecclesiæ portione desertum fuit: sed ab vigesima quinta jam inde sessione Regiones se illæ, vel Obedientiæ, ut vocabantur, Concilio adjunxerant, suntque in postrema sessione Propositiones HUSSI ac WICLEFFI unanimi consensione damnatæ. (22)

(18) Hard. Tom. VIII. Col. 1323. (19) Ibid. Col. 1285. (20) Ibid. Col. 911. Insuper inter Articulos Constantiæ damnatos hic est VII. Joannis Hus: Petrus non est nec fuit Caput S. Catholicæ Ecclesiæ. (21) Anonym. pag. 178. (22) Hard. Tom. cit. Col. 905. seq. in Bull. Martini I. *sacro approbante Concilio.*

At enim (sic inquit, & est secunda hæc ejus exceptio) non saltem hæreseos definita nota propositionum istarum ulli adscripta est, sed universe tantum damnatæ sunt, & conglobatim pro *erroneis*, *seditiosis*, *pias aures offendentibus*, *temerariis*. Vanæ voces! cur prætermittit imprimis censuram quintam, qua diserte id additur, esse quosdam & quidem plures ex illis articulis *notorie hæreticos*? (23) Deinde an id non satis sit ad religionem injiciendam homini pio, & frœnandam audaciam, quod sive hæreseos, sive erroris, sive seditionis, sive offensionis piis auribus inferendæ, sive temeritatis demum notatæ vitio propositiones eæ omnes sint judicio universalis Concilii: quominus amplectatur aliquam ex illis, & in censuram qualemcunque ex nominatis unam se induat? Sed minime verum est, quod scribit, fefellitque ἀβλεψια eum sua, nisi prudens deceperit. Si enim aliquantulum circumspexisset; vidisset in octava sessione quadragesimo primo Wicleffi Articulo. *Non est de necessitate salutis, credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias*, censuram hujusmodi adscriptam fuisse: *Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam, vel Concilium generale, aut pro quanto negaret Primatum summi Pontificis super alias Ecclesias particulares.* Quæ verba in postrema sessione, sciente & adprobante jam toto Concilio renovata sunt dato diplomate VIII. Kalendas Martias a Martino V. summo Pontifice. Jam id credo evidens est, *erroris* nomen, quo synodus utitur, de errore, qui oppositus fidei sit, debere intelligi. Quod & verba & res ipsa demonstrant, tum quoniam in eodem genere censentur *Primatus Pontificis*, & *Ecclesiæ universalis*, aut *generalis Concilii auctoritas*, tum quod sit de fide sermo, deque re, cujus est *fides ad salutem necessaria.* Atqui Wicleffus certe cum vel negavit hoc, *Romanam Ecclesiam supremam esse inter alias Ecclesias*, vel non ad fidem pertinere voluit, qua salutem consequimur; non de gradu & loco, sed de auctoritate & *jurisdictione* locutus est suprema. Atque sic etiam synodum intellexisse explicatio ostendit, quam adhibet, compositioque Primatus Pontificis cum ὑπεροχῃ, *supremitate*, hoc est auctoritate *Concilii.* Et Martinus V. in eandem sententiam exposuit, cum adprobante eodem sacro Concilio a Wicleffiana hæresi reversos interrogari jussit, utrum credant, *Papam Canonice electum successorem esse B. Petri*, *& habere supremam auctoritatem in Ecclesia Dei*: atque adeo *Basileensis* ipsa synodus demonstratum fecit. Quamobrem ad fidem omnino res ista pertinet, & qui negat, in errorem incidit oppositum fidei. Quod

quia

(23) Hard. Tom. cit. Col. 409. confer damnationem Art. Wicleff Col. 302.

quia tantumdem est, ac si abscisse & uno verbo *Hæreticum* dicas: quid sibi vult, aut ubi fuit Anonymus, cum notam hæresis requisivit, quam adeo facile & quasi obtutu & aspectu uno potuit deprehendere? Sed cum hoc quidem homine, ubi de Conciliis est sermo, non difficulter transigam. Dicam, quod pro se alium optat dicere; non eum Concilia pluris facere, quam Romanum Pontificem, Patriarcharum scilicet suorum, Abbatis SANCYRANI, SIMONIS VIGORII, sodaliumque, DABORDII, & qui sunt alii ejusdem furfuris, propudioso detestandoque exemplo. Ad FEBRONIUM revertor.

III. *Florentinum* Concilium post longas concertationes ex Græcorum tandem Latinorumque consensu hoc modo statuit in XXV. sessione: *Definimus sanctam Apostolicam sedem & Romanum Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. . . .* His sane verbis siquid significantius ad jurisdictionem dici possit: cupio discere: alioquin nisi me ratio fugit; omnia summa sunt. Quid enim est *pascere*, quid *regere*, quid *gubernare*, & cum *plena potestate* quidem? Sensit hoc restio. (24) Quare, ut ei mos est, ad ludificandum, ducendumque funem conversus, tria respondet, quorum duo quidem priora a scopo quam remotissima, tertium omnino fictum est, ac commentitium. Ea nos singula perpendamus obiter. Primum est; addi in decreto καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται; quæ ille verba perperam sic reddi queritur in editionibus Vulgatis: *quemadmodum etiam in actis Conciliorum oecumenicorum, & in sanctis Canonibus continetur.* Verum vult ita esse vertenda: *juxta eum modum, qui & in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.* " Quare inquit, talis est Romani Antistitis per universam Ecclesiam potestas, atque ita exercenda, quemadmodum tum in gestis " Oecumenicorum Conciliorum, tum in sacris Canonibus, non vero uti " in falsis Decretalibus continetur. „ Ac paulo inferius: " Summi Pontificis primatus retineatur talis, qualis & in sacris Canonibus assertus " reperitur.

 Heic

(24) Restio est, qui litem implicat.

Heic ego hominem, ut corporis habeat amplos, & vegetos, nego mentis ullos oculos habuiſſe. Fecerat ipſe hunc Paragrapho titulum: *auctoritatem quidem Pontifici, non JURISDICTIONEM competere.* Tum hunc: *Satisfieri argumentis, quæ proferri in rem eam ex Conciliis Tridentino, Florentinoque ſoleant.* (25) Erat igitur de *Juriſdictione* ſermo: hoc κυρος diſputationis. Jam ita vero, cum ſumit, eſſe, quam Concilium definivit, poteſtatem *ad eum modum exercendam, qui Canonibus continetur, Conciliiſque œcumenicis*; atque iterum, *Primatum talem retinendum, qualis & in actis Conciliorum œcumenicorum, & in ſacris Canonibus aſſertus reperitur*: quid voluit? Sunt enim ambigua & intellectum duplicem habere poſſunt. Primum ſic ea accipio, non ut contemnere fas ſit Pontifici, quæ a Majoribus & Oecumenicis Conciliis ſunt ſtatuta ſalubriter: ſed tueri potius illa debeat, & ex eorum præſcripto Eccleſiam regere. Atque hoc qui neget, puto hominem non eſſe. Quid autem ſit inde conſequens? *Juriſdictione* deſtitui, & Monitoris tantum (non enim medium eſt) habere partes curationemque illum? Id enimvero qui colligat, temulentus ſit, non ſobrius. Siquidem in omnibus fere Rebuspublicis atque regnis uſuvenit, ut tametſi ſumma ſit rerum penes Principem; idem certis tamen, quas *pragmaticas*, & *fundamentales* vocant, adſtringi legibus cenſeatur. Neque jam, quo nomine Pontifices teneantur, quærimus, quod minime opus eſt: ſed teneri dicimus. Atque adeo ex antiquo hic illis mos fuit, cum inaugurabantur, ut & Conciliorum & ſacrorum Canonum ſe fore vindices, eorumque vim & authoritatem præſtituros, Sacramento ſponderent. Quid igitur? Juriſdictioni, cum ita agunt, renuntiant? id quidem ſequi neceſſe eſt ex *Febroniana* juriſprudentia: ſed tam eſt lepidum, ut ſine riſu cogitari non poſſit. Neque enim *juriſdictio* eſt ejus tantum, qui, quod dicit, facit jus: ſed etiam illius quam maxime, qui, cum inſtituta ingreditur Majorum, ex probato, receptoque jure, quod eſt æquum & conſentaneum naturæ atque fini reipublicæ, diſpenſat in ſubditos, imperatque ex legum, in quas intrat, norma, tum peccantes ex earundem præſcripto legum coercet, & corrigit.

Quodſi (qui eſſe alter poteſt ſenſus exceptionis, & ſecundo loco innuitur) Primatus talis eſt retinendus ex *Florentinorum* Patrum ſententia, qualem Concilia, & Canones docent de voluntate, inſtitutoque CHRISTI Romano Pontifici competere: docent igitur profecto Concilia, docent Ca-

(25) Tom. I. Cap. V. §. IV. pag. 297.

Canones Primatum illi eundem competere, quem adſcripſit Synodus. At is *paſcendi*, *regendi*, & *gubernandi univerſalem Eccleſiam poteſtas plena* dicitur. Quare plenam hanc ipſam poteſtatem Concilia neceſſe eſt, & Canones doceant. Juriſdictionem igitur docent: plena enim poteſtas, & illa paſcendi quidem, regendi & gubernandi ſine juriſdictione informari animo non poteſt. Sic quocunque ſe vertat, tenemus hominem: ubique cæcitas, ubique ignavia. Sed quod ſequitur nemo bonus ei condonet.

IV. Scribit ita. *His de ſeipſis ſat luculentis* (quorum commiſeratione nos ſcilicet jam ducebamur) *tria adhuc momenta ſubjungenda veniunt: primum, quod ipſo agnoſcente* BELLARMINO *Libro II. de Conciliis c.* 13. *Concilium* FLORENTINUM *non ita expreſſe hæc definierit: Alterum, quod Patres Concilii Tridentini nullatenus crediderint, Capitalem illam quæſtionem, quam hic tractamus, quæque tam fervide in eodem Concilio agitata fuit, in* FLORENTINO *favore Papæ fuiſſe deciſam.* (26) Hæreamus heic; nam de tertio poſtea. Volo deceptorem ſe ille fateatur; idque annuendo ſi minus faciat, ſilentio ac pudore vincam, ut faciat. Age tu! quæro tria abs te viciſſim. Quænam illa ſunt, quæ a BELLARMINO non ita expreſſe in *Florentino* Concilio definita eſſe dicuntur? Quænam quæſtio eſt ea Capitalis in *Tridentino*, ut ais, agitata tam fervide? tandem tu ipſe quid agebas toto eo paragrapho? quid diſputabas? quid & contra quem pugnas toto libro? Duo, cum de Pontifice ſermo eſt, in quæſtionem adducuntur. Alterum an *juriſdictionem ſupremam in* ECCLESIA *Dei*, hoc eſt, in Eccleſias ſaltem, Chriſtianoſque *ſingulos* divinitus acceperit? Alterum, an ſic eam acceperit, ut cum *adunata & in unum collecta locum* Eccleſia eſt ipſa tota per *generale Concilium*; etiamnum ſuperior ſit ea Pontifex, nec ab illa leges teneatur admittere, neque judicio poſtulari poſſit? —— Qui vagire deſiit, capit, quantum interſit inter duo hæc capita. Eſt autem primum in iis poſitum rebus, quas *Catholica fide* jubemur credere; ſed alterum ἀδιάφορον eſt, & in utramque partem diſceptatur impune: a Gallis quidem, qui minorem eſſe Pontificis, quam Generalis Concilii poteſtatem cenſent, ab Italis vero & Germanis, teſte Clrmo BARTHELIO, (27) tum ab Hiſpanis Luſitaniſque, & aliis nationibus, a quibus pro Pontifice fuit hactenus dimicatum. Jam BELLARMINUS, qui de priore peculiari libro adverſus Hæreticos ſcripſerat: ſubin in altero, qui de Conciliis eſt, libro ſecundam pertractat quæſtionem: eſtque Capitis tertii decimi talis ab eo facta inſcriptio:

(26) Cap. V. §. IV. pag. 307. (27) Annot. ad Jus Can. p. 121.

an Concilium ſit ſupra Pontificem? Tum in originem ingreditur controverſiæ, de eaque paucis præfatus ſic proſequitur : *Et quamvis in Florentino Concilio videatur quæſtio definita : tamen quia Florentinum Concilium non ita expreſſe hoc definivit, ideo uſque ad hanc diem quæſtio ſupereſt etiam inter Catholicos.* (28) Heus tu nunc ! negabis deceptorem te eſſe? negabis magnum & inſignem te eſſe deceptorem, qui prudens ſciens deceperis? pugnabas contra TOURNELIUM : inficiari non potes. Is, ut & BELLARMINUS & Theologi omnes, diſcriminavit quæſtiones ambas, & ad illam quidem, quæ *fidei* eſt, pro eo ac catholicum decuit; ad alteram pro inſtituto nationis ac ſcholæ ſuæ reſpondit. Res æque certa : nam & tractatum, & quæſtionem & articulum citas ipſe. Quid agebas? Catholicam cauſam cum TOURNELIUS ageret & probaret, ut omnes reliqui, ex *Florentina* ſynodo; tu hunc aggreſſus es; negaſti *juriſdictionem* ullam Pontifici competere : & vim Concilii ut declinares, ad BELLARMINUM provocaſti, atque hoc eum teſtatus es dicere, *Concilium non ita expreſſe rem illam definiiſſe.* Quam quæſo rem? utique de qua agebas, quam impugnabas. Atqui mendacium hoc eſt. Nunquam enim BELLARMINUS id dixit : verum diſerte ac ſignificanter de ea tantum locutus eſt quæſtione, quam ἀδιαφοραν nos eſſe diximus, & controverti impune, *utrum ſupra Concilium ſit Pontifex*? Ea quippe, tametſi Concluſione, quod ajunt, Theologica ex Concilii verbis videatur deduci poſſe : explicate tamen, quemadmodum opus eſt ad Articulum fidei, declarata & definita a *Florentino* Concilio non fuit. Illa vero prior, utrum in Eccleſias ſaltem & Chriſtianos *ſingulos juriſdictionem* ſummus Pontifex obtineat, definita tam & gravibus & perſpicuis eſt verbis, ut qui graviora ac magis perſpicua deſiderer, inſanire mihi videatur. *Definimus*, inquit ſynodus, (repetam enim) *definimus S. A. ſedem & R. P. Succeſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum & verum Chriſti vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam a D. N. J. C. plenam poteſtatem traditam eſſe.* Perpende ſingula, & fer pudorem, ſi potes. Quam ſi tu nondum perfidiam fraudemque tuam fateri vis : cedo, ecquid verba igitur BELLARMINI corrupiſti? *Agnoſcente*, ais, *Bellarmino, Concilium Florentinum non ita expreſſe* HÆC *definivit.* Cur HÆC? HOC ſcripſerat BELLARMINUS : hoc, inquam, unum, *Concilium non eſſe ſupra Pontificem.* Cur truncaſti? cur abrupiſti?

Com-

(28) Loco a Feb. cit. h. e. Lib. II. de Concil. Cap. 13.

Commissum a te par est in altero mendacium. Nunquam enim, si ad Calcem a Capite legas historiam *Tridentini* Concilii, disputatum de *jurisdictione* ostendes, quam in omnes Christianos & Ecclesias *singulas* divinitus Pontifices Maximi acceperunt. Inculcabant perurgebantque hanc Galli, Itali, Germani, Hispani, nationes, Præsules, Theologi omnes: adjuroque te, homo, ostendas unum, qui inficiandam putaverit. Controversia in duo incumbebat: alterum, si novo res ea Canone definienda contra hæreticos foret, quibus verbis concipiendus is esset, ne quod metuebat LOTHARINGIUS, SORBONÆ factum esse præjudicium, & damnata, quæ Concilium præfert, sententia esse videretur. Alterum Episcopos spectabat. Nam id quærebatur, utrum quemadmodum ordinis, sic & jurisdictionis ii potestatem a CHRISTO proxime, an per Rom. Pontificem accipiant? Quorum qui istud prius contendebant Hispani, ea lege contendebant; nihil ut vellent ipsi detractum jurisdictioni in se Pontificis: sed amplissimam fore illam, ac se huic subjectos testabantur, rationemque addebant, quod hac ipsa sibi conditione ac pacto stipulatam a Christo potestatem suam meminissent, ut continerent se finibus suis, neque obedientiæ, & subjectionis ab se vinculum abdicarent. Idne vero de *Jurisdictione* est summi Pontificis disputare fervide? hoc retractare *Florentinam* Synodum, & quod ea decidit, non esse decisum putare ?

Crederem, non te mentitum esse, si adeo hebetem putare possem, ut in re quæ luce clarior est, ignoratione laberere, verum Hercle, non es lapsus, nisi perfidia. Alioquin probe sciebas, etiamnum in Gallia non nisi CHRISTO tanquam largitori ac fonti citimo jurisdictionem adscribi Episcoporum: qui a tua tamen tantum absunt falsa doctrina, quantum ab Hæretico Catholicus. Quod tu item, nisi omnia neges, non negabis: ac præter alia docere literæ te illæ possunt, quas anno MDCCXXVIII. Cardinales Archiepiscopi & Episcopi de Advocatorum consultatione celebri ediderunt. Quibus cum de eadem potestate hac sua sermonem habent, potestatem adpellant, sed *cui ipse Jesus Christus institutione sua limites posuerit*, potestatem, *quam inferiorem*, quam *subjectam esse statuerit Petri Sedi, in quo Apostolicæ potestatis plenitudinem collocavit*, idque, ut & *Primatum ac Jurisdictionem supremam Pontificis ad fidem* ajunt pertinere, *qua Catholici sumus*. (29)

Ter-

(29) Lett. des Card. Arch. & Ev. sur la Consult. des Avocats. pag. 34. 35. 36.

Tertium ex tribus, quæ ludificandæ immo vero enervandæ ac deridendæ Synodi causa homo malus commentus est, ad versutiam sic est implicatum; ut cum maxime fallat ac data opera lectores suos decipiat, possit non tamen decepisse, sed scripsisse verum videri. Audiamus ut scribat. *Tertium*, inquit, *est, quod in eadem Tridentina Synodo a Gallis pernegatum fuerit, Florentino inter generalia Concilia locum dandum esse, quippe quod ex quibusdam Italis, & quatuor solum græcis Patriarchis compositum fuit.* Quorsum ista? ut etiamnum in ea sententia versari Galliam bonus lector existimet? Calumnia est, quam ex instituto repellunt Natalis Alexander, Juenin, Colletus, (30) cujus, ut nos ipse admonuit defensor Febronii, in omnibus prope Tyrociniis Clericorum per Galliam Theologia prælegitur. Neque aliter, quam pro oecumenica eam Synodum laudant Tournelius, Duhamelius, Habertus, Boucatius. (31) Sed Annatus Catalogum texens Synodorum Generalium, ubi admonet, quarumnam ambigua sit apud multos auctoritas, *Lateranense* V. duntaxat exceptum esse tradit in Gallia. (32) Quibus Anonymus addendus, qui anno MDCCLVIII. Parisiis Dictionarium edidit Conciliorum, (33) alterque, qui artem, quo sit tempore res quæque gesta, comprobandi, Parisiis Anno MDCCLXX. (34) Quodsi, ut ego minime suspicari possum, voluit hoc ille duntaxat indicare lectori, ab initio & exploratis nondum rebus, quin & Tridentini etiamnum Concilii tempore dubitatum fuisse a quibusdam in Gallia: dixit, quod res est, sed quod ad rem, & quo juvare suam possit hæresin, omnino nihil. Id quippe errore factum, testantur iidem, quos nominavi Gallicani scriptores, atque adeo par fatum subiisse Majores suos, atque olim, cum *Nicænam* secundam Synodum errore simili aliquamdiu repudiarunt: Constat de V. etiam Synodo rerum peritis, quam difficilem experta Africam Hispaniamque sit. Quæ res tantum abest, ut auctoritati ambarum detraxerit, ut sit aucta hæc inde potius: neque jam homo sit, quin oecumenicas & in pari censendas gradu cum oecumenicis quibusvis aliis eas existimet. Atque hæc quidem κατ' οἰκονομιαν, & ad *hominem*, ut ajunt, disputaverim. Alioquin satis intelligo, Conciliorum vim atque authoritatem divini Spiritus procuratione niti per sese, non Theologorum in-

necti

(30) Natal. Alex. Hist. Eccles. Sæc. XV. Tom. VIII. pag. 584. Juenin Institut. Theol. Tom. I. Diss. IV. Quæst. III. Cap. II. Art. 18. p. 40. §. 3.

(31) Tournel. de Eccles. Quæst. V. p. 61. Duham. de Eccl. Lib. III. p. 733. Habert. Theol. Tom. VII. de Hierarch. Eccl. Cap. IV. §. 3. Boucat. Tom. III. Diss. de Concil. Art. II. p. 359.

(32) In Apparatu. lib. V. Sect. 3. A. 1. (33) P. 246. (34) L'art de verifier les dates p. 234.

necti placitis paucorum; nec ut robur atque gradum suum obtineant, singulorum sic velut manus prensandas esse.

Tandem ne forte ratio ea quemquam decipiat, quæ est *Tridenti* ab aliquibus mota, constitisse synodum ex quibusdam Italis solum, Græcisque quatuor: non est vera hæc. Nihil synodo ad auctoritatem defuit. Nam & convocati sunt ad eam terrarum orbis omnes Episcopi. & ut Gallorum magis, quam meis rem verbis exprimam, convocati auctoritate legitima, sanioris nimirum partis Concilii *Basileensis* ac decreto EUGENII Papæ IV. " Debitum quoque habuit Præsidem, eundem EUGENIUM. Tum universam " Ecclesiam repræsentabat: Occidentalis enim illi præsens fuit per EUGENIUM Papam, Cardinales octo, Episcopos quinquaginta & unum, ac " plures tum Abbates, tum ordinum Præpositos Generales, tum Doctores: Orientalis vero per JOSEPHUM Patriarcham *Constantinopolitanum*, " per Vicarios *Alexandrini* & *Antiocheni* Patriarcharum, per BASILIUM Patriarcham *Hierosolymitanum*, per plures tum Metropolitanos tum Episcopos, ipsum etiam JOANNEM PALÆOLOGUM Imperatorem. Tandem " quæ in eo definita sunt oecumenicæ sunt fidei, seu Dogmata sunt, quæ " Ecclesia Catholica quovis sæculo professa est, & etiam ubique profitetur. (35) Quod quidem ultimum a Gallicano profectum calamo ferit jugulum Circulatoris nostri. Quid enim mutiet ille porro, quid hiscet? postquam est hæresis deprehensus non solum a nobis, sed etiam ab iis, quorum se tuebatur præsidio, & quorum integritate abusus est puritateque fidei tam impudenter ac sæpius. Sed jam satis de hoc Concilio: puto enim, quæ ille luculenta a se posita nominavit, me lutulenta comprobasse, & eum, a quo sunt posita, totum luto inquinatum esse perfidiæ. Quo minus vitio mihi verti debet, si deinceps omnia hujus fore generis suspicer.

Nec vero temere faciam: ac do in eo hujus rei exemplum, quod DIDACI PAYVÆ testificationem hanc subjicit, *Florentinam Sola Gallia pro oecumenica nunquam habuit.* Quasi quotquot librum erant FEBRONII lecturi, continuo quis iste fuerit DIDACUS, quaque ætate scripserit, habere in promptu possint? Interest autem omnes hoc nosse: nam scripsit DIDACUS, atque adeo absolverat præclarissimum opus suum anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto idibus Januarii, quo tempore cum errore etiamnum Gallia retineretur; quid mirum, si pro oecumenica *Florentinam* Synodum

 non-

(35) Juenin I. c.

nondum receperit. Cæterum addit Didacus & multo veriſſimum eſt, *tot in illa Synodo fuiſſe de Religione myſteria diſputata & concluſa, & tam celebrem Græcorum, Armenorumque adventu extitiſſe, ut in potiſſimis Conciliis haberi debeat, atque decima tertia numerari.* (36) Sed ut dixi, de Florentino ſatis.

V. Sequitur *Tridentinum:* nolo enim ex *Lateranenſi* ſub Papa Julio allegatum a me quicquam videri; quod neque opus hoc habeam Concilio, neque certare mihi, niſi cum hoſte, non autem cum Catholicis propoſitum ſit. Porro percelebris in *Tridentino* locus eſt Seſſ. XIV. de pœnitentia C. 7., ubi declarat Synodus, *merito Pontifices Max. pro* Suprema potestate *ſibi* in Ecclesia universali *tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuiſſe peculiari judicio reſervare.* Qui modice ſubactus hoc eſt genere literarum, is ſtatim intelliget, de induſtria conceptam ſic eſſe declarationem, ne Gallicanæ ſententiæ præjudicium aliquod fieret. Hujus enim quaſi χαρακτηρ ac teſſera eſt, in *univerſali* quidem *Eccleſia*, ſed non in *univerſalem*, h. e. in adunatam, collectamque per generale Concilium ſupremam poteſtatem Romano Pontifici adſcribere. Quare ſive perfidiæ, ſive ſtuporis, utrumvis voles, evidentis certe rurſum alterutrius tenemus hominem. Qui ex eo, quod controverſiam de Pontificis, Conciliique inter ſe comparatione, & de Epiſcopalis ortu poteſtatis decidere non voluit Synodus, continuo nec *Jurisdictionem* adjudicaſſe ullam Pontifici collegit, & perſuaſurum ſe ſperavit, perinde velut ſi orbem terrarum pro muſæo, atque omnes homines pro tironibus ſuis habuiſſet.

Id adeo ad hunc ipſum, in quo verſamur, *Tridentini* locum his verbis repetiit: *Sicut Concilium Tridentinum ſtudioſe cavit, ne primariam illam de ſummi Pontificis auctoritate quæſtionem* (eam ſcilicet: præſtetne Pontifex generali Concilio?) *decideret, & immediato Epiſcoporum juri præjudicium ferret: ita nihil eidem tribuit, quod ſuperiorum Conciliorum hac in parte ſanctionibus quidquam ſuperadderet: quemadmodum ſolide demonſtrat N. Alex.* (37) Ita eſt: ſtudioſe cavit, & in declaratione quidem hac ipſa de *pœnitentia*, quam pertractamus. Sed cum maxime cavet, poteſtatem nihilominus in *Eccleſia univerſali*, eamque ſupremam & juriſdictionem preſſiſſimo, h. e. quoniam reddenda eſt homini vox ſua: *Juridico* acceptam ſenſu Pontifici tribuit ſacroſancta Synodus. Secrevit igitur, quod eſt

(36) De Scrip. ſac. Tradit. Q. auctorit. Lib. 2. p. 431. Edit. Colon. 1580.

eſt fidei catholicæ ab eo, quod controverti in ſcholis ſolet: Atque hoc eſt, quod NATALIS ALEXANDER docuit. Quare qui permiſcere & implicare ſe poſſe omnia ſperavit FEBRONIUS, & in ruinam ſtragemque unam cum controverſis dare certiſſima, catholicamque ipſam fidem cum iis, quæ in diſputantium ſunt relicta arbitrio: is cui ſit gregi adnumerandus, malim ipſe de ſe, aut de eo alius ſtatuat: nolim enim, quod ſentio, ſcribere.

Sed ecce novum facinus! Cum explicare a Concilii ſe iſto laqueo homo miſer non poſſet, cornicatur, mordetque terram, & cum omnem partem atque exitum tentat, a ſe ipſo ſic tandem deſeritur: " Cæterum, " inquit, quæ ejusdem Concilii ſeſſ. XIV. de reſervatione certorum gra- " viorum criminum declarantur, ea generaliora ſunt, nec exprimunt, a " quo & quibus gradibus, ac quoad quas partes ſuprema hæc poteſtas Ro- " mano Præſuli in univerſa Eccleſia tradita fuerit: nihilque impedit, quo " minus credamus, poteſtatem nonnullorum criminum reſervandorum AB " ECCLESIA, ſeu CONCILIO, ſupremo Pontifici PERMISSAM fuiſſe. " Adpello conſcientiam viri: crediderítne verum eſſe, quod ſcripſit? Nego credidiſſe: nego potuiſſe fieri, ut crederet. Quod ſi credidit tamen; id eum obteſtor, momento in ſeipſum intret, atque ſibi internæque voci ſuæ auſcultet. Etenim quid tam eſt inſitum nobis a natura, quam magiſtrorum vulgaris ea præceptio, loquendum ſic eſſe, ut nos omnes intelligant: intelligendum vero ſic illum, qui loquitur, in eumque ſenſum, quo omnes loquuntur? Quæ ſi ad communem & quotidianam hominum vitam proviſa lex eſt; quanto ab iis eſt curanda ſtudioſius, a quorum verbis pendet Reſpublica? Nam ab his nihil tam alienum eſſe poteſt, quam ſi vel ea nobis ſignificent, quæ ipſi per nos non intelligamus, vel quorum interpretem non niſi poſt ſæculorum habere ſpatia poſſimus. PACUIANUS AMPHION *quadrupes tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera, capite brevi, cervice anguina, aſpectu truci, eviſcerata, inanima cum animali ſono, cum dixiſſet obſcurius* apud Ciceronem, *tum Attici reſpondent: non intelligimus, niſi aperte dixeris. At ille uno verbo:* TESTUDO. *Non potueras* hoc igitur a principio Cythariſta *dicere?* Atqui obſcurius ille tantum ac perplexius locutus fuerat; non falſum aliquid dixerat, alienumque ab humano ſenſu.

Revertamur *Tridentum* nunc. Ea ſynodus cum haberetur; qui *ſupremam in univerſali Eccleſia poteſtatem* Romano eſſe traditam Pontifici adſerebant homines: de qua loquebantur ii, obſecro, poteſtate? De eane, quam hominum ille beneficio fuiſſet conſecutus? Minime iſtud quidem: definiverat jam enim Conſtantienſe Concilium, *Vicarium eſſe Chriſti &*

 ſuc-

ſucceſſorem Petri, eoque nomine *ſuprema in Eccleſia Dei auctoritate* potitum. Idem cum TARENTINUS monuiſſet, ſignificanterque *non a Conciliis*, ſed a CHRISTO poteſtatem habere ſummam addidiſſet, reſponſum tulit a Baſileenſibus, pervulgatam eſſe rem, nec in dubium vocari. *Florentinum* item: Non eum aliunde, quam a *Domino noſtro Jeſu Chriſto, plenam poteſtatem adeptum paſcendi, regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam*; indeque *Caput totius Eccleſiæ, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere.* Neque LUTHERUM, CALVINUMque tam re alia offenſos ſcimus, quam quod *divinitus* collata ea poteſtas diceretur. Quod cum illi quidem pernegarent; tum catholici ea defendebant ratione, uti CHRISTO referendam eſſe in acceptis contenderent, non Conciliis, non Imperatori, non mortalium ulli. Et in ipſa tandem, quod memini dicere, *Tridentina* ſynodo quanta animorum, quanta ſententiarum de illa re conſenſio? ut ſuapte ſponte incitati ad vindicandam definiendamque illam omnes eſſent, controverſiamque qui movendam putaverit, duodeviginti ſpatio annorum (tot enim duravit propemodum ſynodus) nemo fuerit.

Quæ cum ita ſint, quæ iſta, malum! obſecro, novitas, libidoque & licentia inſana cavillandi? non de illa, cujus omnium tum mentibus impreſſa notio ac fides erat; ſed de longe diſpari locutos poteſtate ſapientiſſimos Concilii iſtius Patres putare? Quid? *Non poteratis hoc clarius cytbariſtæ dicere*? Quidni vos ita, ſapientiſſimi Patres: *Permitti, indulgeri* a vobis; *permitti, indulgeri* a ſancta ſynodo, *ut poteſtatem in Eccleſia ſupremam*: ita *reſervandorum* quoque jus illud criminum graviorum? Cur in errorem abducti ſumus? aut cur interpretem non providiſtis FEBRONIO ſimilem? Sed abſit: non Concilii iſta mens fuit. PRO SUPREMA POTESTATE, inquiunt Patres: ea ſcilicet, quam *Conſtantienſis, Florentinaque* ſynodus definiverant; quam *Baſileenſes* pervulgatam eſſe rem dixerant; quam laceſſitam ore ac ſcriptis tuebantur Catholici; de qua Patrum in ipſa ſynodo nemo dubitabat. Ea autem non humano collata beneficio, ſed accepta divinitus credebatur. Quare cum pro hac ipſa *ſuprema in Eccleſia univerſali poteſtate* poſſe criminum quorundam cauſas reſervare ſibi Pontifices, tradit ſynodus; immo vero non *poſſe*, ſed *potuiſſe*, etiam ſponte arbitrioque ſuo, ac nullius interventu ſynodi, quemadmodum fecerant: profecto non adjectitiam hanc eſſe facultatem oſtendit aut Eccleſiæ comparatam ſumptu; ſed *congenitam* Primatui, poteſtatisque, quam *ſupremam* nominaverat, fructum, quo ſpoliari non poſſit. Quemadmodum cum de Epiſcopis ita ſtatim ſubjungit, *dubitandum non eſſe, quin hoc idem in ſua cuique Diœceſi liceat*; & rationem *ab auctoritate* ſumit,

quam

quam ſupra Presbyteros obtinent: non eam precariam intelligit, indulgentiaque vel donatione partam autoritatem; ſed quæ propria Epiſcopali eſt ſtatui, nec ſeparari ab eo poteſt de voluntate & ordinatione CHRISTI. Ita enim Catholici omnes accipiunt. Sed de *Reſervatione* alias: nunc pauca ut dicerem, rerum nexus fecit, ſed præter inſtitutum: nam de jurisdictione non niſi univerſe erat diſputare propoſitum.

VI. Ne autem debitor ſim, videarque falſo, quæ de conſenſione dixi Patrum in Tridentino Concilio, ac ſine teſte aſſeveraſſe, libet ſententias nunc quorundam ſubnectere, quas quidem talium ſeligam, ut iis auditis, quid ſenſerint reliqui, dubitari non debeat. Qua in re non PALLAVICINI acquieſcam hiſtoriæ: nam inteſtabilem hunc eſſe memini FEBRONIO; ſicut COURAYERIUM præ illo commendare malit, infamem & tota Gallia proſcriptum ab ordine ac Religione apoſtatam: ſed NICOLAI PSALMÆI, egregiæ pietatis nec minoris eruditionis viri teſtimonium conjungam: qui cum *Verdunenſis* per eam tempeſtatem Epiſcopus eſſet, interfuit ipſe ſynodo, comes atque particeps conſiliorum CARDINALIS LOTHARINGII, perindeque liber in dicenda ſententia. Hic in commentarios ea retulit, quæ præſente ſe geſta ſunt: ex quibus iſta decerpimus. (38)

Anno MDLXII. die 3. menſis Decembris, cum vel maxime *de Epiſcoporum inſtitutione* ferveret quæſtio; & Hiſpani, quod modo docuimus, nihil magis contenderent, quam a CHRISTO inſtitutos eſſe ἀμέσως, ab eoque ſolo poteſtatem omnem ſuam accipere: inter alios FRANCISCUS DELGADO *Lugenſis* Epiſcopus dixit ſententiam: Dein ita ſubjunxit: dici hæc a ſe, *non ut imminuatur propterea auctoritas ſanctiſſimi Pontificis, qui in Eccleſia primatum tenet, & eſt ſucceſſor Petri, & Vicarius Chriſti, prout in Concilio Florentino.* Nolo cætera in præſens, ſed differam. Tum *multa alia dixit in eos, qui adeo laborant in augenda auctoritate ſummi Pontificis, quam* NEMO NEGAT; *modo uſus non vertatur in abuſum: ſed* OMNIA POTEST, iriquit, QUÆCUNQUE EXPEDIUNT PRO UNIVERSALI ECCLESIA *in ædificationem, & non in deſtructionem: ſic & Epiſcopus in regenda ſua Eccleſia omnia poteſt, quæ ad eam gubernandam pertinent.* (39) Nihil certius iſta ſententia: neque nos quidem, cum *juriſdictionem* vindicamus, plus aliquid volumus. Id quod per decurſum hujus operis conſtabit; nec vere-

 mur

(38) Exſtant in Monumentis ſacræ Antiquit. quæ Anno MDCCXXV. publici juris fecit Carolus Lud. Hugo Abbas Stivagii.
(39) Sacræ Antiqu. Monum. pag. 340.

mur, ne Romanas aures offendamus, quantumvis delicatas eas FEBRONIUS fecerit.

A meridie JACOBUS GIBERTUS DE NOGUERAS *Aliphanus Episcopus* dixit sententiam, & ille quidem acerbius, sed eo tantum, ut Episcopalis potestatis originem divinam faceret, non ut jurisdictionem Pontificis demeret. Cujus argumentum est, quoniam ita PETRUM institutum esse ajebat a CHRISTO, uti aliis *præesset ad conservandam unitatem, & vitandum schisma.* (40) Quæ res ne intelligi quidem sine jurisdictione potest, ut statim doceo. Refert eandem vero orationem fideliter PALLAVICINUS, aliamque insuper, quam in superiorum ille conventuum aliquo de eodem argumento habuerat: in qua inter cætera, *verba*: PASCE OVES MEAS, non fuisse soli PETRO dicta, sed reliquis etiam Apostolis, contendebat ex quorundam Patrum testimoniis: tum vero *Christum fuisse locutum cum Petro una cum reliquis, quo ostenderet, eam auctoritatem in reliquis etiam perstituram; sed cum eo solo postea locutum, quo significaret; licere ipsi* SINE RELIQUIS *exercere.* (41) Quid jurisdictionem est dare Pontifici, si hoc non est? Spectat enim tria ALIPHANUS: primum, potestatem quidem omnem Episcopis, ut & Apostolis, fuisse datam a solo CHRISTO, sed ea lege, ut in corpus, Ecclesiamque & rempublicam unam concedant cum Capite: alterum; ut pendeant certa quadam ratione & comiter in exequenda hac sua potestate ab illo ipsomet capite: dein hoc tertium; non sic vicissim in eadem exequenda potestate ab Episcopis pendere summum Pontificem; sed posse solum hunc & in Ecclesia universa, & in Diœcesibus singulis, quod Episcopi possunt: det operam modo, ne Vicarios velle facere Episcopos, videatur, disponereque de eorum potestate velut de re sua, perinde tanquam veri iidem, & ab ipsomet CHRISTO, constituti Ecclesiæ Principes non essent. Addit PALLAVICINUS, GUERRERUM, cum in eadem esset ipse sententia, Hispanorum suorum nomine professum, *gravissimæ sibi contumeliæ* verti, quod *a quibusdam idcirco notarentur modicæ fidei in Apostolicam Sedem: in hoc se nemini concedere & ad firmissimum fidelitatis suæ argumentum sibi probari, ut poneretur in Canone, Episcopos jure divino subjectos esse Romano Pontifici, & ad ipsi parendum obstrictos.* (42) Neque alia cæterorum nationis istius inclytæ Episcoporum suffragatio fuit.

Cardinalis LOTHARINGIUS die quarta Decembris a meridie solus dixit sen-

(40) Ibid. p. 341. (41) Lib. XIX. Cap. V. N. 11. (42) Pfal. p. 341.

ſententiam. Ejus ſumma capita refert PSALMÆUS, interque cætera *Primatum Petri indubitatis ſcripturæ teſtimoniis*, non Decretalibus ISIDORI *confirmaſſe* ait. Tum auctorem fuiſſe Patribus, *tanto magis in augendum, ſtabiliendum, confirmandumque illum incumberent, quanto magis ad unitatem ſervandam, & ſtabiliendam conatus omnes ſui debeant tendere; adverſarii vero expugnare eum nitantur, ut totum poſtea Ordinem Eccleſiaſticum confundant.* (43) Quæ ſunt omnia apud PALLAVICINUM quoque, ſed fuſius. Ex illo quoniam Monarchiæ tam inviſum FEBRONIO nomen eſt, libet pauca hæc addere: *Eccleſia*, inquit Cardinalis, *facultatem non habet efficiendi, ut non regatur a Romano Pontifice, & ab Epiſcopis; neque conſtituendi ſibi Ariſtocratiam, aut Democratiam; ſed regi neceſſe eſt per Monarchiam a Pontifice univerſali, & ab Epiſcopis particularibus.* (44) Teſtatur uterque, petiiſſe Lotharingium, peculiarem Canonem conſtitui, *quo anathemate feriretur*, qui negaret, *Petrum eſſe unum, & ſummum Chriſti in terris Vicarium, & Papam ſucceſſorem Petri* (45) ſeu, ut verba ipſa ſunt apud PALLAVICINUM, " qui diceret, PETRUM ex inſtitutione Chriſti primum inter " Apoſtolos non fuiſſe, ſummumque ipſius Vicarium, nec neceſſe eſſe, " unum eſſe ſupremum Pontificem PETRI ſucceſſorem, eique parem in " auctoritate regendi, atque in Romana Sede ejus ſucceſſores ad hoc uſ" que tempus non habuiſſe Jus Primatus in Eccleſia. „ (46) Cœlites boni! quid iſtud monſtri? *Vicarius* CHRISTI, *ſummus*, *ſupremus*, *unicus in univerſali Eccleſia*, ſed *juriſdictionis expers*? Atqui Cardinalis hic ille eſt, idem ille, qui in omnes voces erat intentus, nequa irreperet, qua Concilium poſtpoſitum eſſe ſummo Pontifici, videri poſſet.

Secutus PSALMÆUS die 5. Decembris. Atque is, " certe, inquit, ut " ingenue fatear, quod ſentio, illa quæſtio, quæ multorum Patrum inge" nia exercuit & torſit: Num Epiſcopi ſint jure divino a CHRISTO inſtitu" ti immediate, non tantum quoad poteſtatem ordinis, ſed etiam omni" modam juriſdictionem? me non parum commovit; quodque eo nomi" ne ſemper habui exoſum, quod Sanctiſſimi Domini Papæ primariam il" lam & plenariam auctoritatem, & dignitatis Pontificiæ faſtigium videre" tur in dubium nonnihil revocare, aut imminuere: Sed hujus quæſtionis veritatem Illuſtriſſimus Cardinalis (De LOTHARINGIO loquitur) " pro ſua " incomparabili doctrina tam validis & irrefragabilibus ſcripturæ teſtimo-

"niis

(43) Pſal. Monum. l. c. (44) Pallav. Hiſt. Lib. cit. Cap. 6. N. 2. (45) Pſalm. l. c. (46) Pallav. Hiſt. L. cit. N. 4.

" niis firmam, munitam & stabilitam ostendit, ut exactissimæ illius senten-
" tiæ mihi per omnia subscribendum potius esse putaverim, quam rem
" actam agendo, tempus frustra terere". Tum paulo inferius : "Omni-
" no necessarium esse existimo, ut præscriptis ab eodem Cardinali verbis
" adjiciatur Canon *de Primatu Petri* & plenitudine potestatis Sanctissimi
" Domini Papæ, quam habet in universas totius Ecclesiæ Catholicæ oves,
" ut universalis Ecclesiæ auctoritate, Ecclesiomastigum hæreticorum im-
" probitatem retundamus, eorumque technas & consilia dissipemus, quo-
" rum conatus & vires omnes tendunt, & in hoc mutuo inter se conveni-
" unt, ut Monarchiam Papalem, supremamque ejus auctoritatem funditus
" evertant, & jacto suæ impietatis fundamento, Hierarchiam Ecclesiasti-
" cam, veluti castrorum aciem ordinatissimam, minori negotio e medio
" tollant, Ecclesiam primo sine Papa constituant, & deinceps sine Episco-
" po, sine sacerdote, sine sacrificio, sine lege, &, quod omnis blasphe-
" miæ & impietatis est caput, sine Deo. (47)

Hæc ille & plura de hoc argumento. Qui mihi quidem vir præstantissimus præsagitionem inclusam habuisse animo videtur cunctarum rerum, quas eventus subinde docuit. Sunt enim omnia consecuta : non eorum quidem universa consiliis, qui tum Ecclesiam infestabant, sed aliorum, qui post scissionem illam fatalem velut novæ viperæ ex maternorum laterum corrosione, Dei, religionisque omnis hostes ac derisores extitere.

Tandem ut nihil dissimulem, dixit eodem die Franciscus Belcarius, *Metensis* Episcopus, sed *ita*, inquit Psalmæus, "*ut visus sit paulo acerbior in obscuranda & extenuanda auctoritate Pontificia.* (48) Quæ etiam causa fuit, ut ipsius Lotharingii, Gallorumque duodecim Episcoporum reprehensionem incurrerit. Quid igitur? *monitorem* forte summum Pontificem fecit? *Jurisdictione* privavit? Minime istud quidem : sed hoc adseruit, ab initio non Oecumenicum, sed primæ sedis Episcopum nominari consuesse. Quo hoc indicabat, non esse solum illum in Ecclesia universa Episcopum; quemadmodum id velle sibi nonnulli videantur, qui *functionem sic quasi accommodatam & precariam ab eo Episcopis* putent *concedi.* Ab Episcopis munus proprium, non a Pontifice delegatum obtineri. Deinde plenitudine potestatis idem sibi videri dixit, quod a Chrysostomo de plenitudine gratiæ alicubi traditum est, aliam fuisse hujusmodi plenitudinem in

(47) Psal. p. 342. (48) Psal. p. 347.

in CHRISTO, aliam in VIRGINE, aliam in Apoſtolis, aliam in aliis Sanctis pro varietate recipientium. Ita pariter plenitudinem poteſtatis etiam in ſummo Pontifice ſuis eſſe cancellis limitatam. (49)

Ex his patet, quantacunque fortaſſis acrimonia hic cauſam ſuam egerit Epiſcopus; a *Febroniana*, id eſt, hæretica conſperſione quam longiſſime abfuiſſe. Non enim ludum ille profecto Pontificem fecit; non juriſdictionem abſtulit: ſed in eadem cum HOGUERA recubuit atque hæſit ſententia, eſſe variam plenitudinem poteſtatis, & uniuscujusque accommodatam captui: ſic ut, cum ſit ſua Pontifici Maximo, eaque amplior; tum & Epiſcopis maneat ſua: quam ii minime quaſi precariam a Pontifice, ſed a CHRISTO propriam accipiant, ſubjectam tamen & devinctam Pontifici. Sed in hanc ille diſputationem errore inductus eſſe mihi videtur: neque enim credere poſſum, fuiſſe in ea Synodo Epiſcopos, qui ſe precariam obire functionem duntaxat, non propriam, neque Eccleſiæ veros ſe eſſe Principes exiſtimaverint. Utcunque ſit, dicam de hoc alias. Quod præſentis eſt inſtituti; demonſtraturum me eſſe receperam, nihil alienum magis a veritate, nihil iniquius, nihil malitioſius potuiſſe fingi a quoquam; quam quod eſt ita a FEBRONIO poſitum, in *Tridentino* Concilio de *Juriſdictione* fuiſſe diſputatum ſummi Pontificis: tribuendane hæc illi ſit? an tollenda penitus? Id enim adſeruit, ut eſt oſtenſum: neque hic modo, ſed in initio ſtatim ſui operis, credo, ut cum nuſpiam conſtet ſibi ac dictis ſuis, in fallendo, ſaltem decipiendoque conſtaret. Atqui ſi cui ſcintilla micat ſani judicii, videt is, rem eſſe falſiſſimam. Diſputatum eſt enim, non nego: ſed utrum impertiat Juriſdictionem Epiſcopis, non utrum ipſe ſit ea præditus? utrum Conciliis ſit idem potior, non an Epiſcopis, provinciisque ſingulis jus dicat? Quæ diverſiſſima ſunt ambo, & cum in controverſiam cadant prima; duo proxima pro exploratiſſimis habebantur a Patribus; contentio de iis nunquam mota eſt, ac ne tentata quidem.

§. IV.

Jurisdictionis hujus neceſſitas demonſtratur.

I. ET vero quem tam male paratum fuiſſe ſuſpicabimur in illo conſeſſu a traditionis ac rationis præſidiis, uti rem tot & veterum obvallatam

(49) Pallav. Hiſt. Lib. XIX. Cap. VI. N. 6.

ſuffragiis, & ex fine ipſo conſtituendi in Eccleſia Primatus tam neceſſario & evidenti pendentem nexu non viderit? Eſt enim, ut accommode Psalmæus dixit, Eccleſiaſtica Hierarchia velut *caſtrorum ordinatiſſima acie*, non propter ordinum modo, officiorumque in illa varietatem, ſed eo maxime, quod ſit UNA: qualis cum eſſe deſierit, neque acies omnino eſt, neque Majeſtatem aut vires retinet, ſed in palantes greges diſpeſcitur, incendiariorumque & latronum manipulos. Jam hujus unitatis in Rom. Eccleſia & illius Antiſtite collocavit centrum Dominus Christus. Hoc tam & multa & luculenta ſunt, quæ perſuadeant, teſtimonia, ut qui reluctari velit, quidvis ille, non indolem bonam, non mentem ſanam præ ſe ferat. Quare hæc repetantur, ut ſunt producta a nobis, & cum ſeorſim pleraque, tum univerſa in unum collata cumulum retractentur, quæ ab Irenæo, tertullianoque orſi, per conſequentes ætates longa ſerie protulimus. Mirum, juriſdictionem non ea pariter evincere; cum id maxime probent, Eccleſiam eſſe Christi non poſſe, quæ Romanæ ſedi & illius Epiſcopo copulata non fuerit! Etenim ita prorſus habendum eſt: qui *unitatis* cauſa Primatum inſtitutum eſſe concedit, & *divino* quidem, non humano inſtitutum conſilio; ſed juriſdictionis expertem ac vacuum; delirare hunc, nec paulo melius ſapere, ac ſi parallela, & pari divortio diſtantes lineas in commune punctum conaretur adigere: quod eſt των ἀδυνατων ἀδυνατωτατον. Atque

II. Ut Febronii demonſtremus exemplo, quod eſt alioquin evidentiſſimum, fingamus eſſe, quemadmodum id principi Jurisconſultorum placuit: ac *monitoris* contentus munere Romanus ſit Pontifex, non *juriſdictione*, non *poteſtate* præditus (nam uniuſmodi ſunt iſta duo, ſicut Græcis etiam τα ἀυθεντειν & ἐξουσιαζειν) quid ad unitatem, amabo, conferet? Quid? Moliatur, ecce, res novas aliqua Provincia: quid ille faciet? Reſcribetne exemplo Stephani: *Nihil innovandum, niſi quod traditum eſt*? Erit liberum Epiſcopis, quid velint, agere. Nec enim parendum eſt illi, qui imperare non poteſt; imperare autem in republica non poteſt, qui Juriſdictione deſtituitur. Qua quidem in re Cypriani tuebuntur ſe ii exemplo, Febroniique commentationibus præclaris illis, quæ extant in ſexti capitis nono paragrapho. "Si Papa, inquient, imitatus Stephanum, de " Epiſcopatus ſui loco glorietur, & ſe ſucceſſionem Petri tenere contendit, " agit, quod eo jamtum ævo in reprehenſionem venit. Jamtum enim *ſub* " *obtentu cathedræ Petri* a Rom. Pontificibus amplius aliquid prætenſum eſt " juris, quam ab aliis Eccleſiis & digniſſimis illarum Rectoribus agnitum " conceſſumque fuerit. Quis Epiſcopum Epiſcoporum Papam conſtituit?

" Ha-

" Habet omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium " proprium; judicari ab alio non potest, cum nec ipse possit alterum judi- " care. Hæc, inquam, respondebunt illi: sic eludent, sic contemnent, & auctore quidem non alio, quam eodem, qui Primatus se jactat vindicem, JUSTINO FEBRONIO. Est enim hujus præclarus atque elegans ille commentarius de primorum Pontificum arrogantia: nec CYPRIANI modo is dictum ad STEPHANUM invidiose transtulit (quamvis falso hoc quidem, ut ostendam postea) sed laudavit, commendavit, illustravit, & characterum etiam, ut solet, adhibito discrimine inculcata hæc voluit Lectori, *Cyprianum non tantum justitiæ, sed quam maxime* POTESTATIS *in Stephano defectum incusare, dum quærit* (quasi si quæsierit) *quis eum* EPISCOPUM EPISCOPORUM *constituerit*, id est, *talem*, *qui valeat Episcopis* PRÆCIPERE. (50)

Ecquid faciet igitur Pontifex? Excommunicationem comminabitur? Pro piaculum! scelus! facinus! quæ est enim ista justitia? sed comminetur tamen, sed infligat: quid tum istud mali erit? subtrahet ille literas suas: hæc enim tota est ratio excommunicandi JUSTINO FEBRONIO. (51) Neque coercitionis aut pœnæ alicujus vim literarum ea habebit recusatio: siquidem pœnam infligere, qui jurisdictione & præcipiendi destitutus est facultate, non potest. Faciet igitur, quod quivis alius in quemcunque etiam non subditum sibi Episcopum potest Episcopus, ut a communione se illius abstineat. Nam FEBRONII est ea rursum, deque instituto & planissimis explanata verbis doctrina. (52)

Ex qua fit consequens, cum vindictam hujuscemodi aut intentant aut sumunt Rom. Pontifices, non eam pluris, quam quanti ratio cuique sua faciendam persuaserit, debere fieri. Quemadmodum quod sub stylum ita cadit exemplum, cum EPIPHANIUS Constantinopolim Salamina veniens & existimatione imbutus falsa, ab CHRYSOSTOMO & Ecclesia se illius sejunxit; poterat CHRYSOSTOMUS, quanti vellet, secessionem hanc ducere: neque minus idcirco aut Episcopus aut sanctus erat, quod collegam hospitem habere non posset.

III. Atque utne schismatis quempiam periculum, aut labes moveat; est etiam huic præclare cautum ab Jurisconsulto. Negat periculum esse: quid ita vero? quoniam schismatis non est accusandus, qui ei, a quo im-

e e e 2 perari

(50) Tom. I. Cap. VI. §. IX. p. 441. (51) Cap. III. §. I. (52) Ibid. p. 169.

perari ſibi non poteſt, non obtemperat. Non eſt autem *Epiſcopus Epiſcoporum* Romanus Antiſtes, nec poteſt præcipere. Quocirca cum hanc arrogat ſibi præter jus omne, ac fas poteſtatem; deflectit ad ſe ſe totam invidiam, atque id ei dicetur, quod a FIRMILIANO dictum STEPHANO Jurisconſultus laudat: *Excidiſti te ipſum, nolite fallere. Siquidem ille eſt vere Schiſmaticus, qui ſe a Communione Eccleſiaſticæ unitatis apoſtatam fceerit*; non qui ſententiæ inhæret ſuæ, ſic, ut vim nemini inferat, *patienterque ac leniter charitatem ſervet animi, honorem Collegii, dilectionis vinculum, concordiam Sacerdotii.* Quæ CYPRIANI ad JUBAJANUM ſunt verba. Et commendat exemplum iſtud FEBRONIUS, ubi docet, *nec invidiam ſchiſmatis, nec cenſurarum Romanarum fulmina metuenda eſſe.* O præclarum, niſi me omnia fallunt, præſidium unitatis; dignum Hercule, quod non alius, quam JESUS CHRISTUS deſignarit. Scilicet hæc FEBRONIO debemus monſtra: quæ ſi invidioſius a me quiſpiam pingi, contraque ac ille ſenſerit, putet; legat ipſe: Vadimonium obeo; nihil ſcripſi, quod planiſſimis non verbis tradiderit. (53)

IV. Sed pergamus! ſit, qui officii neglecti, ſacrorumque Canonum violatorum reus poſtuletur: quid aget Pontifex? commonebit? decet hoc eum, qui eſt primus *in Societate æqualium*: ſed ut commoneat, non ut imperet. Non enim *Epiſcoporum Epiſcopus* eſt (repetamus hæc) neque *præcipere*, niſi ſubditis tantum ſuis poteſt, id eſt, Romano Clero, populoque. Moneat igitur! ſed conſtat profecto, quantum *monitorem* inter, atque eum, qui cum jurisdictione præeſt, jubendique, ac vetandi poteſtatem habet, interſit: cum obtemperandum ſit huic, ille tantum audiendus. Quid, ſi fruſtra igitur commoneat? quid, ſi *Febronianum* id ei reddatur; æqualis eſſe poteſtatis, ac jurisdictionis omnes Epiſcopos, & *Epiſcopatum unum eſſe in Eccleſia*, cujus adminiſtratio peræque ad ſingulos *pro indiviſa* pertineat? Næ id vero lepidiſſimum, quod provinciali Concilio denuntiandum eſſe, homo perſpicax moneat! quaſi qui jurisdictione caret omni, neque *præcipere* Epiſcopis poteſt, poſſit idem ad Concilium habendum nihilominus Provinciæ Epiſcopos cogere? quæ ſunt pugnantia, & ſe mutuo deſtruunt .... Nunquam igitur fiet Synodus: aut ſi fiat; coibunt ſponte, ac voluntate tantum ſua Epiſcopi; non cauſa Pontificis, niſi forte cum id honori dandum videbitur; quem ſedium ordo, aut qualiſcunque majorum probata uſibus ratio ei conciliavit. Quodſi ut CYPRIANO factum, Pro-

(53) Tom. I. Cap. IX. §. VII. pag. 731. &c.

Provinciarum pars multo potior suo Primati adhærescat, quid? NESTORIUM hominem improbum, atque nefarium Orientales defendebant plerique, & Augustus ipse THEODOSIUS. Idem pro EUTYCHE, DIOSCOROque quid molitus non fuit? quid pro utroque Alexandrini, atque Ægyptii? quid pro semiviro, & prædone PHOTIO BASILIUS? . . Sunt quamplurima hujus generis in vetustate exempla. Quæ si rarius in Occidentem invaserint; jurisdictionis, & obedientiæ fecit nexus, qui caput membris tanquam ex propinquo magis colligabat. Tolle hunc, quid in *Monitore ad unitatem* præsidii? Nisi forte hoc magnum, atque egregium sit, quod generalis etiamnum restet convocanda Synodus, & ad illam adplicare se Monitor, vindictamque ab ea petere suæ contemptæ admonitionis possit? Sed quis convocabit? Scilicet is, qui jurisdictione caret, & cujus despicere omnes jussa possunt, ac posthabere? Hic tot terrarum disjunctos spatiis Episcopos, tantaque in Principum, ac ditionum varietate positos, ac tanto cum sumptu, ac labore excitos Sedibus suis ad Concilium coget? Quis heic conflictum, & ruinam judicii non videt? Dixisset aliquid homo perspicax, si quemadmodum in Venetorum est republica Senatus; sic in Ecclesia Concilium quoddam stabile, ac perpetuum foret: verum hoc etiam pacto in alia incurrisset duo, velut ex charybdi in scyllam, quam evitare nequisset. Nam & Ecclesiam, a qua neglectum tam est præclarum illud, divinumque consilium toto mille, septingentorumque annorum spatio damnasset socordiæ, ac gravissimi sceleris: & hoc uno destruxisset, quod ipse sumpsit, concessitque, ac posuit, *Primatum unitatis causa fuisse institutum a Christo, & hujus centrum, atque apicem in summo Pontifice, & Romana Ecclesia collocatum. . . .* Horum enim neque primum, neque alterum verum foret; sed utrumque falsissimum. Quippe cum in Senatum hoc modo, Conciliumque, quod ita ponitur, fixum, ac stabile universa confluerent, & eo solo necterentur Provinciæ, & Episcopatus: hoc utique solum etiam centrum Christianæ reipublicæ dici deberet: Pontifice vero perinde, ac quovis alio careri posset.

V. Ad summam, quid volumus, aut quam in partem nunc tandem divertimus, Catholicamne? ut & *unam* esse Ecclesiam CHRISTI credamus, & colligendæ, discernendæ, conservandæ hujus unitatis causa designatum a CHRISTO ducem, vexillumque: aut vero inficiamur ista omnia, & cum JURIEO, PUFFENDORFIO, Libertinisque reliquis Ecclesiam stabulum, & colluvionem facimus omnium sectarum? Hoc si postremum; ingemiscam apud me; non autem repetam, quæ contra hanc perniciem, & insanam pestem copiosissime disputavi. Sin primum; profecto nobiscum ipsis

 non

non ſumus, ſi etiamnum, an jurisdictione ſit ille prӕditus Dux aſpectabilis, in quӕſtionem adduci patimur: tam perſpicua ex ſeſe res eſt, & tam parum intelligi ſine jurisdictione veriſſimi, ac proprii nominis poteſt.

Atque huc HIERONYMI ea adduci debet ex dialogo adverſus Luciferianos detrita ſententia: *Eccleſiӕ ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet; cui ſi non quӕdam exors, & ab omnibus eminens detur poteſtas; tot in Eccleſiis efficientur Schiſmata, quot Sacerdotes.* Quӕ ſunt de ſingulis ab eo dicta fidelium, ſacerdotumque cӕtibus. Quanto potius igitur de univerſali; infinitaque propemodum, & ex innumeris conflata cӕtibus Eccleſia, ſiquid ſapimus, dici debent? de qua idem ſic alibi HIERONYMUS: *Inter duodecim unus Petrus eligitur, ut Capite conſtituto, Schiſmatis tollatur occaſio.* Niſi forte minoris eſſe negotii putemus, aut minus ἀδυνατον, Eccleſiarum tot millia ne a ſe diffluant ſeparenturque, ſine imperio, ac jurisdictione facere, quam procurare, ut vel unius Provinciӕ Clerus, ac populus nullius prӕcipuӕ reverentia poteſtatis devinctus, in compage maneat?

Hanc exortem, & ab omnibus eminentem Pontificis Romani poteſtatem tam copioſis ad ſe radiis allapſam vidit vir ӕtate noſtra doctiſſimus, ut probandam argumentis vix eſſe putaverit: adeo colligatam videri illam ex ſeſe cum Primatus inſtituendi fine, ac ſcopo. Qui ſic etiam verbis diſertis: *erat*, inquit, *neceſſe, ut mortuo ſancto Petro princeps in Eccleſia eſſet, qui fidelibus omnibus non ſolum* AUCTORITATE SUADENDI (audiat hoc, glorieturque deinceps probari Vindobonӕ ſuas ineptias ὁ θηρολεκτης argutiarumque, & vocabulorum legulus) *non auctoritate*, inquit; *ſuadendi, ſed etiam* JUBENDI POTESTATE *prӕeſſet, & diſſenſiones dirimeret.* Tum inferius: *eſt autem poteſtas clavium S. Petri ſucceſſoribus a Chriſto tradita amplior, quam ut anguſtis Conciliorum limitibus coarctari queat; Poſcit enim Eccleſiӕ per univerſum orbem diſperſӕ natura, & indoles, ac unitatis in Cathedra Petri tanquam centro ſtabilitӕ, ac perpetuo conſervandӕ nexus, & ratio, ut detur poteſtas regendi Eccleſiam ſine Conciliorum ambagibus exercenda.* (54) Quamobrem, ut, quod res eſt, concludam, ac dicam libere: nimis profecto plumbea Pacificatoris noſtri ſubtilitas iſta fuit, cum, ut ne nihil rei catholicӕ detuliſſe videri poſſet, aſſeverare utrumque cum catholicis non dubitavit, & primatum eſſe in Eccleſia non humano, ſed divino

(54) Cl. Riegger Introd. in Jus Eccleſ. pag. 21. ſeqq.

vino constitutum consilio, & hujus causam instituendi unitatem fuisse, compagemque corporis. Sed ego, tametsi per Deum, ac divos cœlites juret, adseverari a se ista serio, non credam, nec mihi eripi, quod LIPSIENSES de eo eruditi scripserunt, patiar. Scripserunt autem: cum de plerisque haud difficulter secum conveniat: retinuisse tamen nonnulla, quæ Pontificiam superstitionem videantur sapere: sed dixisse plura fortassis, de quibus liberius *cogitare duxerit, quam scribere*, *memorem parœmiæ, rara temporum felicitas. ubi scribere, quæ velis, & quæ sentias, dicere liceat*: hoc est, cum pessima dixerit, deteriora animo occuluisse. Quod ut tam præfracte, ac confidenter pronuntiare non verear, facit non mendax solum a me hominis comperta indoles, de qua est Tullii istud vulgatum, *qui mentiri solent, pejerare & illos consuesse*: sed ea res maxime, quod, quemadmodum includi in eodem animo tam pugnantes possint, contrariæque sententiæ, minime adsequar. *Primatus*! *Primatus* non ab homine, sed a CHRISTO manans, qui nihil, nisi quod magnum, atque præcipuum & auctore dignum se, sapientiaque sua in Ecclesiam contulit: *Primatus* UNITATIS constitutus bono: quod est, ut in corpus Ecclesiæ singulæ tanquam ex articulis majora membra concedant, secernaturque hac ex ipsa compage, & membrorum atque capitis inter se nexu Dei civitas: hujusmodi, inquam, Primatus, sed inermis, sed vacuus, sed jubendi, coercendique destitutus potestate: Bone Deus, quam turpe, quam immane monstrum!

VI. Venit in mentem heic mihi, quod a MELANCHTONE esse scriptum reperio in epistola quadam de Ecclesiæ dissensionibus anno MDXXXV, quam refert Gallice BOSSUETIUS in quinto libro *Historiæ variationum*. (55) Latine vero JACOBUS GORDON Controversia secunda de Ecclesia. (56)

Quod ad articulum, inquit, *attinet de superioritate Pontificia, & Episcoporum auctoritate, non est dissensio, & facile possunt retinere auctoritatem suam Romanus Pontifex, & cæteri Episcopi, & ut maxime si nulli essent Episcopi, tamen creari tales oporteret. Prodesset etiam Monarchia R. Pontificis, ut doctrinæ consensus retineretur in multis communitatibus.* Idem MELANCHTON cum in conventu *Smalcaldico* disceptaretur ab ejus sectæ theologis, an Concilio, quod Romanus Pontifex suis auspiciis convocasset, acquiescendum foret? acquiescendum omnino esse respondit: alioquin

(55) *Variat.* L. V. N. XIV. pag. 203. (56) Cap. 24.

quin finem ſchismatis ſperari non poſſe, ſed *æternas fore factiones*: quamvis, quod in Lutheri, ſuorumque addebat gratiam, *Eccleſiaſtico* duntaxat *jure* non divino Romanis Pontificibus iſta conveniant. (57) *Malum!* exclamat Bossuetius. *Primatum igitur, quem experientia edoctus, vidit tam eſſe neceſſarium Eccleſiæ, non digniſſimum hunc item vidit, quem per ſeſe* Christus, *præceptoque & auctoritate ſua ſtabilierit? Neque hoc etiam advertit, rem, quæ quovis ſæculo obſervata in Eccleſia fuit, non aliunde, quam ab auctore, fundatoreque* Christo *provenire poſſe?* (58) Quæ ſunt aptiſſime ab immortali hoc viro dicta: ſed nos iisdem, mutatisque paucis Febronium premimus; & valentius quidem hunc, quoniam ut eſt larva ſaltem ab illo adſumpta, fatetur divinam eſſe Primatus originem. Quare faciamus, quod finxit, verum eſſe, & a Christo non niſi adumbratio ſit facta quædam alicujus Primatus, ſed inermis, ac nudi: quid? Eccleſia ipſa ſiquidem majeſtatem ſuſtinere corporis, reique publicæ in Conciliorum tanta difficultate vellet, an non uſu ſaltem, experientiaque adacta jurisdictionem adjiceret? Non jubendi, quæ in commune proſint, poteſtatem? non puniendi, coercendique jus? puniendi, inquam; quod literarum non ſit interrupto commercio, quæ res ſperni ſecure poteſt, ſed pœnis veriſſimis, & quarum eſt metus ad continendos in officio homines idoneus.

Jam & de legibus appoſite eſt illud a Cicerone dictum, in unius boni, ac juſti viri quaſi locum eas, ac vicem eſſe ſubſtitutas, inventasque, ut *cum omnibus ſemper una, atque eadem voce loquantur*: Huic autem, quid tam inimicum eſſe poteſt, quam multitudo interpretum, & arbitrorum? Quare minime dubitandum, quin eſt Eccleſia neceſſitate, fatoque ipſo compulſa rerum humanarum, ſuos uni potiſſimum tuendos, ac defendendos Canones, relaxandosque moderate, ac ſobrie, & divinam ipſam cum auctoritate interpretandam legem creditura eſſet: ne ſi ſingulis permitteret Epiſcopis omnia, hi quo plures ſunt, eo & vulnera fierent legum frequentiora, & diſciplina contemptior. Qua in re Febronianorum eſt profecto Philoſophia ridicula. Negant iſta omnia in unius poteſtate eſſe oportere:

(57) *Variat.* l. c. N. XXV. ſeq.

(58) Ib. N. XXVII. p. 207. Malheureux de ne pas voir qu'une Primauté, que l'experience lui montroit ſi neceſſaire a l'Egliſe, meritoit bien d'être inſtituée par Jeſus-Chriſt, & que d'ailleurs une choſe, qu'on trouve établie dans tout les ſiécles, ne pouvoit venir que de lui!

tere: quid ita vero? quoniam deceptoribus, inquiunt, & circumventioni patet. Atqui ὦ τυφλοί? non videtis, quo ipsi plures in Ecclesia summos, æqualesque facitis, eo & deceptores induci plures a vobis, occasionesque, & spatia circumveniendi? Habet hoc etiam potestas unius, quod cum omnium in eum conversi, intentique sunt oculi; tametsi optimus alioquin ipse non foret, verecundia certe retineatur, ne in publicum malus sit. Præsertim cum *Principes* iidem sunt, quibus præest, quos neque servos potest facere, neque sic unquam contemnere, ut non querelis eorum, cum justæ sunt, moveatur. Ea vero res diligentiam profecto exacuet. Quare & florem sibi circumdabit virorum prudentum, ac doctissimorum, & in ipsis optimis suspectos habere non desinet. Quodsi nihilominus, ut est conditio rerum humanarum, circumventioni præcludi aditus omnis non potest: quæso in æqualium tam ingenti multitudine sperare hoc quisquam volet, & sanus erit? Heic enimvero nihil gratiæ, nihil ministris, nihil adulatoribus dabitur? nec id unquam, immo non frequenter, ac multo sæpius continget, quod in *ludo Nævii* apud CICERONEM, ubi percontanti, ecquei respublica amissa esset tam cito? respondetur: *Proveniebant Oratores novi, stulti, adolescentuli?* Quod genus hominum, tametsi centussim sæpe vix teneat eruditionis gravis, ac solidæ: est præ hydrargyro tamen lubricissimum, penetratque, atque insidet Majorum haud raro sic animis, ut expelli non possit.

VII. Habe aliud. Dixi: Et quis ignorat Catholicorum, esse duplicem a Deo constitutam potestatem, alteram *sacram*, quæ est simplex, & una terrarum toto orbe, sicut regnum, Ecclesiaque CHRISTI; alteram *civilem*, quæ varia ac multiplex esse potest pro civilium administrationum communitatumque, principatuum ac regnorum discrimine. Harum *quælibet* (Verba Galliæ sunt præsulum in comitiis anno MDCCLXV. habitis) *Liberrima jurisdictione res ordinat suas; quælibet ex se auxilia & vires habet.* Cumque ita sint ambæ discretæ, ut *nullæ naturæ aut ingenii dotes, nulla solertia aut in rebus agendis usus, neque ulla dignitas hominem sacris non initiatum satis aptum ad causas Ecclesiasticas dijudicandas faciant*: tum sunt ita vero eodem quasi contubernio & habitatione conjunctæ; ut qui in Ecclesiæ gerendis rebus sunt *principes*, sint in aliis *subditi*: ita enim a S. PETRO commendatum est: *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum; sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis.*

Age nunc vero! in semetipsum volo quisque ingrediatur, quodque animus cuique suus ac ratio dictura est, huic auscultet. Quid? tueri hanc illi

divinitus acceptam poteſtatem in regnorum rerumque publicarum ac magiſtratuum tam inſigni varietate ac multitudine, tot inter converſiones ac caſus, & terrarum tantis ſpatiis diviſi ſe ſolis poterunt? Non credo: nec enim adſequor, ac capiam quidvis potius. Quare quod PUFFENDORFFIANÆ ferre labes non poſſunt; nos autem Catholicum, indubitatumque eſſe ſæpe monuimus, omnino ut in *corpus* univerſi concederent, neceſſarium fuit: idque & copulatum tam arctis nexibus eſſe oportuit, ac ſtare ita per ſe, velut ſi extra regna ac ditiones omnes poſiti, alicubi ſoli degerent, indidemque tanquam ex proprio ac ſublimi loco præſcriberent.

Jam id vero ablato reſciſſove capite, qua fieri ratione poteſt? ablato, inquam: tantundem enim, qui *juriſdictione* nudant, faciunt. Atque hoc eſt, quod doceri ab hominibus acutis debeo: ſum enim, quo neſcio fato meo, ad intelligendas res adeo magnas ſtupidior. Quodſi, quas quidem arbitrabar hactenus habere me, ſcintillas paucas intueor ingenii, intelligentiæque communis; puto non juriſdictione modo heic opus eſſe, verum ampliſſima & ſumma quadam: atque adeo in unum univerſos incumbere, *concentratam*que, ut ita loquar, & collectam in eo vim, poteſtatem, auctoritatem, juriſdictionemque eſſe omnium oportere. Id niſi fiat, neque poteſtas ſtare ſacra, quin opprimatur, neque Eccleſia ipſa poteſt.

VIII. Quanquam non me latet, quid magnæ mentes, quo me temere iſta probent metuere, excogitaturæ ſint. Faciet cum ſuis FEBRONIUS, quod in quavis hodie diſciplina innumeri: qui mihi aptiſſime *projectorum* ſumpſiſſe nomen videntur, quod in ventum fere ſua projiciant. Sed dicam de his in tertio Libro: nunc Evangelii ero contentus ſententia: *omne regnum in ſe diviſum deſolabitur*; dein experientia uſuque ipſo: quæ ſane duo, ſi quid ſobrie ſapimus, valere pluſculum apud nos debent, quam pollicitationes & deliramenta ſtultorum. Atque primum hoc ſit, quod ex eruditiſſimo & perantiquo illo ſumimus BARLAAMO, cujus eſt ſupra jam facta mentio. Qui cum eſſet Græcus natione, & interrogaretur a ſuis, ecquid Latinæ potius, quam Orientali adhæreſcendum Eccleſiæ foret, atque utra ſchiſmatis, poſtquam divortium ambæ fecerant, inſimulanda? nihil dubitavit, ſecundum Latinam ferre ſententiam, rationemque ab effectis & conſequentibus hanc dedit: quod Divina providentia eorum, quæ in univerſo hoc efficit, inordinatum eſſe nihil patiatur. *Jam hujus quidem gentis*, inquit, *univerſa multitudo ſub uno eſt ordinata principio, Eccleſia videlicet Romana & ejus præſule, quem omnes honorant ac metuunt tanquam ab ipſo Domino Chriſto ordinatum, & in terris ut gerat vices ejus conſtitutum.*

tum. Itaque mandata illius cum omni reverentia omnes recipiunt. Et ipſe cum ea, quæ eſt circum ſe, Synodo, cum grandi auctoritate, & poteſtate corrigit omnia, retractat, confirmat, irritat, ſtatuit, inhibet. ═══ Cujus rei hunc eſſe fructum, ibidem ſtatuit, ut nihil ordinate & ex norma legum non fiat. Ab Epiſcopis procurari populum: horum commune eſſe cum Metropolitis Imperium atque conſilium: univerſos, totamque machinam a motore uno impelli ac regi.

Sed apud Græcos nihil non turpe, nihil turbatum non eſſe: haberi legem iſtheic in ſingulis potentiorum licentiam & voluntatem: & iſtorum, ut eſt ſua ad prudentiam & bonitatem cuique ratio, ſic & mores eſſe comparatos ſubditorum. Inde canonum neglectum; inde ignorantiam. Et cum ſex ſint, qui Orientis illas Eccleſias inter ſe dividant; horum neminem poteſtatem revereri velle alterius; ita, ut maxime opus foret, ne poſſe quidem eos generali Concilio medicinam morbis facere, cum is deſit, qui Concilium cum poteſtate convocet. (59) Quæ cum de ſua jam tum ætate vir ille doctiſſimus ſcripſerit; tum ætas conſequens longe veriſſima eſſe comprobavit. Sumamus alterum, ſed ex Europa & Germaniæ viſceribus.

Poſtquam ab *Lutheranis Calvinianis*que in partes itum, excuſſoque, quæ etiam FEBRONII vox eſt, jugo Pontificis, & tyrannide, quæ erat nuſpiam in natura rerum, declinata, quem illi fructum, amabo, diſceſſionis ſuæ collegerunt? dicam non meis verbis, ſed eorum, qui præſtantiſſimi inter eos habentur. Quorum e numero MOSHEMIUS, & FROEREISENIUS. Qui poſterior cum tertium academicos faſces Argentorati caperet; hac eſt lugubri oratione ruinam Eccleſiæ ſuæ proſecutus. "Eſſe vermi, ait, ſimillimam, qui cum in partes ſcinditur, conituntur & laborant eæ quidem, " ut morti obſiſtant, ſed ſervari non poſſunt: contemni Miniſtros verbi, " & inedia confici. In parœmiam quaſi tranſiſſe: *licere quod libet*: feminaſque ipſas, ſi quem agellum forte & glebam jure mancipi habeant, poteſtatem habere una religionis miniſtrorumque. Id juriſprudentes ſuos " docere. Horum alios *Carpzovianos*, alios *Hobbeſianos*, *Thomaſianos*, " *Titianos*, *Bœhmerianos* eſſe. Omnium finem hunc eſſe ac ſcopum, nihil ut non Principi tribuant, Apoſtolicasque ipſas & Divinas leges ei ſubjiciant." (60)

 Non

(59) Caniſ. Lect. Antiq. Tom. IV. pag. 5. ſeqq.
(60) Refert integram, ac verbis Auctoris Cl. DESSIN in Larva detracta. p. 221.

Non perinde eſt quidem vehemens, ſatis clara tamen DODWELLI Angli ſcriptoris vox de afflicto Eccleſiarum ſuarum ſtatu. Atque ita quod ab initio non ſenſerunt, ſentiunt nunc demum rebus perditis ac deſperatis. (61) Eſt autem cauſa a M. BOSSUETIO iis expoſita in X. variationum Libro; ubi poſtquam omnia, ut erant, deſcripſerat, ſic demum perorat. " Obliti " inſtitutorum veterum Eccleſiarum ſuarum, *obliti* CAPITIS, *quod JEſus Chriſtus iis providerat*, adſumptisque, quos ille neutiquam ad hunc " finem conſtituit, Principibus ſuis, qui rem Eccleſiæ cum ſuprema pote- " ſtate gererent : quo devenerunt? eo abjecti ſunt, nulla ut deinceps Ec- " cleſiaſtica functio, ac ne illæ quidem, quæ prædicationem, cenſuram, " liturgiam, Sacramenta, fidemque ipſam concernunt, in Anglia vires " habeant, niſi adprobatæ corroboratæque a Regibus fuerint. (62)

Querelæ haud valde diſſimiles apud MOSHEMIUM legi poſſunt. (63) Et ut tacuiſſent illi domeſticum dedecus, nec dolor voces expreſſiſſet; res in conſpectu ac plena luce ſic poſita eſt, ut diſſimulari non poſſit. Quanquam longe minus, meo judicio dixerunt. Addant licentiam ſane ſcribendi ſentiendique effrenem inauditamque illam, in quam conjecti ſumus. Addant *Lucianos*, *Machiavellos*que : quorum numerus tam eſt ingens & inauditus, ut quocunque pedem figas, in monſtra hæc incidas : deprecandusque de re una jam eſſe Deus videatur optimus maximus, ne in plebem opicoſque & ruſticanos homines ea peſtis prorepat. Addant *Atheos*, *Deiſtas*, *Materialiſtas*, *Libertinos*, & quæ ſimilia ab orci excreta furiis καθαρματα ſunt atque portenta : & in quos cum Majores quidem noſtri ferro ac flammis animadvertiſſent, nunc honores conferuntur : *impleveruntque*, ut Tertulliani huc illud traducam, *urbes*, *inſulas*, *caſtella*, *municipia*, *caſtra ipſa*, *tribus*, *decurias*, *palatium*, *ſenatum*, *forum* : *cui bello non illi idonei*, *cujus non prompti*, poſtquam Deo virtutique indixerunt? Addant (hæc enim ſumma malorum eſt) addant ſcriptionum, ſchediaſmaton, librorumque peſtilentium ac ſceleratiſſimorum diluvium : quo ſic eſt Europa, Germaniaque inundata, ut infernus eſſe loco motus videatur, & omnes dæmones ducendo prælo occupari.

Hæc

(61) DODWELLUS de nup. ſchiſ. Ang. N. 5.

(62) Lib. X. *Variat.* præſertim a N. VII. ad XVIII. C'eſt ainſi qu'en oubliant avec les anciennes Inſtitutions de leur Egliſe le chef que J.-C. leur avoit donné, & ſe donnant eux memes pour Chefs leur Princes que J.-C. n'avoit pas établis pour cette fin, 'ils ſe ſont de telle ſorte ravilis, que nul act Eccléſiaſtique, pas meme ceux, qui régardent la prédication, les cenſures, la liturgie, les Sacrements, & la foi meme n'a de force en Angleterre qu'autant qu'il eſt approuvé & validé par les Rois.

(63) Apud Cl. ZALWEIN Tom. I. p. 69.

Hæc enim unde nata esse putabimus? malitia hominum? non nego: a bono enim, ut est hujusmodi, quid unquam mali prodiit? dicam paucis, sed ut omnes intelligant. Posteaquam a Pontifice, id est, a sacerdotali corpore & unitate communis fidei discessum est: vacillare, fluctuare, labi omnia. Nunquam finis altercandi, pugnandi, variandi. Ita cum firmo pede inter suos stare multi non possent; atque alios interim pudor, alios vis, alios hæreditas, alios principum retineret a reditu gratia; quid facerent, ut conscientiæ vim atque morsum declinarent? Accedebat, quod ex duabus, aut cum illis certe, quas *toleratas* vulgo dicimus, infinita erigeret sese passim variarum sectarum colluvies. Queis qui adhærebant, cum homines essent industrii, & implerent provincias, urbes, oppida; an abigendi & in terras solas deportandi? Quanto ærarii, quanto militiæ dispendio? Tolerandi igitur, fovendi, trahendi erant. Et ejus rei ut esset color aliquis, id primo excogitatum, sufficere, quod de *primariis & fundamentalibus* articulis fidei dissensio non esset. - - - - Quid ita viri? De fundamentalibus non erat dissensio, cum id maxime quæreretur; an peccato originis nascamur infecti; an tollendi & expiandi hujus criminis causa Deus homo factus sit? an quod inde fit consequens, Verbum Deus sit, Deusque adeo cum sit unus natura; personis subsistat tribus? an mortem pro omnibus incarnatus ille Deus subierit? an carnem ac sanguinem suum manducanda hominibus dederit? Videbant cladem: quid agerent? Ergo hoc est arreptum: satis esse professionem Christiani nominis: Philosophum fuisse JESUM Christum: hunc ab Deo missum, ut hominem sibi ac rationem homini restitueret; esse mores igitur illius decerpendos; cetera in adiaphoris relinquenda esse. O præclarum inventum! sed enim, optimi! quæ in adiaphoris relinquenda vos esse dicitis, adfirmavit ille singula, & multis docuit. Quod si negatis; næ vos hoc saltem non negabitis, fuisse sic eum locutum, ut si verbis stetur, si contentio, si pervicacia, si quæsita subtilitas absit, explicari quæ est locutus, & intelligi aliter vix possint. Quare aut in indifferentibus habenda ea non sunt; aut impostor ille philosophus fuit: non enim in Deum tam perplexa potest cadere & ad decipiendos & vexandos homines comparata locutio. Heic jam quid consilii? Vincatur pudor: prorsus sic est, impostor fuit, magnus impostor, sed philosophus. - - - Non arbitror, quemadmodum longius progressi post ista fuerint, providentiamque aut Deum ipsum tandem sustulerint, exponi pluribus a me debere. Est enim TULLII sententia nota: *Qui modum vitio quærit, similiter eum facere, ut si posse putet eum, qui se e Leucade præcipitaverit, sustinere se cum velit. Ut enim id non potest, sic animum incitatum nec cohibere se posse, nec quo loco vult, insistere omnino.* Id magis quærendum, & est ad rem nostram pro-

pinquius, ut propagari tam nefanda pernicies potuerit? cujus rei in promptu est ratio. Nam quis obsisteret furori? aut librorum quis torrentem compesceret? qui evangelium procurant inter suos? Sed ut *monendi* habeant illi fortassis ac tonandi qualiscunque reliquias auctoritatis; potestatem quidem non habent ullam, sed est ut populus, sic sacerdos. *Ejus autem religio est, cujus est regio.* Qui cum sint plurimi, tum rationibus fere suis ducuntur, ac sunt hominibus sæpe circumdati nefariis, impiis, sordidis, ex lutoque & argilla factis. - - Quare & Catholicis id erat necesse accidere, quod iis urbibus ac pagis solet, quorum vicinia paret pluribus. Sunt enim furtis ac latrociniis expositi, & commeantis ultro citroque sceleris ludibrium. Heinc illæ lacrymæ.

Sed quorsum hæc ego disputem, quæret aliquis. Eo, ut, quod me ex usu experientiaque ipsa ostensurum esse pollicebar, illud ostenderem, ecclesiam nec sine *capite*, nec sine *jurisdictione* quadam eminenti atque præcipua hujus capitis stare posse. Da utrumque: & Episcopos, Episcopalemque una potestatem, hierachiam, fidem, religionem, regnaque omnia atque respublicas conservasti: tolle; omnia sustulisti. Neque vero de nihilo id esse putem, quod conspirationis alicujus non ita antiquæ duces fecisse legimus. Qui cum religionem omnem in animo haberent pessumdare; sunt in id primam stipulati operam, ut Ecclesiæ caput, tum episcopos, atque sacerdotalem exinde omnem gradum ac ordinem e mundo tollerent. Quod quam impigre solerterque ab annis centum & pluribus præstiterint; potest is solus ignorare, qui nihil scit, aut cujus interest, non ea scisse videri. Quid dicam? Præsulum Galliæ sapientissimum est monitum, *cavendas esse deceptorum insidias, quorum est vox, inter fabulas & inanes metus reponenda incommoda ex oppressione nascitura sacræ potestatis.* (64) Idem de Pontificis ego contendo potestate, idem affirmo. In quo si fallor, experientia fallor victus, & libenter fallor. Nolo enim insanus videri qualis est, qui abscissione capitis mederi morbis voluit: quo nihil stolidius est genere curationis: & ut probabilitatis aliquid habuisset, si nunquam tentatum esset; certe postquam experti, quale sit, fuimus, probare, si nobis ratio ac mens est, non debemus, non possumus.

Prophetæ nostri viderunt nobis falsa & stulta.
Vere mendacium operatus est stulus mendax eorum.

§. V.

(64) In Comit. 1765.

§. V.

Statuitur generatim, cujuſmodi ſit illa R. P. Juriſdictio. Reſpondetur exemplis quibuſdam a FEBRONIO objectis.

I. Requiret nunc quaſi pro auctoritate ſua a me FEBRONIUS, ut quoniam juriſdictionis eſſe vacuum Primatum non patior, dicam candide & explicate, qualem atque quantam eſſe illam velim? infinitamne, an vero finibus ſuis conſtrictam? & hanc ipſam quibus rebus deſcribi, continerique putem? Ego tamen nec neceſſitatem mihi injici patiar, FEBRONIANO exemplo turbandi, miſcendique omnia, nihil ut a me apte & ordinate collocari poſſit; neque, quo velim ordine ſcribere, quove loco aut modo, auferri libertatem. Intelliget per decurſum librorum meorum, quid ſentiam; immovero quid omnes pii ac boni ſentire debeant. Hanc interim velut promulſidem habeat dicendorum: ſtatuere me, quod ſæpe monui, non eſſe famulos Pontificis Epiſcopos, ſed Eccleſiarum ab ipſo CHRISTO conſtitutos veri nominis Principes. Quare ut de dignitate atque gradu ſuo eos dejicere nemo hominum pro arbitrio poteſt: ſic neque Pontificis eſt, poteſtate illos exuere, quæ neceſſaria illis eſt ad Eccleſiarum ſuarum regimen: atque adeo qua ſublata difficile, moleſtumque hoc iis redderetur. Hi fines ſunt. De cætero VALENTINIANI Auguſti iſtud obtineat: *tunc Eccleſiarum pax ubique ſervabitur, ſi rectorem ſuum agnoſcat Univerſitas.* (65) Illud COELESTINI præſtantiſſimi, ſanctiſſimique Pontificis: *in ſpeculis a Deo conſtituti, ut vigilantiæ noſtræ diligentiam comprobantes, & quæ coercenda ſunt reſecemus, & quæ obſervanda ſunt ſanciamus.* (66) Illud S. LEONIS: *Quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores; omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus.* (67) Illud S. MAXIMI Scriptoris Græci, Martyris ac viri doctiſſimi: *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ beatiſſimus Papa, id eſt, Apoſtolica Sedes ab ipſo Incarnato Dei Verbo, ſed & ab omnibus ſanctis Synodis ſecundum ſacros Canones, univerſarum, quæ in toto terrarum orbe ſunt, ſanctarum Dei Eccleſiarum in omnibus & per omnia percepit, & habet imperium, auctoritatem, & poteſtatem ligandi*

atque

(65) Novell. de Epiſ. ord.
(66) Tom. I. Conſt. Col. 1066.
(67) Serm. III. de ſua aſſump.

atque ſolvendi. (68) Illud, quod Eccleſia profitebatur, cum in publicis ad Deum precibus patiebatur de ſe dici: *Quæ te diſpenſante devota obſequitur, quidquid Sedes illa cenſuerit, quam tenere voluiſti totius Eccleſiæ principatum.* (69) Illud denique, ne ſim nolens prolixior, quod LATERANENSIS edixit Oecumenica Synodus: *Romana Eccleſia, diſponente Domino, ſuper omnes alias, ordinariæ poteſtatis obtinet Principatum.* (70) Hæc volo ſatis eſſe in Præſens FEBRONIO. Ut evolvantur autem a me poſtea; niſi plane impatiens ſit, expectare dignabitur.

II. Sed an igitur Leges ferre Pontifex poterit? Poteſt. Leges novas? Novas. Animadvertere in refractarios? animadvertere. Solus? Dixi, non eſſe id loci hujus. At inſtat tamen ille, nec ceſſabit? Accipio. Verum quoniam ſemel apud me ſtatui, nulli Scholæ, nec viris bonis facere præjudicium, ſed pugnare tanquam ex ora Catholici portus, adverſus fluctus & alliſiones turbati & æſtuantis iſtius ingenii: primum ipſe mihi edicat JURISCONSULTUS, an pro ſophiſmate etiamnum, & indignum reſponſo habeat illud, quod *Heidelbergenſis* ei Profeſſor objecerat, vir juvenis, ut ipſe quidem criminatur, ſed meo judicio & eruditiſſimus & gravis?

Sic ille in inſtitutionibus ſuis: " FEBRONIUS proponi a Pontifice poſſe " leges concedit, ſed quas Epiſcopi non niſi ob intrinſecam earum æquita- " tem, ſi bono Religionis & diſciplinæ Eccleſiaſticæ proficuas agnoverint, " acceptare teneantur. Verum an æquitas illa per ſe obligat, vel ut pro- " poſita a Pontifice? ſi prius, jam non erit res meræ diſciplinæ, de qua " heic quæritur præcipue: ſi alterum, jam eo ipſo hæc poteſtas Pontifici " competat neceſſe eſt." Hæc viri Clariſſimi diſputatio ſi in ſophiſmatum habenda numero, ſi ridenda, & reſponſo indigna eſt; fateor, nunquam me Logicam didiciſſe. Sed forte ſenex ſententiam juvenis non intellexit? Patiar. Ut ergo intelligat: poteſt æqualis, ecce, & cujus neque jurisdictio neque auctoritas eſt ulla in æqualem, id, quod eſt factu optimum, conſentaneumve æquitati, aut neceſſarium, faciendum proponere. Negligat, reſpuatque nunc is, cui proponitur. Peccabit ille quidem in leges prudentiæ, immo vero, ut eſt res, de qua agitur, in virtutem aliam: in obedientiam, quam nullam debet, non peccabit. Quodſi qui proponit, ſuperior ſit idem, & jurisdictione præditus; tametſi abſoluta hæc minime

ſit

(68) In epiſt. ad Petrum Illuſ. apud Sirmond. Tom. IV. p. 66.
(69) Sacram Leon. Col. 337. Edit. Murat.
(70) Cap. V.

ſit, atque is, cui proponitur, diſcutiendi, ponderandique apud ſe omnia, jus habeat: in æquitatem non modo peccabitur, ac ſcita prudentiæ, dum, quam eſſe juſtam quis intelligit, non admittit legem, ſed in obedientiam quoque. Id ut ad rem noſtram ducamus, poteſt paucis ſic dici: Epiſcopi, ut ſunt Eccleſiæ principes, ſimul & *ferunt legem* una cum Pontifice, dum pro æquitate utilitateque ejus illam acceptant, & acceptando, cum intercedere ex juſta cauſa non poſſunt, *legi obediunt*. Atque huc trahi mutatis pauciſſimis illud poteſt, quod in Remenſi ſynodo ſic eſt pronuntiatum ab Epiſcopis Galliæ: *Certum & traditione firmatum eſt omnium ſæculorum, cum ad primæ ſedis judicium ſe adjungunt Epiſcopi; conſenſum hunc & obedientiæ eſſe actum erga ſanctam ſedem, & auctoritatis ſimul atque judicii.* (71) Quam quidem obedientiam non probro, ſed gloriæ ſibi vertebat Magnus Boſſuetius. *Omnes his*, inquit, *clavibus ſubjecti ſumus, omnes, F. C. Paſtores & greges. Cum gaudio id denuntio. Amo enim unanimitatem, & obedientiam meam mihi gloriæ verto.* (72) Nempe, ut eſt in Comitiis Cleri Gallicani anno MDCC., *unus eſt primus Epiſcopus, unus exiſtit Petrus ad totum gregem regendum a Chriſto præpoſitus, una eſt mater cæterarum Eccleſia, ad illas omnes docendas conſtituta.* (73) Et adverſus hæc vani & futiles ſunt conatus omnes FEBRONII.

Reſtat exemplis nunc quibusdam a FEBRONIO & Janſeniſta prolatis in medium, quantum eſt loci hujus, reſpondeam breviter. Quorum hoc primum eſt, quod ab IRENÆO ſumunt. —— Hunc enim inquiunt, cum VICTOR Aſiaticos a communione Eccleſiæ reſcidiſſet, quod cum Judæis paſcha celebrarent, CONDEMNASSE non ſolum palam hoc Pontificis facinus, ac *reprehendiſſe acriter*, ſed in communione quoque eorum perſeveraſſe, quos a ſua hic Pontifex ſegregarat. Qua in narratione mendacia inſunt prorſus duo. Primum enim ubi legerunt, ubi memoriæ proditum eſt, *condemnaſſe* IRENÆUM Pontificis facinus, *condemnaſſeque palam?* Ubi legerunt, ubi memoriæ proditum eſt, *in communione perſeveraſſe cum iis, quos a ſua hic Pontifex ſegregarat?* Non eſt ejus rei veſtigium in vetuſtate; ac neque

(71) Il eſt certain, ſelon la tradition de tous les ſiecles, que le conſentiment des Evêques au jugement du premier ſiege, eſt tout enſemble & un acte d'obeiſſance envers ce ſiége, & un acte d'autorité & de jugement ſous l'autorité principale de ce même ſiege. Habita eſt ſynodus 1699. vid. Memoires du Clergé Tom. 1, p. 450. Vel auctorem libri: de R. P. auctorit. Eccleſ. Gallic. ſententia. Lib. IV. Cap. 1. p. 99.

(72) *In ſermone de unit. Eccleſiæ*, quem laudat Illuſtr. *Sarlat.* in Paſtorali alias nominato. p. lat. vers. 92.

(73) Proceſſ. verbal. an. 1700. pag. 296.

Eusebius neque Epiphanius, nec Hieronymus, neque Photius neque Nicephorus factum literis consignarunt. Est apud Eusebium vero hoc tantum, Victoris sententiam non omnibus placuisse Episcopis, atque inter illos Irenæum, *quanquam ex fratrum, quibus præerat, persona non alio quam Dominico die Resurrectionis celebrandum esse mysterium scriptis literis significaret; auctorem tamen fuisse* Victori, *ne integras Ecclesias ob morem sibi antiquitus traditum a communione* & a Corpore universalis Ecclesiæ *resectos vellet.* Addit exemplum literarum Eusebius; quæ quidem & modestissimæ sunt, & præter ostensionem simplicem, verecundam, observantiæ ac demissionis plenam nihil præseferunt. * Atque sunt, qui cum Henrico Valesio, & Natali Alexandro mitigatum ab Irenæo Victorem putent, neque ultra minas quidpiam deinceps fuisse susceptum. Quodsi verum est; quid quæso ineptius proferri poterat, quam Irenæum in communione cum iis mansisse, quos neque Pontifex segregarat? Sed separaverit, nam id quidem *Epiphanius*, & *Nicephorus*, ut propensum ad veritatem putem, me movent. Ubi traditum est, Irenæum postquam a se flecti vidit Victorem non posse, isque causas ei rescripserat sane justissimas, cur a Sententia abeundum non foret, perrexisse, Victori obstrepere, & in communione cum Orientalibus mansisse? Atqui negat hoc Epiphanius. Est enim diserta hujus testificatio: *Orientales ab Occidentalibus divulsos pacificas a se invicem literas nullas accepisse.* (74)

At enim Polycrates saltem cum suis Victori restitit? Intelligo: sed dividamus quæstionem. Nam aut illud concludi potest, in potestate non fuisse S. Victoris, quicquam aliis præcipere; aut istud, non eum prudenter præcepisse; aut pronuntiari hoc demum simpliciter, Polycraten jubenti & comminanti Pontifici non statim cessisse. Ex his jam tribus quidnam objicitur? Postremum fatemur. Nec vero magis est, cur negemus, quam Græcos *Florentino* Concilio, & Romanæ universalique Ecclesiæ tot inde ab annis jam restitisse. Primumne igitur? Atqui præcepit. Persuadeat autem mihi Febronius, ut credam, virum sanctissimum, atque ætate quidem illa, qua nulla defæcatior, nulla integrior, sumpsisse hoc sibi, ut depre-

* Est apud *Eusebium* quidem hoc scriptum, *Irenæum* πληκτικώτερον, seu quasi pungentis in modum scripsisse Victori. Sed cum exemplum hujus punctionis adlaturus idem Eusebius, non nisi unas adducat Irenæi literas modestissimas, ut dicebam, & in quibus reprehensionis nullum vestigium extat: nescio quo has animo, aut quibus oculis ipse Eusebius legerit.

(74) Ad hæresin Audianorum, quæ est Tom. II. p. 821.

precantibus nequicquam pluribus, communione non unum, alterumve Presbyterum, non Episcopum Urbicarium, βακαντιβον, sed totius Asiæ Minoris Antistites, immovero ἀκεφαλην diœcesin, nec Patriarchatui ad illud tempus subjectam, sine jure, sine potestate sive repelleret, sive repellendam sibi existimaret? Credat, qui volet: Ego quidem, ut est *negata semper sceleribus magnis fides*, tanto minus adducar, ut credam, quanto est certius, extrema huc quæque confluere, ambitionemque non esse, si quæ sit, sed superbiam, sed impudentiam, sed furorem, quo fingi major non possit. Et vero IRENÆI cum extent literæ ad VICTOREM scriptæ; quid est, quod arrogantiam illi & usurpationem non objicit? Consulit, suadet, hortatur, ne *integras Ecclesias* (nam est ita apud EUSEBIUM) *ob morem sibi antiquitus traditum a* CORPORE UNIVERSALIS ECCLESIÆ PENITUS AMPUTET. Sumit igitur, quam VICTOR exerebat, non negat, potestatem. Quid? Si ne POLYCRATES quidem? *Nihil moveor*, inquit, *iis*, *quæ ad terrorem nobis intentantur. Qui enim majores sunt*, *dixerunt*, *obedire oportet Deo magis*, *quam hominibus.* (75)

Quodsi quod alterum e tribus erat, FEBRONIUS obmovet; facit, quod ad rem non est, cum de potestate quæratur, nec est verum, quod dicit. Nisi forte & NICÆNI generalis Concilii Patres, & CONSTANTINUM Augustum accusandos putet? quorum isti rem stata, conceptaque lege sua dignissimam sunt arbitrati; hic copiosissimis, gravissimisque ad omnes provincias missis literis, ut jusso Synodi obtemperarent, mandavit. Non poterat autem ætate VICTORIS cogitari de futura synodo. Ille itaque si occupavit, & pro auctoritate sua id jussit, quod fieri debuit, cur in culpam a minutis & heri natis circulatoribus nostris vocatur? Quodsi in rem propius intueamur; videtur ANICETUS jam tum S. POLYCARPO movisse litem de Paschatis celebratione sub annum CLXXXV. (76) quæ si tum fuit utcunque dimissa; certe acrius instaurari potuit, ex quo BLASTUS causam schismatis sui hanc obtendebat. (77) Atque ut non ista fuisset ratio; nonne satis hoc absonum, unius propemodum Minoris Asiæ Sacerdotes ad Synagogam ita adhærescere, ut neque Romanæ, neque aliarum Ecclesiarum exemplo divelli ab illa possent? Atqui ut est testis nobis locupletissimus CONSTANTINUS ipse non in Italia tantum, urbeque Roma, sed in Africa quoque, in Ægypto, Hispania, Gallia, Libya, universa Græcia, in

 diœ-

(75) Euseb. Lib. V. Cap. 74.
(76) Euseb. Lib. IV. Cap. XIV. Confer Fleurium ad ann. 196.
(77) Euseb. Lib. V. Cap. XIV.

diœcesi Asiatica, & Pontica, in Cilicia denique una pridem, consentiensque quoad Paschatis eam celebritatem a Judaismo fuerat facta secessio.

Neque vero si Apostoli, ad quos POLYCRATES provocabat, Christianis heinc inde ritibus aliquid miscuerint, ne Judæorum a se animos alienarent; factum eo id fuerat, ut sempiternum esset, & immutabili fixum lege: sed ut corroborata indies Ecclesia, & Gentilium auctior numero, paulatim sese ac tanquam ex diluculo ad plenam meridiem erigeret. Atque hæc ultra quam satis erat. Extorsit enim mihi FEBRONII impudentia, qui VICTOREM sanctissimum, & profusione pro CHRISTO sanguinis gloriosum Martyrem, magnumque a rebus gestis Pontificem usurpatæ & arrogatæ potestatis accusavit. (79)

IV. Nec minus in S. STEPHANUM idem impius fuit. Docebat CYPRIANUS CARHAGINENSIUM in Africa Episcopus, baptismo ab hæreticis collato non ablui, sed sordescere magis animam; nec tam Deo, quam Diabolo gigni filios, ac quod inde consequens, altero & veriore tingi baptismate eos oportere, qui ab hæresi ad catholicam fidem rediissent. Non id jam disputo, quo in genere CYPRIANUS, FIRMILIANUSque, ac qui cum utroque erant, Episcopi quæstionem eam posuerint. Senserint sane, quod plerisque nostræ ætatis visum fuit eruditis, & gravibus viris, non ad Religionis, fideique substantiam, sed ad disciplinæ referendam capita: qua de re litem nolo intendere. Illud certum, errore lapsum gravissimo CYPRIANUM una cum suis. Ac STEPHANUS quidem, cum ut VINCENTIUS *Lirinensis* est testis, traditionem opponebat, *nihil innovandum* scribens, *nisi quod traditum* esset: traditionem non Ecclesiastica tantum, hoc est, humana, & quantumvis sacrosancta, mutabili tamen auctoritate, sed divina prorsus, sempiternaque constantem intelligi voluit. *Satis quippe videbat*, ait VINCENTIUS, *nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, quæ fide a Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur: nosque religionem non qua vellemus, ducere; sed potius qua illa duceret, sequi oportere.* Quæ verba traditionem illam indicant non hominum permissam arbitrio, sed immutabilem divinique juris esse, & ad fidem pertinere religionemque Christianam. Et vero si ab Africanis discesseris, quorum septem, & octoginta non est mirum, in Primatis sui ivisse sententiam, atque si Cappadoces, Cilicesque exceperis non multos: quotumquemque per reli-

(78) In Epist. encyclica. Hard. Tom. I. Col. 447.
(79) Tom. I. Cap. VIII. §. III. pag. 648.

reliquam orbis partem ex millenis invenies Episcopum, qui non cum STEPHANO senserit, proque vero hæreticorum habendum esse baptisma censuerit? Ea res inter fidei tandem decreta recepta fuit. Et Tridentinum cum anathema infligit iis, qui non esse ratum baptisma ab hæretico collatum dixerint; quid aliud, quam errore detentum gravi CYPRIANUM fuisse, & in substantiam offendisse nostræ fidei demonstravit.?

Quæ cum ita sint; quid faciet ille, quæso, in scena S. Martyr? quorsum objicitur? quid probatur, tanti viri exagitata memoria? An illud? non detulisse eum STEPHANO? Scimus: sed errasse scimus. An CYPRIANI nomen tam charum FEBRONIO est? Sit, sed ejus, qui erravit: Ejus, *cui martyrio, ut expiaret errorem hunc, opus fuit: ejus, quem qui defenderet*, AUGUSTINUM *esse, magnum & excellentem illum* AUGUSTINUM, *oportuit.* (80) Non mea; sed LANGUETII ista sunt. Quid habet, quod reddat? Atqui stuporis & horroris res plena est, ut Primatus concutiatur, ut Ecclesia destruatur, ut vir sanctus contemnatur, non quia sanctus, sed quia Pontifex Romanus fuit; laudare sanctum, non qua is sanctus, sed qua in errore fuit; in errore gravissimo: immovero (ausimne dicere? Dicam sed verbis LANGUETII) qua *præter mentem conscientiamque suam rebaptizantium hæresi ortum dedit.* (81) -- Quid? habetne FEBRONIUS, aut an proferre ex annalium memoria virum bonum ac pium potest, a quo laudata CYPRIANI ista ratio sentiendi agendique fuerit? Ego vero a *Donatistis*, qui principem sectæ suæ eum dicebant, laudatum scio: AUGUSTINUM, vel cum excusat, fatiscentem video: Jansenistarum quotidiana est vox: restitisse CYPRIANUM STEPHANO, & parti maximæ Ecclesiarum quin notam schismatis incurreret: virum bonum, pium, catholicum, qui laudarit, neminem scio. Nisi forte posse se primum esse, JURISCONSULTUS putaverit?

Quanquam nos, credo, mentem illius nondum adsequimur. Erravit CYPRIANUS: verum satis est, non cessisse eum STEPHANO: quem si Jubendi esse præditum auctoritate existimavisset; fuisset utique tam & diu & acriter non reluctaturus. Itane satis hoc? Ego igitur *Puffendorfianorum*, Libertinorumque Ducem ac Principem fuisse CYPRIANUM probare potero.

 Enim-

(80) Seconde lettre Pastorale MDCCXIX. pag. 50. Cyprien, qui a eu besoin du martire, pour laver & pour expier une faute, que S. Augustin reconnoit expressément... Cyprien, a qui il a fallu un Apologiste aussi illustre, que S. Augustin.

(81) Ibid. Cyprien qui contre son intention, a donné naissance à l'hérese des Rebaptisans.

Enimvero poteratne CYPRIANUS, qui nullos præter Ethnicos Imperatores, eosque hostes Christianorum infensissimos hactenus viderat, ac cui ratione habita suorum temporum, non poterat ne quidem specula suboriri animo; futurum aliquando, ut CONSTANTINUS M. exurgeret, qui rem Christianam vindicaret, copiamque Episcopis conveniendi faceret, & communi consilio controversa fidei capita dijudicandi: is, inquam, CYPRIANUS poteratne opinione esse illa imbutus, non nisi in generali Concilio potestatem esse decidendi, ac supremo judicio Definiendi, quid agi, quid respui, quid credi divina fide oporteat? Atqui ut fingi istud ab ebrioso possit; intelligi profecto non potest. Jam vero non solum STEPHANO CYPRIANUS sed toti Occidenti; & innumeris aliis sese Ecclesiis cum manipulo suo opposuit. Neque enim nisi manipulus censeri Africanorum illa Cappadocumque & Cilicum multitudo cum orbe reliquo comparata poterat. (82) Quodsi his itaque quia non cessit CYPRIANUS, concludi debet, ne eum tum quidem obediendum, putavisse, cum pars potior Ecclesiarum ad sententiam primi Episcopi se adjunxit; quid reliquum est? Id sane quod dicebam, αὐτονομιαν defendisse CYPRIANUM, atque in ea fuisse sententia, posse quemlibet pro suo arbitrio & agere, quod sibi rectius, & credere quod sibi verius videatur, nec esse ullam in Ecclesia auctoritatem, cui deferendum, obtemperandumque sit. Quid videtur? Admittetne collectionem FEBRONIUS? Nescio id quidem. Ego tamen blasphemiam fore puto in virum sanctissimum. Quare sic est habendum: tyrannidem in universam Ecclesiam arripere, & cum par sis cæterorum, jubere, comminari, plectere sine jure ac potestate velle; esse hoc crimen, quod cum turpitudine sua per sese terreat, tum admitti a viris Sanctis, atque adeo ne a nequissimo quidem possit. Verum ab obediendi officio discedere, tametsi crimen sit, esse crimen tamen, quod etiam bonis atque adeo sanctis viris possit subrepere: præsertim cum de opinione, ad quam forte adhæserint, retinenda aut dimittenda agitur. Hujus enim infinita quædam vis est, quominus expelli ex ea mente, in qua nata, aut recepta hospitio est, possit. Quare cum identidem in illam magis se implicat animus, & fruitione quasi quadam illius se oblectat; fit ut facillime obliviscatur sui, rerumque cæterarum, & cum maxime in vitio sit, nihil magis, quam in vitio se esse ignoret, ac neque antecedentia videat, neque consequentia.

Ad

(82) *Augustinus Lib. III. contra Cresconium Cap.* 3. Si omnino jam credendum sit, quinquaginta Episcopis orientalium id esse visum, quod septuaginta Afris, vel aliquanto pluribus contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit. *Confer lib. IV. de Baptist. contra Donatistas Cap. VI.*

Ad summam : inter sanctos versamur. Si CYPRIANUS sanctus est; & Divorum adscriptus numero; est etiam STEPHANUS; si CYPRIANUS Martyr; etiam STEPHANUS. Est autem necesse alterutrum errasse, aut jubendo STEPHANUM aut CYPRIANUM obnitendo: quid suadet ratio? in exemplum, in auctoritatem adsumemus illum, cujus damnatus est error ab Ecclesia universa : accusabimus, quem Ecclesia tota laudavit, quem jubentem in hunc diem secuta est? Sed incusatus est Stephanus? Dic probrum! a quo? Cujus criminis? *Auctæ potestatis*? Quid? An hoc te VINCENTIUS *Lirinensis*, docuit? *Cum ergo undique* (sic ille in initio noni capitis) *ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum Sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur : tunc B. memoriæ Papa* STEPHANUS *Apostolicæ Sedis antistes cum cæteris quidem, sed tamen præ cæteris restitit, dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat.* Quid? Hoc te scriptor ille συγχρονος apud RIGALTIUM docuit? *Nulla*, inquit, *omnino* potuisset *controversia aut disceptatio emergere, si unusquisque nostrum contentus venerabili Ecclesiarum omnium auctoritate, & necessaria* HUMILITATE *nihil* INNOVARE *gestiret.* (83) Quæ ut patet, ad STEPHANI Decretum referri debent : NIHIL INNOVETUR. Quid? Hoc AUGUSTINUS te docuit? Ille cum in omnem partem se torqueat, ut CYPRIANI vel confictam esse obstinationem probet, vel emendatam postea, vel caritate saltem, profusioneque sanguinis abstersam : de STEPHANO nullum unquam verbum asperius profert : non prudentiæ, non moderationis, non potestatis prætergressum limites dicit : quid? quod commemorari nequidem ferat, quæ in eundem a CYPRIANO fuerant dicta commotius. Quid? præter Jansenistas te tuos vel hæreticorum hoc aliquis docuit? Immo cujus magis intererat, quam PETILIANI? Ille tamen, *Donatista* cum esset acerrimus; cum errorem CYPRIANI, tanquam sanguinem ab illo haustum defenderet; non est comiter modo locutus de STEPHANO, sed inter eos recensuit, quorum illibata vivendi ratio fuisset, nec reprehensioni obnoxia. Quid maledicis igitur, canis mortue! (84)

III. Quanquam prope exciderat, quod de AUGUSTINO scribit. Hunc ait, *minus probasse* factum STEPHANI; ac nominat libri I. de Baptismo caput VII., itemque sextum libri IV. quorum in neutro neque vox est de illa re, neque

(83) L'Abbe Tom. I. Con. Col. 770.
(84) Vid. epist- XCIII. N. 38. —— Lib. de Baptis. Cap. XIV.

neque litera. Ubi fides? Quoniam ſemel autem in hunc locum incurrimus: erant in CYPRIANI illa cum STEPHANO contentione quæſtiones implicatæ duæ; prior, quam *Theoreticam* poſſumus dicere, *an valeat baptiſmus, ab hæretico collatus*? altera in operatione verſans & *practica*: *utrum qui baptizatus eſt ab hæretico, ſi ad catholicam redeat fidem, baptizari iterum debeat*? Atque ex his quidem quæ prima erat, eam STEPHANUS Romanus Pontifex non definivit. Sed de altera reſcripſit: *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illis imponatur in pœnitentiam.* Jam ad primam illam, quam neque Pontifex, neque Concilium hactenus diremerat, quæſtionem AUGUSTINUS reſpiciens, CYPRIANUM excuſat omnino. Scribit enim, *facillime* eum *correcturum fuiſſe ſententiam ſuam, ſiquis ei demonſtraret baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab eis, qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit, cum foras exirent.* Ac continuo, *Nec nos ipſi*, inquit, *tale aliquid auderemus aſſerere, niſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſima auctoritate firmati, cui & ipſe ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur.* (85) Quin laudat CYPRIANUM AUGUSTINUS, *quia id, quod ſenſit, non tacuit.* (86) Et huc illa reduci debent a FEBRONIO nobis objecta & uncialibus notata literis. *Noluit vir graviſſimus rationes ſuas etſi non veras, quod eum latebat, tamen non victas, veraci quidem, ſed tamen nondum aſſertæ conſuetudini cedere.* (87) Verum cum ſic & laudat, & excuſat CYPRIANUM; immunemne illum prorſus a culpa ac labe cenſet? Minime. Immo nævum agnoſcit, nævum quem ſive ſanguine eluerit, ſive Caritate contexerit, ſive quod probabile AUGUSTINO viſum fuit, etiam correxerit, antequam moreretur. At non peccavit CYPRIANUS *ſentiendo*: id enim exploratum fuiſſe AUGUSTINO, jam vidimus, *Agendo* igitur peccarit neceſſe eſt. Illud autem quid aliud, quam peccaſſe, quoniam jubenti STEPHANO non obedivit? Atque hoc eſt, quod AUGUSTINUS indicat in primo libro de Baptiſmo, ubi quas ſecernendas nos eſſe monuimus quæſtiones ſic ipſe diſtinguit: *Eſt quidem*, ait, *quod Chriſti baptiſma ubique ſanctum eſt, & quamvis apud hæreticos vel ſchiſmaticos, ipſius tamen hæreſis vel ſchiſmatis non eſt.* Prima quæſtio. Pergit: *& ideo nec ad ipſam Catholicam inde venientes oportet denuo baptizari.* Quæſtio altera. In quam quia offendit CYPRIANUS, ſubjungit: *illum nævum in candore ſanctæ animæ caritatis ubera contegebant.* (89)

(85) Lib. II. de Bapt. Cap. 4.
(86) Ibid.
(87) Lib. V. Cap. 17.
(88) Lib. II. de Bapt. Cap. 8.

(89) Idemque in V. libro capite XXV. : Jam illa quæ in STEPHANUM *irritatus effudit, retractare nolo, quia & non opus est, & ea præterire melius est, quæ periculum perniciosæ dissensionis habuerunt.* (90) Atque hæc teneat sibi JURISCONSULTUS, desinatque, quæ in omnium Jansenistarum detrita sunt libris, intorquere in nos porro & molestiam facere. Ut autem quid sibi STEPHANUS in CYPRIANUM sumpserit, sciat: legat, quæ in quinto sunt libro capite XXIII. apud AUGUSTINUM. *Ad Pompejum scribit Cyprianus de hac eadem re, ubi aperte indicat; Stephanum, quem Romanæ Ecclesiæ Episcopum tunc fuisse accepimus, non solum sibi ad ista non consensisse, verum etiam contra scripsisse atque* PRÆCEPISSE. (91)

IV. Restat unum in CYPRIANI æstu illo ac ebullitione, in quo quia magnam vim FEBRONIUS ponit, videndum quale sit, atque an perinde in eo jactando prudens, quam temerarius & audax fuerit. Sunt verba CYPRIANI in Concilio Carthaginensi III: *superest, ut de hac ipsa re* (De Baptismo hæreticorum sermo est) *quid singuli sentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut a communione aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam ab alio judicari non possit, cum nec ipse possit alterum judicare. Sed expectemus universi judicium Domini nostri JESU Christi, qui unus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judicandi.* (92) Huic argumento, quo etiam Batavus Jansenista (& quis non alius hæreticorum?) mirum se explicat atque distendit, quid respondebimus? Satisne aptus AUGUSTINUS, qui nos ex salebris istis expediat? Ille vero ad Episcopos Africæ in Synodo præsentes CYPRIANUM respexisse tradit. *Noverat* CYPRIANUS (sic Donatistis respondet in libro III. de Baptismo Cap. III.) *quantam Sacramenti profunditatem tunc omnis Ecclesia varia disputatione versabat, liberumque faciebat quærendi arbitrium, ut examinata veritas panderetur. Neque enim mentiebatur, & simpliciores Collegas in verbo se capere cogitabat, ut cum se diversum sentire prodidissent, tunc contra quam promiserat, excommunicandos censeret. Præsertim cum addat & dicat: sed expectemus universi judicium Domini nostri J E S U*

Hh *Christi,*

(89) Lib. I. de Bap. Capt. ult.
(90) Lib. V. Cap. 25.
(91) Lib. V. Cap. 23. Confer Caput 25.
(92) Edit. Pamel. pag. 397.

Christi. Et vero quod post Gallum quendam Anonymum Eruditissimus ZACCARIAS jam observavit: ne poterat quidem CYPRIANUS, cum in Concilio ista diceret, respectare ad STEPHANUM, cujus tum literas nondum acceperat. Et est ratio hujus rei manifesta, quia si accepisset, legendas utique curasset in Synodo: quemadmodum & JUBAJANI ad se epistolam prælegi jussit, & quod ipse ei responderat, literasque alteras JUBAJANI: quibus lectis: *Audistis*, inquit, *Collegæ dilectissimi! quid mihi Jubajanus Coepiscopus noster scripserit, consulens mediocritatem nostram de illicito & profano hæreticorum Baptismo, & quid ego ei rescripserim, censens scilicet, quod semel atque iterum & sæpe censuimus, hæreticos ad Ecclesiam venientes Ecclesiæ Baptismo baptizari & sanctificari oportere. Item lectæ sunt vobis & aliæ Jubajani literæ quibus ad epistolam nostram rescribens; non tantum consensit, sed etiam instructum se esse gratias egit. Superest*, tum cætera, quæ a FEBRONIO sunt objecta nobis, sequuntur. Quid? Ortum progressumque causæ, & quo perducta jam ea esset, qui tam solerter aperuit, STEPHANI, cujus præ omnibus audiri debuit judicium, dissimulandas literas, invidiamque & crimen fraudis consciscendum sibi putaverit? Credat hoc quisquis alius: ZACCARIAS non credidit, nec ego credo. Atque ut collustremus paululum, quod est breviter positum a viro illo doctissimo; mea hæc quidem sententia est, adeo non de STEPHANO perstringendo CYPRIANUM cogitasse, ut ad sese potius, suspicionemque de se motam respexisse videatur. Id ut sentiam, mea mihi, & ut arbitror, non spernenda constat ratio. Nam quid est, obsecro, quod in *primis*, quas ad STEPHANUM dedit literis, & in quibus, quid ipse sentiat, quidque Collegæ secum sui in *primo* Concilio judicarint, significat, jam tum ista legantur: *Cæterum scimus, quosdam, quod semel imbiberint, nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter Collegas pacis & concordiæ vinculo quædam propria, quæ apud se semel sint usurpata, retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus; cum habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque Præpositus, rationem actus sui Domino redditurus*? (93) Ad STEPHANUM profecto ista non pertinent. De hoc enim proxime dixerat, *placitura* illi se credere, *quæ & religiosa pariter & vera sint.* Ad quos igitur? Ad Africanos Episcopos. Horum aliqui, atque forsan non pauci quam in partem CYPRIANI judicium acceperint, potest ex eo colligi, quoniam in Epistola ad JUBAJANUM, postquam similiter, atque iisdem, quibus ad STEPHANUM scribens, verbis de obstinatione Collegarum suorum conquestus fuerat, subdit, illius se rei causa librum

(93) Epist. LXXII.

librum de *Patientia* edidisse. (94) Videndusque omnino AUGUSTINUS Lib. III. de Baptismo Capite XII. & Lib. II. Cap. IX. heinc enim constabit, novitatem illam sine strepitu & animorum etiam in Africa perturbatione magna non fuisse invectam. Atque de CYPRIANO hactenus.

V. Sequitur LIBERIUS, de quo ita est apud FEBRONIUM & JANSENISTAM BATAVUM: *Ecce Pontficem directe & reipsa anathemati traditum ab S.* HILARIO: *Anathema tibi a me dictum* LIBERI *& sociis tuis. Iterum tibi anathema & tertio prævaricator* LIBERI. Immo vero ecce FEBRONIUM pietatis, virtutis, verecundiæ, fideique oblitum leges omnes ac jura. Nihil huic ego convitio reponam, præterquam quod *Senonensis* Archiepiscopus Adpellantium alicui, & Jansenianæ factionis Principi reposuit. *Historiæ Ecclesiasticæ* (verba Præsulis sunt) *leviter me tinctum ais. Non aberras fortassis, Famam eruditionis non adfecto. Tantum nihilominus iis in studiis sum adsecutus; ut probe intelligam, quo Adpellationem tuam fulcire adniteris S.* HILARII *in* LIBERIUM *Papam anathemate, id suppositum esse, sancto huic viro abjudicari ab eruditis, & Apographorum manu textui adsutum pronunciari. PP. Benedictini in editione Operum Hilarii, quam publici juris fecere, opusculum, unde erutum est istud anathema, conscribi a S. Hilario, nisi post Liberii Papæ conversionem, non potuisse animadvertunt: quæ sane res anathemati, quo tutum te credis, omnem veri speciem adimit. Vis majus aliquid? Cum esset a* WITSIO *laudatum hoc idem anathema; tulit moleste* PASCHASIUS QUESNELLUS, *indignumque, quod proferretur, judicavit.* (95) Sed nempe parum interest furentium, quibus armis cædant.

VI. In quo quidem genere furoris sane illud etiam ponendum est, quod de VIGILIO FEBRONIUS ex JANSENISTA suo subjungit, ab hujus se communione Episcopos *Africæ, Illyrii, & Dalmatiæ* segregasse *ob tria Capitula* damnata. Quasi vero, qui schisma fecerunt, laudari & in exemplum adsumi possint?

Quoties dicemus, quoties inculcabimus vobis, cervices duræ! in errore, in crimine fuisse, qui quintæ Synodo obstrepebant? Nec vero a VIGILIO tantum, PELAGIO, GREGORIOque Magno, non ab Romana solum Ecclesia, sed ab Ecclesia universa segregarunt se, feceruntque divortium complures illi Istriæ & Venetorum, & Liguriæ Insubriæque Episcopi. Quid igitur? laudandi sunt? Atqui pro schismaticis semper eos Ecclesia habuit, & isto nomine in Annalium monumentis consignantur. Nempe huc demum abducitur illa vertigo, hic exitus est. Cum qui a Pontifice secessionem fecerit, quin se una ab Ecclesiæ parte maxima separarit, ostendere neminem possint; laudare & commendare schismata coguntur. Hoc illud erat: *Ecclesia status non est.*

h h h 2 CAPUT

(94) Epist. LXXIII. (95) Troisieme lettre Pastorale de M. l'Eveque de Soissons. Pag. 4.

CAPUT IV.

DE ECCLESIA EPISCOPORUMQUE ET R. P. LEGITIMA POTESTATE IN CAUSIS FIDEI.

ARTICULUS I.

JUSTINUS FEBRONIUS JANSENISTARUM DEFENSOR PUBLICUS. CALUMNIOSA VOX DE TOTIUS PROPE GALLIÆ, ET EUROPÆ EPISCOPIS: IMPOSTURA, AUT STUPOR IN ADDUCENDA DECLARATIONE REGIS CHRISTIANISSIMI: SIMILE FLAGITIUM IN EXPLODENDA CONSTITUTIONE UNIGENITUS.

I. Veriſſime dictum eſt a S. PROSPERO in Carmine de ingratis: *Quem non recto via tramite ducit, quanto plus graditur, tanto longinquius errat.* Et a Baſilio in ſecundo contra Eunomium libro: *humana ratio, cum ſemel a veritate deflexerit, in abſurda quæque, & periculoſa, ex erroris quaſi conſequentia quadam abducitur.*

Repreſenſus a JUSTINIANO FROBENIO FEBRONIUS, quod ut Papam in ordinem cogeret, facultatem nationibus fecerit, ſubſtituendi alium ſibi, ſi non in perpetuum, ſaltem in tempus, & edititium quaſi Pontificem: primum quidem redire ad ſe ſe, & agnoſcere errorem viſus eſt. (1) Paratur interea nova editio: heic gregalium a quo neſcio ſuorum vel adjutus, vel monitus, in alia primum omnia detorquet, quæ incautius in ſuperiore deſcripſerat: dein iterum, quod eſt proprium nimis amantium ſui, tanquam pudorem non ferens admiſſi, deprehenſique ſceleris, reſumere, quod abje-

(1) In prima Reſponſione.

abjecerat, telum instituit, & insultare sic etiam pro acerbo, & petulanti ingenio. *De schismate*, inquit, dicis, *Ultrajectino quod, nescio, an commendet eruditionem tuam. Lege novissime editam a Concilio Provinciali Ultrajectino deductionem: schisma esse fatetur, sed* AUCTORE *Papa, qui communicare volentibus communicare recusat.* (2) Neque his vero contentus dum crevisset interea animus, *mirares*, inquit: *Romana Curia Constit. Unigenitus dogmaticum universalis Ecclesiæ Decretum esse affirmat: Gallica natio, cui præ reliquis omnibus constare debet, id negat.* Recitat deinde Clementis XIII. ad Leodiensem Episcopum literas: in quibus, *illud autem summopere*, inquit Pontifex, *nobis placuit, quod in eodem Edicto Constitutioni Unigenitus suam asserueris authoritatem, eique ut dogmatico hujus sanctæ Sedis, & universæ Ecclesiæ Decreto omnimodam profiteris deberi obedientiam.* Cui ex adverso Edictum ipse Regis Christianissimi opponit, quo prohibetur, ne pro FIDEI REGULA *Constitutionem* quis venditet; *quam potestatem*, ut ait Rex, *Ecclesia ei non tribuit.*

Heic jam repagula non ferens amplius, in torrentem se effundit oratio. *Cui credemus?* exclamat, *cui cognita magis sunt, quæ in Gallia aguntur? uter amborum majore, vel minore cum præventione loquitur? si autem in tanta, ut minimum dicam, rerum, & factorum ambiguitate, Romani eos, qui famosam hanc Clementis XI. Constitutionem, tanquam universæ Ecclesiæ Decretum non agnoscunt, contra omne jus, & fas, contra perpetuum Ecclesiæ morem ut hæreticos, & schismaticos habent, & tractant; quis prudens ex altera parte Christianissimo Monarchæ vertet male, si sanioribus principiis innixus; potioreque utens jure in hos Romanæ sententiæ sectatores, tanquam veros schismatis fautores sæviat, & per hoc non solum turbatam in suo regno tranquillitatem restituat, sed & aliis regnis, atque provinciis exemplum præbeat, qua ratione genuinæ fidei, & disciplinæ regulæ, Romanorum morositate atque injuria turbatæ, observari debeant?* (3) Vide æstum Armacani ingenii.

II. Ordiar ab eo, quod est posterius. Accusatur Clemens XIII., quod laudaverit Celsissimum *Leodiensem*, propterea quod Edicto is publico anno MDCCLXV. Constitutioni tanquam *dogmatico S. Sedis*, & *universæ Ecclesiæ Decreto obedientiam deberi* professus fuerit. Hoc scelus est. Atqui nonne magis hoc, quam quidquam aliud in mundo, mirum sit, tam & se ipso, & extremo in Pontifices odio fuisse ebrium Scriptorem illum, ut non adverteret, quod se in barathrum indueret: quique, & quam sint innumeri, quorum fidem, pietatem, honorem, dignitatem, juraque omnia, eaque sanctissima, furore isto suo, insolentiaque accusationis lacesseret?

(2) Tom. I. Append. 2. pag. 23. (3) Tom. II. p. 69.

DOGMATICUM eſſe cenſuit *judicium*, idemque *reformationi obnoxium nulli* Illuſtriſſimus Pariſinus Achiepiſcopus: DOGMATICUM, propterea quod totius ſit judicium Eccleſiæ, quam, quia ſoli illi auſcultandum eſt, *docentem*, nominamus: DOGMATICUM, cui *cordis atque animi plena atque integra debeatur ſubjectio. Decretum*, inquit, *quod profluxit ab S. Sede Apoſtolica; quod acceptatum eſt ab omnibus Eccleſiis exteris; quod fecerunt ſuum omnes Antiſtites Galliæ: Recognitum, reverenterque acceptum a tribus Conciliis, Romano, Ebrodunenſi, Avenionenſi, quorum in primo præſidente Papa, Epiſcopi omnino centum conſederant, collaudatum a pluribus, quam decem Conventibus Cleri, ſubſcriptione firmatum ab omnibus Academiis orbis Catholici: Decretum, cui hodie a nemine contradicitur, niſi a Clericis quibusdam ſecundi ordinis, a Laicis, a fœminis, a Scriptoribus, quos affectio, morbusque animi conſiderare, reſpondereque ſibi, quod eſt verum, & juſtum, nequaquam patitur.* Tum ſic proſequitur: *Ah Fratres cariſſimi! quam foret facile. interrogare quemlibet ſe ſe: ubi eſt authoritas? ubi magiſterium doctrinæ? ubi via reperiundæ veritatis, & ſalutis? quantocyus, ſi vel pauxillum accederet fidei bonæ, extricaretur quacunque ab incertitudine animus: diſſiparetur nubes rationum fallacium, & perplexitatum fruſtra fatigantium, quæ non niſi in errorem ducunt.* (4)

Age vero jam: cui credemus? cui magis ſunt cognita, quæ in Gallis geruntur? uter majore, vel minore cum præventione loquitur? Is, quem ſi ex Annalium memoria virum ſummum nominaverimus; minus forte, quam par eſt, dicemus: an turbulentus, ægeique inſtar maris exæſtuans iſte, inque ſe ſe, & in ſpumas, *confuſionesque* ſuas incurrens, & qui, ſiquid etiam vel a natura haberet tributum, vel ſtudio, ac diſciplina comparatum, quod eruditorum eſt; hoc certe uno repellendus foret, quod ſemetipſum in poteſtate non habeat.

Sed negat *Rex Chriſtianiſſimus*, DOGMATICAM dici poſſe? immo vero reſpondebimus de hoc, cum locus fuerit. Sciant interim, & intelligant omnes, quacum peſte mihi luctandum ſit. Sciant, acceſſiſſe Inſtructioni Pariſini iſtius *Chryſoſtomi* Illuſtriſſimum inprimis *Metenſem* Epiſcopum in Encyclica ad Clerum, & populum: *Legimus*, inquit, *attentione religioſiſſima, eoque, ut ſubſcriberemus, libentius a nobis factum, quod cognoverimus, fideliter in ea exprimi epiſtolam, quam cum viginti aliis Epiſcopis regni anno MDCCLII. ſcribere nobis licuit ad Regem; epiſtolam, inquam, poſtmodum a pluribus, quam octoginta Epiſcopis aliis adoptatam, & collaudatam.*

Ac-

(4) Mandem. & inſtr. Paſt. touchant l'Autorité de l'Egliſe 1756. initio par. 2. p. 46.

Accessisse & alios, quorum quia sententias adnectere, quin plures procedant paginae, non possumus: satis fuerit, singulorum nomina indicare. Sunt autem LUDOVICUS FRANCISCUS GABRIEL Episcopus *Ambianensis*, in Encyclica data Ambiani VII. Nov. anno MDCCLVI., *Jacobus Maria* de CONDORCET, Episcopus *Altisidorensis*, eodem anno, ac die, ANTONIUS RENATUS DE LA ROCHE *de Fontenilles*, Episcopus *Meldensis*, PETRUS AUGUSTUS BERNARDINUS DE ROSSET *de Fleury* Episcopus *Carnutensis*, *Ludovicus Josephus de Montmorencylaval* Episcopus *Aurelianensis* XIV. Nov., MATHIAS PONCET *de la Riviera* Episcopus *Trecensis* XXII. Nov.: PAULUS ALEXANDER *de Quenet* Episcopus ad *S. Pontium* in Encyclica ad Clerum, populumque Dioecesanum data XXIX. Nov. anno MDCCLVII.: quorum siquis verba ipsa voluerit legere, habet, unde desiderio suo satisfaciat, Elementorum Juris Canonici viri clarissimi EUSEBII AMORT Tomum alterum, ubi κατα ῥητον, & pressissima imitatione phraseos latine extant reddita.

Subjicitur libellus ibidem, sensusque *Deputatorum* à Conventu Cleri Gallicani triginta trium Episcoporum, assentiente Rege Christianissimo, anno MDCCLV. Summo Pontifici transmissus, uti, quid de Appellantibus oporteret fieri, supremo suo judicio dirimeret. Ex his septendecim cum Abbatibus duobus supra viginti, *Constitutio*, inquiunt, *Unigenitus praeceptum est, lex, seu decretum Sedis Apostolicae, quo liber Reflexionum Moralium, ac particulatim centum propositiones cum una ex illo excerptae ex diversis causis, praecipue vero, quia errores, & haereses continent, damnantur. Postquam huic praecepto, legi, seu decreto accessit acceptatio Ecclesiae, jure allegatur tanquam perpetuum, & irretractabile judicium totius Ecclesiae, & tanquam doctrina in rebus fidei.* Sexdecim reliqui haec in verba perscribunt: *Constitutio Clementis XI. sanctae Memoriae, quae incipit Unigenitus, est irreformabilis Definitio totius Ecclesiae in rebus fidei.* Et cur vetustiora requirimus, cum praesentia habeamus? Sic est in Comitiis Cleri Gallicani anni MDCCLXV. *Agnoscimus, uti semper, ad hanc usque diem, Constitutionem Unigenitus* JUDICIUM DOGMATICUM *esse universalis Ecclesiae: aut quod idem est,* CERTISSIMAM FIDEI REGULAM, *atque debere nos illi sinceram cordis & spiritus submissionem.*

Non est, me plura necessarium adscribere. Quaero autem, & volo respondeat mihi fecialis iste Appellantium, omniumque, praeterquam sui, & gregalium suorum derisor, atque contemptor. Ille tam jam non annis minus, quam meritis gravis, idemque carissimus juxta, ac fidelissimus Regi suo

ſuo Pariſinus ſenex; illi, quos complexos Inſtructionem, promulgaſſeque diximus, Antiſtites octo; illi ab Clero regni deſignati tres ſupra triginta; illi, qui Romano interfuere Concilio, Epiſcopi centum; illi, qui in Ebrodunenſi, &Avenionenſi, tum in decem Comitiis regni generalibus; illi, qui in Comitiis nuperrimis; viceni tandem, octoginta, & plures (Sorbonam prope omiſeram, quod minime debui: de hac enim certiſſimos nos facit Tournelius) mi homo! hi tibi fautores ſunt ſchiſmatis? turbatores regni? fidei, diſciplinæque everſores? homines moroſi, atque iniqui? & quod inde queis neſcio implexus ſomniis deduci vis conſequens, digni, in quos EXEMPLO *Chriſtianiſſimi*, Reges quoque, ac Principes cæteri non tam animadvertant, quam *ſæviant*? Nempe hic ille vir eſt, qui verborum nuper tanto cum ſtrepitu, quod negabat nemo, contendebat, congenitum eſſe jus illud Epiſcopis, ut de hæreſi ſtatuant, decernantque, quid ſequi ſuos, quid aſpernari oporteat. Statuerunt: decreverunt: quid deinde? *fautores ſchiſmatis* ſunt, *turbatores* ſunt, *perverſores* ſunt.

III. Sed nihil facimus, niſi expreſſius refutaverimus duo: quorum in utroque malignitatis ineſt, ac fallaciæ inauditæ offenſio. Primum quid hoc eſt poriſmatis: *addo, Conſtitutionem Unigenitus* NE IN GALLIA QUIDEM *pro univerſali Eccleſiæ Dogmate univerſim haberi*? Siquid latine nos docti ſumus; huc utique pronuntiatum id ſpectat, ut incauti, nec periti admodum iſtarum rerum concludant: *ſi ne in Gallia quidem*; multo igitur minus in Germania, regniſque, aut provinciis aliis Conſtitutionem eſſe receptam. Nunquid ſic eſt? verum qui in contumeliis congerendis ſingulare hoc habet a natura, ut ejus ſimilem multæ ætates non tulerint: poteſtne oculis etiam imperare, ut, quod præ manibus eſt, ſani, atque aperti non videant? Acceptarunt *Conſtitutionem*, & in ſingulis Eccleſiis more Majorum promulgandam curarunt anno MDCCXIV. *Ferdinandus Epiſcopus Namurcenſis*, Namurci VIII. Idus Majas: *Vicarii Eccleſiæ Iprenſis*, quod eo tempore vacaret ſedes, VII. Idus: *Petrus Vicarius Eccleſiæ Boſcoducenſis* in Pasbrugshe (hoc oppido nomen eſt) IV. Idus: *Franciſcus Angelus Epiſcopus Ruræmundenſis* XIV. Kal. Junias: *Philippus Erardus Epiſcopus Gandavenſis* Gandavi III. Kalendas: *Petrus Joſephus Epiſcopus Antverpienſis* Antverpiæ, pridie Kal. Julias: *Joannes Franciſcus Epiſcopus Tornacenſis* VI. Nonas: *Vicarii Eccleſiæ Brugenſis*, Sede vacante, Nonis: *Vicarius Eccleſiæ Mechlinienſis* S. V. primum VII., tum iterum pridie Idus. Atque hæc quidem de Belgio.

De Germania noſtra habemus, extantque in volumen compactæ una cum aliis epiſtola *Antiſtis Rhodiopolitani Vicarii Generalis Hildeſiemienſis*

ad

ad Illustrissimum Abbatem Borgia Nuntium Colon. III. Kal. Nov. anno MDCCXIII. : *Epistola Archiepiscopi Electoris Trevirensis ad eundem* IV. Non. : Epistola *Episcopi Spirensis Principis S. R. J.* ad eundem pridie Nonas : Epistolæ *Episcopi Herbipolensis Principis S. R. J.* ad eundem pridie Nonas : *Mandatum Serenissimi Electoris Coloniensis* XVI. Kal. Dec. : *Attestatio Magni Vicarii* de publicata Constitutione in Archiepiscopatu Coloniensi anno MDCCXIV. V. Kal. Januarias : Epistola *Principis & Episcopi Monasteriensis, ac Paderbornensis* ad Illust. Nuntium pridie Nonas anno MDCCXV. : *eorundem Episcoporum mandatum* de publicatione XII. Kalend. Majas : *Mandatum Archiepiscopi & Electoris Trevirensis* de instituenda publicatione VIII. Kalendas Martias : *Mandatum Episcopi Basileensis, Principis* S. R. J. de publicatione VII. Idus Febr. Elector *Moguntinus* sine programmate promulgandam curavit. Continentur, ut dixi, in eundem hæc omnia compacta librum, una cum *Extracto epistolæ* VIENNÆ in Austria datæ IV. Kalend. Augusti anno MDCCXI. Cum Mandatis item *Inquisitionum Hispanicæ, Toletanæ, & Lusitanicæ.* His Academiarum addantur Decreta *Duacensis, Coloniensis, Lovaniensis,* & in HISPANIA *Salmanticensis:* disciplina prætcrea, usúsque in hunc diem perpetuus totius *Italiæ, Siciliæ,* Regni *Neapolitani, Sabaudiæ, Pedemontii,* Statuum *Genuensis,* ac *Veneti, Bohemiæ, Poloniæ, Hungariæ:* immovero documenta his ex omnibus collecta regnis atque provinciis : quorum magnam copiam LANGUETIUS ac BYSSIUS in Pastorales literas disputationesve illa de re suas contulerunt. Delibemus nos illa generatim quoniam interest. Sunt ex SICILIA literæ Archiepiscoporum *Panormitani,* & *Messinensis* ad Cardinalem *Byssium:* ex regno NEAPOLITANO ad eundem Cardinalis *Pignatelli* literæ, quibus significat, omnes regni istius Episcopos, centum ac triginta ut minus numero, Constitutionem pro dogmatico Ecclesiæ judicio suscepisse. Ex SABAUDIA & PEDEMONTIO mandatum *Gratianopolitani* Episcopi, necnon literæ *Mondoviensis.* Ordinatio item *Vicarii* generalis S. Officii *Taurinensis,* contestatioque plurium Abbatum, Superiorum, Doctorum XI. Martii anno MDCCXVIII. Ex BOHEMIA *Pragensis* Archiepiscopi ad Cardinalem *Byssium* literæ, quibus Bullam *pro lege dogmatica* promulgatam scribit ; ejusdemque Mandatum anno MDCCXV. XI. Martii. Ex POLONIA Literæ *Gnesnensis* Archiepiscopi, Primatis regni & Lithuaniæ in eandem sententiam. Ex HUNGARIA literæ Archiepiscopi *Strigoniensis* regni Primatis ad summum Pontificem : alteræque ad Cardinalem BYSSIUM. Ex HISPANIA Literæ Archiepiscopi *Cæsaraugustani* ad Episcopum Nemausensem ; *Refractarii homines,* inquit, *se nec audire, nec videre, nec intelligere affectant illius Constitutionis in uiversa Ecclesia acceptationem.* Et in aliis literis : *Cæ-*

terum quod ad nostram Hispaniam adtinet, *ex certa scientia valde asseveranter testamur*, *& fidem facimus*, *immo & fidejubemus*, *in Arragoniæ regno*, *& in aliis Hispaniæ provinciis omnes omnino Episcopos*, *omnes Ecclesias*, *omnes Academias*, *omnes religiosos ordines*, *omnes cujuscunque Conditionis homines summa veneratione pure & simpliciter acceptavisse Constitutionem*, *tanquam scriptam digito Dei vivi*. Non dissentiunt literæ Archiepiscoporum *Burgensis*, *Granatensis*, *Toletani*: atque hic quidem, quod habere sibi FEBRONIUM volo, *Quare*, ait, *ut execrandum anathema sit*, *& velut prævaricator Catholicæ fidei semper apud Deum reus existat*, *quicunque prædictæ Constitutionis censuram in quocunque crediderit vel permiserit violandam*. EX PORTUGALLIA Patriarchæ *Lisabonensis* literæ ad Episcopum *Nemausensem*: *Totius Lusitaniæ Episcoporum sensus & mens est*, *in præfata Constitutione sanam Ecclesiæ doctrinam & traditionem contineri*. — *Itaque captivamus intellectum*, *in obsequium definitionis Ecclesiæ*, *quam ex promulgatione*, *quæcunque illa tandem sit*, *scimus Pontificiam esse definitionem & Ecclesiæ*. Atque ita deinceps & plurima & copiose luculenterque descripta ex omnibus Europæ Regnis atque Provinciis apud LANGUETIUM & BYSSIUM, Cardinalem hunc & *Meldensem* Episcopum, illum *Suessionensis* Ecclesiæ Præsulem, nec non in libro, cujus est titulus, *Testimonium Ecclesiæ universalis*, videri possunt. (5) Et post hæc omnia quis declamatorem tam protervum ac petulantem ferat? qui nisi plurium exercitatione annorum ad malignitatem sese tantam composuisset non video, quei præscriptione nos ista futili, falsa, falsissimaque fatigaret.

IV. Venio ad alterum fraudulentiæ Armachanæ scopulum. Vulgata res est, Constitutionem UNIGENITUS rogatu potissimum Ludovici Magni conceptam, tum ejusdem mandato Regis universæ Galliæ imperatam, ac postquam in tabulas relata publicas fuit anno MDCCXIV., potestatem, vimque legis fuisse adeptam non minus regni, quam Ecclesiæ.

Anno MDCCXVII. cum finis libellorum non esset, ac, ut conqueritur Christianissimus, non desinerent homines maligni Episcopos, regnum, *temerarioque ausu Romanum ipsum Pontificem*, *& Apostolicam Sedem* lacessere: succurrendum his malis visum est, silentio utrisque imperato, non quidem cujus perpetua obstringerentur lege Episcopi, sed quoad medium summus Pontifex excogitasset, quo *divisio in parte agitata corporis* tolleretur.

Anno

(5) Le second Avertiss. de Monseign. l'Eveque de Soissons, Paris. 1719. p. 5. seq.— Inst. Past. au Sujet de la Bulle Unigen. 1722. p. 42. seq. — Témoignage de l'Eglise universelle en faveur de la Bulle.

Anno MDCCXXXI. literis encyclicis Rex Epiſcopos monuit, ſolere eos, qui contra Conſtitutionem animos obfirmaverint, inter alia argumenta urgere iſtud præcipue, quod pro *fidei regula* ſibi obtruderetur. Qua quidem voce percommode uſos ait, ut fideles ab *obedientia* averterent: Certe occaſionem indidem ſumpſiſſe ſpargendi, velle Epiſcopos ad dignitatem *ſymboli*, ac *profeſſionis fidei* Conſtitutionem evehere: *expedire* proin plurimum *hoc tempore*, ut evitetur expreſſio *non neceſſaria*.

Anno MDCCLVI. *Declaratione* hoc ipſum publica ſancitum fuit, ſed ea lege tamen, ut ne quod præjudicium Archiepiſcopis, & Epiſcopis fieret, quo minus inſtruere commiſſum ſibi Clerum, & populum poſſint: modo aliunde intra moderationis ſe fines contineant, evitentque omnia, quæ tranquillitatem perturbent.

Adeſſe heic ſane Febronium volumus, & commune de ſe judicium periclitari. Vetuit Rex Chriſtianiſſimus, *regulam fidei* dici? Hoc quem ad ſenſum oporteat intelligi, ſi non ipſummet haberemus Chriſtianiſſimum Regem interpretem; fuiſſet prudentis ſine dubio, & pii hominis, ſilentio premere, atque oeconomiam cogitare, quam temporum extorſiſſet neceſſitas: nec illi diſſimilem, qua B a s i l i u s quondam uſus eſt, cum ad communionem admiſit, qui modo fidem Nicænam amplecterentur, & Spiritum Sanctum creaturam eſſe negarent, quamvis *Dei* vocabulum expreſſe, diſtincteque non uſurparent. Cujus quidem συμπαθείας πρὸς τοὺς ἀθενοῦντας, ut Basilius loquitur, in Chriſtianiſſimo Rege tanto minor eſſe poteſt dubitatio, quo eſt ſolennior ejus hac in ipſa cauſa anno MDCCXVII. Declaratio facta, non ad Principes, ſed ad Epiſcopos pertinere, momenta fidei librare, & diſcernere, quid revelatarum in rerum numero ſit poſitum.

Verum non iſta nobis comitate, quæ affectata videri poſſit, hoc loco opus eſt, Clariora luce ſunt verba Regis. Non enim, ut nos ſobrie locutionem accipimus, ſed alieno, atque abſono quodam ſenſu eſſe *fidei regulam* Conſtitutionem negat: hoc eſt, *ſymbolum*, *aut profeſſionem* fidei negat eſſe. Quod ſane veriſſimum eſt. Quid enim ſymbolum, niſi complexio quædam brevis eorum articulorum, qui ut poſt D. Thomam Theologis loqui mos eſt, per ſe, atque primario ſunt Divinitus traditi, ac quorum cognitio, ſi non explicata omnium, atque expreſſa, ſaltem obſcurior Chriſtiano eſt cuique ad ſalutem conſequendam neceſſaria? quid profeſſio item fidei, niſi ejuſdem profeſſio ſymboli, eaque vel ſummaria

tantum, præcisaque, quemadmodum in Conciliis fieri olim consuevit, vel diductior, & aliorum recensione dogmatum aucta, atque imperata auctoritate publica, ut fiat. Cujusmodi post Tridentinam Synodum ab iis exigitur, qui ad Catholicam fidem redeunt, vel qui ad sacerdotia, dignitates Ecclesiasticas, aut honores Academicos admittuntur?

At quem mihi Theologum designabis tu, qui hujusmodi esse *Constitutionem*, vel somniaverit aliquando, vel dixerit? Quis exegit, quis imperavit Pontifex? Quod Generale Concilium? Quæ particularis Episcoporum Synodus? qua lege sancitum publica, ut conceptis, descriptisque verbis in eam jurent, qui ad Sacramenta, Sacerdotia, dignitates, vel honores aspirant? Fuit igitur inepta prorsus, falsissimaque Adpellantium ista criminatio: quam ut præcluderet Rex Christianissimus, sapienter omnino statuit, non esse hoc sensu *regulam fidei* Constitutionem. Atqui nihil hoc impedit, quo minus alio, eoque certissimo, & exploratissimo sensu, isto nomine adpelletur.

V. Nam cum universim Propositionibus centum uni eæ notæ in constitutione adscriptæ sint, ut aliæ quidem earum *falsæ* dicantur, & *temerariæ*, aliæ *impiæ*, atque *blasphemæ*, aliæ *sapientes hæresin*, aut *hæresi proximæ*, aliæ *faventes schismati*, tum *hæreticæ* aliæ, variasque instaurantes hæreses, illas potissimum, quæ Jansenii continentur libro, & eodem, quo damnatæ sunt sensu: Constitutio porro hunc in modum concepta, totius, quod supra vidimus, judicium Ecclesiæ sit: utrumque profecto heinc consequens est, non hæreseos minus, quam inobedientiæ capitalis convinci reos, qui, ut Secta tot jam ab annis non desinit facere, constitutionem vel infestam habent infamibus scriptis suis, vel eam tacite apud se damnant, propositionesque damnatas, fundamenta esse totidem convulsæ religionis mentiuntur. Et quid hoc aliud, quam *normam fidei* constitutionem esse? Ac si est illa hujusmodi; quid peccavit Clemens XIII., cum *Dogmaticæ* ei nomen imposuit?

VI. Sed fallimur: nec enim memineramus, cum homine nobis esse certamen, cui *Appellantium* est augere numerum propositum. Negat ille, atque ex instituto in id incumbit, uti nunquam irrefragabile esse judicium Ecclesiæ existimemus, quam cum in locum collecti unum Episcopi ferunt sententiam. Bene est: accipiamus, quod est falsissimum; sed simul illud jam velim nobis edisserat, quot esse Theologos putet, qui novitatis commentum istud (non enim hæresin adhucdum appellabimus) vel probaverint aliquando, vel aversati potius, execratique non fuerint? Dete-

stan-

ſtantur omnes Epiſcopi, & Theologi Galliæ: deteſtantur Itali, Germani, Belgæ, Poloni, Ungari, Hiſpani, ut nos infra demonſtrabimus: ac eſt omnium indubitata hæc, diſertiſſimaque doctrina, ſive collecti, ſive ſuis quique detenti ſedibus Epiſcopi ſint, irrefragabile futurum judicium, ſi ad ſententiam Capitis Epiſcoporum pars longe maxima acceſſerit. Acceſſerunt, ut vidimus: ac ducenteſima forſan parte excepta, oſtenderunt omnes, ſe in Romani Pontificis poteſtate eſſe.

Ecquid igitur ſceleris Clementis illis in literis? repeto, quid tandem id ſceleris eſt, cum ex vulgatiſſima, ut debebat, illa, quam dixi, atque a bonis defenſa omnibus doctrina pendere maluit, & *dogmaticum*, quod inde eſt conſequens, vocare *judicium* Conſtitutionem, quam ex furentium reſpondere arbitrio? qui niſi alia omnia, præter fidei meditarentur integritatem, non duorum utique hominum cauſa, Janſenii, & effrænis ſui, dilapſique Clerici tot Eccleſiam turbis, tot tempeſtatibus, ab annis centum, & quod eſt ultra, concitaviſſent. Quid igitur ſceleris? furendum erat: Janſeniſtam igitur aut eſſe, aut fieri oportuit.

VII. Sed urgeamus hominem! ſi judicium *dogmaticum conſtitutio* non eſt; quo nomine compellabitur? ſerione, atque ex animo amplectenda? credendumne, & imperandum intellectui, ut credat, eſſe ex propoſitionibus centum & una, quarum aliæ conterminæ ſint hæreſi, aliæ hæreticæ, quæque cæteræ ſunt notæ ejuſdemmodi? Si ita eſt; *dogmaticum* ecce judicium Eccleſiæ; ſi non eſt; inſto, quo vis nomine eam compellari? Falſamne? *ſcaturientem vitiis?* in qua *veritates damnatæ ſint in Religione ſummæ*? ſic Janſeniſta quidem tuus; ſed arbitror, noles imitatus in hoc illum videri. Nihil igitur reliquum, quam ut *politicam* eſſe, & *œconomicam*, quam vocant *legem* dicas, cujus cautio, ac finis, procurare ſilentium diſceptantium; de cætero cuique liberum relinquere, quid apud ſe tacitus, & penes animum ſuum exiſtimet. Jam vero eſt idemmet hoc illud, quod reprobavit anno MDCCXXXI. Rex Chriſtianiſſimus, idem is, cujus graviſſima judicatione Romanam oppreſſurum ſedem te arbitrabare. En quæ in verba ſenatui Burdigalenſi III. Non Junii reſcripſerit: *Non niſi ad Eccleſiam*, ait Rex, *pertinere, determinare, docereque, quis ſit genuinus character, quæ natura ſuarum deciſionum: neque vero hujuſmodi hanc eſſe materiam, quæ ad forum Magiſtratus pertineat: neque in hujus eſſe poſitum auctoritate admetiri terminos conſtitutioni Unigenitus, ut* REGULÆ POLITICÆ, OECONOMICÆ, DISCIPLINÆ, AC PRÆCAUTIONIS, *qui neque proprii ſint, neque ſufficiant: nec denique retractare poſſe illum, & inſtaurare judicium, poſt-*

 quam

quam Rex auctoritatem conjunxerit suam cum auctoritate Ecclesiæ, jamque anno MDCCXXX. die XXIV. Martii suis omnibus præceperit subditis, venerationem huic Bullæ deferant, submissionemque, QUALIS JUDICIO DEBEATUR UNIVERSALIS ECCLESIÆ IN MATERIA DOCTRINAM IPSAM CONCERNENTE. Quam in eandem sententiam cum alias sæpe, tum præsertim in Decreto Consilii Regii anno MDCCXLVII., die XXI. Febr. responsum est. I nunc & roga, *utri credendum sit*? Compara CLEMENTIS, Regisque verba! unum os, una vox est Patris, ac Filii. Iste *judicium*, hic *decretum*, sed uterque *universalis Ecclesiæ*: Iste *dogmaticum*, quod simplex vocabulum est, hic *in materia* versari dicit, quæ *ad doctrinam* pertineat: quorum istud græcum, hoc latinum est. Sed nimirum, ut dixi, qui deprimendus, opprimendus, contundendus, summus is Pontifex erat. Cujus rei causa non vulgares, nec una alteraque, sed omnes conferri machinæ debuerunt: ac quantumcunque in priore fuisset sævitum tomo; nihilominus Tyestæum debebat illud hærere præ oculis:

Major mihi moles, majus miscendum malum,
Quo illius TYRANNI *cor contundam, & opprimam.*

Ex quo quidem jam ferre mitius didicimus, quod in primo notatum opere, tam horrendum alioquin, & vere δαιμονιῶδες videbatur nobis, nihil ut addi hoc ei posset in genere. Quis enim miretur posthac, *auctorem janseniani schismatis dici Papam*? Sed hujus quidem criminis depulsio in tertium a me librum servata est. Succedit alia nunc labes, sed cum priore nexa, immo causa hujus, & ex qua, quanta quanta erat, tanquam ex cænoso fonte suo necessario ista profluxit. Eam modo expendimus.

ARTICULUS II.

Demonstratur *Febronium* dum negat ad certitudinem fidei sufficere supremam sententiam Romani Pontificis ab Episcoporum parte maxima acceptatam; in hoc uno sibi constitisse, quod Ecclesiam funditus, secundum principia a se hactenus posita, evertat. Refutatur systema impium.

I. Cum initium disputandi contra FEBRONIUM facerem; fuit hoc primum, quod demonstrabam, populare eum in Ecclesiam regimen invexisse. Itaque quemadmodum Claves, ligandique ac solvendi potestatem abla-

ablatam Pontifici atque Episcopis, in *multitudinem* transtulit: sic quod est præcipuum in ea potestate, non minus *multitudinis* esse proprium, censuit, & erroris consequentia quadam censere debuit.

Heinc illa sunt, quæ tum late, descriptisque verbis ejus exhibui, extra Concilium neque Pontifici, neque Episcopis, *neque paucis neque multis*, sed *toti Corpori*, quod quidem ex Clero populoque constet, fidem, & in fide ασφαλειαν, seu *inerrantiam* desponsam esse. Promissa, quæ Ecclesiæ suæ *JEsus Christus* fecit, ad omnes pertinere; omnibus dictum esse, *Pasce agnos meos*. Habere etiam populum *prophetas suos atque Doctores*: Episcopos extra Concilium non nisi testes esse ejus fidei, quam in Ecclesiis suis repererint. Non se equidem diffiteri, *viventibus nunc in Ecclesia Doctoribus* UNIVERSIS ET SIMUL SUMTIS *spiritum veritatis abrogari* VIX *posse*: *verum hanc* QUALEM QUALEM *inerrantiam ad Ecclesiam referri* ex mente S. AUGUSTINI oportere. Oriatur de fide contentio; pronuntiet Pontifex: *Ecclesiæ singulæ agnoscant in enuntiato hoc fidem suam: si tranquilla omnia perdurent*: confectam rem fore, *non ex solo accessu Episcoporum*, *sed ex* UNIVERSORUM fide *fidelium*, *quæ deficere non potest*. Posse Deum, *antequam constans universalis Ecclesiæ consensus separatis Episcoporum Decretis superveniat*, *unum vel plures*, *etiam ex secundi Ordinis sacerdotibus excitare*, *atque eorum*, *in gratiam orthodoxæ fidei reclamantium*, *verbis vim & efficaciam addere ad parandum veritati triumphum*. Posse a *paucis Episcopis trahi reliquos*. Sed eam rem *tractum temporis desiderare*, qui quidem sive *judicio virorum prudentum*, sive *Conciliorum definitione* determinandus sit. *Non illud quidem posse fieri*, *ut* CORPUS *Ecclesiæ* in dogma *falsum consentiat*: *nec tamen sequi inde*, *quod semper in promptu habeat*, *& illico propalet decisionem veri*. Constare hæc ex causa Jansenistarum. Illa enim res *quia tractum temporis habuit*, *aliaque*, *quæ disparatis Episcoporum Judiciis opponi amant*, *intervenere*; *Judiciorum pariformitatem*, *universalitatem*, *& legalitatem agnitam a Jansenistis non fuisse*. Verbo: *non satis constare de promisso* CHRISTI, *quippe quod Ecclesiæ*, *id est Corpori*, *non singulis*, *utcunque multis factum intelligitur*. (6)

Hæc summa systematis rursum non tam meis, quam illius a me verbis exposita. In hanc autem perniciem qui se semel induerat, poteratne fieri, quin inter Juncos Batavicos demum, & in Jansenistarum spurcitie

(6) Tom. I. Cap. VI. §. VIII. per totum.

tie naufragium faceret? Dixi Jam alias, esse res omnes Jansenistarum in hac una re positas. Addo nunc, sic *Apamiensem*, sic *Sanitiensem*, sic *Montispessulanum*, sic *Bononiensem*, sic *Antisiodorensem* Adpellantes omnes sensisse in eo scripto, quod Pastoralibus literis Cardinalis *Meldensis* objecerunt. Atque spectare huc, & eo recidere JUSTINUM FEBRONIUM, *Theologiæque detestandæ* ejus hæc esse *mysteria*, breviter, sed aptissime indicavit Eruditissimus KAUFFMANS, interpolatione hujusmodi tanquam ex rebus nata. *Potest Deus ex secundi Ordinis Presbyteris* (QUESNELLUM, ESPENIUM, ERKELIUM cogita) *reclamantes suscitare*, *horum verbis vim addere, & triumphum parare veritati*, *ne dicam*, *zelus ardens paucorum Episcoporum* (Cogita quatuor Adpellantes in Gallia) *reliquos* (cogita quadraginta, & octoginta assentientes Romano Pontifici) *in suas partes trahere:* (7) Cujus quidem vim interpretationis a Clarissimo viro adhibitæ ut magis omnes intelligant, neque latebras porro, quod est sceleris deprehensi proprium, & effugia possit quærere, a quo tam est turpiter, & vehementer peccatum: faciam, quod alias solitus sum, ut in *propositiones* & *corrollaria* nectam pronuntiata hominis præcipua, breviter tamen & abscisse. Inde enim quas notiones impressas animo, cum ista scriberet, habuerit, cognosci facilius, & liquidius potest.

Doctrina FEBRONII in formam systematis ordinata.

II. PROPOS. I. Episcopi singuli in suis Ecclesiis dum resident, non judices, sed testes sunt ejus fidei, quam apud fideles, quorum procurationem sunt nacti, invenerunt. COROLL. In Ecclesiis igitur suis dum de fide aliquid statuunt, deferendum plus iis non est, quam quod testibus debetur. PROPOS. II. Testimonia hæc cum privatorum sint, & versentur in factis particularibus; simpliciter falsa esse possunt. COROLL. Igitur nec sufficiunt illa se solis, ad pariendam certitudinem divinæ fidei. PROPOS. III. Episcopi & Romanus Pontifex tametsi custodes sint fidei, magistrique populorum: non tamen sunt soli; habet secundus etiam ordo Sacerdotum, habent Laici suos prophetas. COROLL. Reclamare igitur hi possunt, si testimonium Episcopi, ut esse potest, falsum sit. *Hypothesis*. Quod de Episcopis singulis, etiam Romano, idem de Ecclesiis singulis, etiam Romana dici pono. Non enim Romanam magis, quam ullam aliam ex Ecclesiis singulis infallibilem esse, FEBRONIUS patitur Tom. I. Cap. I. §. 9. pag. 71. Verba sunt: *Num Romanam Ecclesiam* CHRISTUS *dotaverit jure infallibilis instructionis? Si per Romanam intelligatur particularis illa Ecclesia Italiæ,*

(7) In Præfat. ad 2. Edit. Apolog. pag. 7.

liæ, utut inter reliquas nunc prima; certe de hoc non quæritur solum, sed inter ipsos etiam Catholicos valde, ne quid amplius dicam, dubitatur. Propos. IV. In Ecclesia neque pauci, neque multi infallibilitate gaudent, sed Corpus ipsum ex Episcopis, Clero & populo tanquam membris suis compositum. Promissum Christi factum *Ecclesiæ*, id est Corpori, non *singulis, utcunque multis.* Coroll. Episcopi igitur quantumvis multi cum Romano Pontifice sentiant, & Ecclesiæ quantumvis multæ cum Ecclesia Romana: id, quamdiu dici non potest, totum *Corpus* in doctrina sic definita conquiescere, nequaquam satis est ad certitudinem fidei. Scholion Sentiebant cum Cypriano L. Episcopi Orientales, & Afri LXX., vel aliquanto plures: Obnitebantur cum Stephano TOT MILLIA EPISCOPORUM, atque adeo Ecclesiarum in TOTO ORBE: & tamen neque Augustinus, neque Cyprianus *tantam Episcoporum Romano Pontifici adhærentium turbam contra numerum* comparatione facta *tam modicum putarunt citra generale Concilium constituere regulam firmam credendi agendique.* Febron. Cap. VI. §. 9. pag. 438. ═══ Coroll. Fieri igitur, quantum ad Christi est promissiones Ecclesiæ factas, omnino potest, ut fallatur Episcoporum pars multo maxima cum Romano Pontifice; stetque penes partem quantumvis minimam veritas. Non enim est infallibilitas desponsa utcunque multis, sed *Corpori. Fides subinde obscuratur, veritas confunditur, errores videntur prævalere, zizania bono frumento miscentur, illudque nonnunquam suffocare existimantur. Dantur tempora tenebrarum, in quibus veritas altercationum nebulis involvitur.* Cap. c. p. 433. Propos. V. ut satisfiat promissis Christi, non est opus, ut *Corpus* illud Ecclesiæ *semper in promptu habeat decisionem veri*, aut hanc illico propalet. Ea res *tractum temporis desiderat.* Propos. VI. Satis est, quod ipsum hoc *Corpus Ecclesiæ nullo unquam tempore possit consentire in dogma falsum.* Coroll. I. Satis igitur est, quod nunquam error, quantumvis maximæ, & cum Romano Pontifice sentientis partis invalescere ad *universalem, constantem & pariformem observantiam* possit. Coroll. II. Semper igitur Deus *unum* vel *plures etiam ex secundi Ordinis Sacerdotibus*, (& quidni etiam Laicos?) *excitabit, atque eorum, in gratiam Orthodoxæ fidei reclamantium, verbis vim & efficaciam addet ad parandum veritati triumphum.* Coroll. III. Durabit ista reclamatio, donec *constans universalis Ecclesiæ consensus*, seu *observantia pariformis supervenerit.* Propos. VII. Ad summam igitur: si in *enuntiato Pontificis*, adsensuque Episcoporum plurium conquiescant *Ecclesiæ singulæ*, suamque in eo fidem agnoscant, & sic *tranquilla omnia perdurent:* non est opus generali Concilio. Sin aliter fiat; fluctuabit veritas; tractusque temporis expectandus, quem prudentes determinabunt.

III. En collatas inter ſe, Lector, & colligatas novi Magiſtri ſententias: ipſe ſi ordinate quidpiam poſſet ſcribere; credo, aptius componere eas non vellet. Quid ſequitur? quod in oculos irruit; quod manifeſtum, quod evidens eſt, quod contrectare & palpare manibus cuivis licet: Eccleſiam CHRISTI eſſe vagam poſſe atque incertam; poſſe oculis ſubduci; poſſe, quæ *Donatiſtarum* quondam inſania fuit, in paludibus ac viculis Belgii latere, poſſe annis latere centum ac pluribus: poſſe tam diu, donec *prudentes*, emerſiſſe eam e ſuis latebris, ſtatuant: quod eſt, ut uno verbo dicamus: latere *ſemper* poſſe. Non eſt autem illud, Eccleſiam CHRISTI deſtruere? deſtruere funditus? Enimvero indiviſæ ſunt pollicitationes CHRISTI: nec eſt diverſa, ſed una Eccleſia, quam *columnam & firmamentum veritatis* prædixit fore, & quam aſpectabilem eſſe, univerſiſque conſpicuam; adirique, & audiri ab omnibus voluit. Illa vero, ubi erit? Quam partem adibimus? Majoremne conjunctam Capiti ſuo? Errare poteſt. minorem? latet. Et ut minime lateat, errare poteſt. Illa igitur, quæ nec latet, nec errare poteſt, in natura rerum non eſt. Itaque quo identidem reverti animo oportet, Eccleſia CHRISTI aut nulla, aut colluvie eſt omnium ſectarum. Hoc iſtud erat: *Eccleſia ſtatus non eſt.*

Neque vero quod Concilium etiamnum ſuperſit, convocarique illud queat, ac ſi non convocetur, hominum culpa fiat, juvat cauſam. Ut enim hoc detur; quid porro? hominum culpa igitur latere Eccleſia poterit, ſubducique oculis & eſſe incerta, ac perire. Atque ut magis inſtem: qui domi non *judices*, ſed *teſtes ſunt*; quei quæſo fiet, ut in Concilio *Judices* ſint? An CHRISTUS ſic ſtatuit? ubi? Nuſpiam. Hærere igitur faciam ſcelus, & cum DELABORDIO, neque domi, nec in Conciliis eſſe judices; ſed teſtes dicam: Quare teſtabuntur ii quidem de fide Eccleſiarum ſuarum, & imitationem ac quaſi ludum quendam exhibebunt judicii; ſed an vere, an ex mente Eccleſiarum ſuarum, an ut CORPORIS expreſſiſſe fidem ac ſenſum cenſeri poſſint: id vero *neque a paucis, neque a multis*, ſed a CORPORE conſtitui debet. *Reclament* igitur rurſum, *Unus, plures, pauci*; *Paſtores ſecundi Ordinis*; *Prophetæ Laicorum*! Non dicam plura. Tam enim apertam eſſe ſtragem puto, ut quaſi in oculis ſit. Hoc ſcilicet erat: *Eccleſia ſtatus non eſt.*

Verum abſit a Catholico pectore iſta impietas. Eſt illa omnino *ſtatus*. Nam id oſtenſum a me arbitror, quantum opus fuit. *Epiſcopatus* eſt: UNUS *Epiſcopatus*, cujus, ubicunque locorum ſint atque degant Epiſcopi, *a ſingulis pars in ſolidum tenetur*. *Ubique* igitur Epiſcopi *Paſtores*; ubique *Doctores* ſunt: & SOLI quidem. Atque in hoc ſtupor aut dolus eſt Febronianæ vertiginis. Quaſi vero qui in *ſubſidium* ſunt adlecti *Epiſcoporum*, aut quibus ingenii non nihil

ineſt

ineſt ad docendum, iidem ſint illi, quos Eccleſiæ ſuæ poſt ſe Principes CHRISTUS conſtituit? Non ſunt. Oves ſunt, diſcipuli ſunt, ſubditi ſunt. Neque enim aut muneris aut doctrinæ habetur heic ratio, ſed *auctoritatis* atque *imperii*. Auctoritatis, quam eſſe *publicam*, *aſpectabilem*, *perpetuam*, *certam*, *dominatricem voluit* CHRISTUS: quamque PETRO atque Apoſtolis, dein iis, qui utriſque ſuccedunt, ſolis, & ſempiterna ut eſſet, tranſcripſit. His, non Multitudini Claves commiſſæ ſunt. Ad hos iſta pertinent: *Attendite vobis, & univerſo Gregi*; *Qui vos audit, me audit*; *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Nam cum ſagaciſſima in ſuam perniciem humana ſit indoles; quæ M. Boſſuetii eſt ratio; nec tam acturi nos quicquam eramus, quam ut omnibus modis argutiarumque & ingenii omni ſubtilitate *perverteremus vias Domini rectas*; ad potentiam & ſapientiam Dei pertinuit, procurare medium nobis, quo ſine litibus, ac ſine negotio, ut cuique animus bene affectus eſſet, internoſcere ſchiſmata poſſemus. Medium hoc, quo nullum aptius, *auctoritatem* eſſe voluit. Quæ quidem in Epiſcoporum conſtituta *Corpore* cum ſit, ſemper præſens, ſemper aſpectabilis eſt; plane ut Eccleſia ipſa regnum CHRISTI eſſe deſinere, aut evaneſcere vel puncto temporis non poteſt. Itaque neque accidit, neque fiet id unquam, ut error hoc in *Corpore* prævaleat: in illo, inquam Corpore (ſunt LANGUETII hæc) *quod ut completum ſit, Capite opus habet; ut perfecta ſocietas ſit, centro Unitatis. Huic Capiti ſingularis procuratio addicta ſit oportet.* Et ſunt revera, ait BOSSUETIUS, *promiſſa JESU Chriſti, quæ Cathedræ* PETRI *indiſſolubili nexu adſtrictos nos tenent. Cum Apoſtolis diceret JESUS Chriſtus*, EGO VOBISCUM SUM; *aderat cum reliquis* PETRUS, *ſed aderat cum prærogativa ſua, ac tanquam primus inter diſpenſatores.* PRIMUS PETRUS. *Aderat cum illo pleno myſteriis nomine, quod* JESUS CHRISTUS *ipſi contulerat ad miniſterii ejus vim, ſoliditatemque ſignificandam. Aderat denique tanquam is, qui primus fidem, Apoſtolorum fratrum ſuorum nomine, prædicaturus erat, & confirmaturus eos, ac per hoc ipſum* PETRA & FUNDAMENTUM *futurus ædificii immortalis.* CHRISTUS *non minus* PETRI, *quam cæterorum Apoſtolorum Succeſſoribus locutus eſt: miniſterium, quod illi commiſſum fuit, ordinarium in univerſa Eccleſia, principale ac fundamentale eſt factum.*

Hæc ſolida, ut cum LANGUETIO colligam *Eccleſiæ conformatio eſt*: illius, inquam Eccleſiæ, quæ & *firma* SEMPER *eſt*, & SEMPER *perdurans*, & SEMPER *docens*, & SEMPER *aſpectabilis per miniſterium nunquam periturum; quæque per infallibilis hujuſce miniſterii Succeſſionem in veritate* SEMPER *dirigitur.* (8) Et adverſus hæc, quæ fere ſummam complectuntur omnium a me

hactenus

(8) Seconde Inſtr. Paſtor. pag. 21.

hactenus traditorum, vani & futiles sunt strepitus & clamores omnes Febronii. Vanum & futile, quod de Prophetis garrit Laicorum: vanum & futile, quod de Doctoribus secundi Ordinis: vanum & futile, quod de *Collegiali* suo *Concluso*. Humanæ sunt ista sapientiæ, non illius, *quæ de sursum est*. Neque enim ab Ulpiano & Forensi strepitu exemplum Servator sumpsit, cum tribunal fidei, quod æternum esset ac stabile, in Ecclesia sua erexit. Quodsi examine, si studio, si Scripturarum ac traditionis dijudicatione opus sit; nunquam ea deerit, quicunque sint demum in isto Corpore Episcoporum, qui illam suscipiant. Et pertinebit hoc ad procurationem Christi: plane ut si amplam segetem fore prædixisset Deus; foret ridendus is, qui utrum agros culturi homines essent, dubitaret. Neque jam illud etiam quæremus, quid futurum sit, si Episcoporum pars longe potior a Pontifice, supremo capite suo dissentiat. Est enim perinde ineptum hoc, ac si quærerem, quid futurum, si Ecclesia *Status*, resque publica, regnum ac civitas Christi esse desineret. Ut enim fieri hoc nunquam potest, sic neque prius fiet istud omnino. Atque heic finem Tomi I. facimus. Præsertim quoniam alibi de eodem nobis argumento rediturus est sermo

FINIS TOMI I.

ERRATA.





Pag. 18. N. IV. *pæter* leg. præter.
Pag. 37. in Titulo Artic. pro *Anacæphaleosis* leg. Anacephalæosis.
Pag. 77. Lin. penult. *exere* leg. exerere.
Pag. 102. N. VII. Lin. 3. *se* leg. sed.
Pag. 153. sub finem *propugtores* leg. propugnatores.
Pag. 269. Lin. 4. *Commiserit* leg. commiserint.
Pag. 275. post medium *dseruit* leg. adseruit.
Pag. 283. supple notam: (13) vid. Joann. Cap. XIV. & sqq.
Pag. 291. supple notam: (31) vid. not. sqq.
Pag. 292. & 293. irrepsit error in disponendis numeris notarum, quem Lector ex orationis contextu facile corriget.
Pag. 377. leg. §. II.
Pag. 383. leg. §. III.
Pag. 402. lin. 3. *acie* leg. acies.
Pag. 405. in not. lin. 3. leg. qui & domibus.
Pag. 408. post. med. lin. 5. *quin est*, leg. quin &.
Pag. 417. ante verba: *Restat exemplis*, pone III.
Pag. 429. lege: *De schismate*, inquit, *Ultrajectino quod dicis*,
Cætera Lectori prudenti committuntur.








ARRICHII
DE POTES
PONTIFIC

colorchecker CLASSIC





















calibrite

mm